06 D
13779
00926

Aristotelis
Rhetorica
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Aristoteli
Rhet:
Christoph: Colo
zar ddi cus.



V 12 Sc V

ARISTOTELIS RHETORICORVM LIBRI. DVO

M. Antonio Mureto Interprete.

ROMAE,
Apud Bartholomaeum Graſſum.
M. D. LXXXV.

EX LIBRIS
BIBL[illegible]C[illegible]
CONVENTUS
VIENNENSIS [illegible] MED.

M. ANTONIVS. MVRETVS
P. FRANCISCO. BENCIO.
E SODALITATE. IESV. S. D.

QVOD non difficile modo factu, ſed prope incredibile ſuapte ſponte videri poteſt, id mihi tecum vſuuenit Franciſce Benci: vt inter homines ſumma inter ſe caritate deuinctos intercedat tamen prope quotidiana contentio: dum & tu, alienorum officiorum benigniſsimus aeſtimator, ſumma quaedam mihi debere te praedicas: & ego contra tantum mihi a te tributum eſſe profiteor, vt omnis mihi ſpes plane praeciſa ſit tecum vnquam paria faciendi.

Nam ſi rationes putandae, & ad
calculum res vocanda ſit: quid a
te mihi aliud acceptum ferri po-
teſt, quam, quod multos abhinc
annos, effloreſcentem ingenij tui
vim admiratus, ducem me tibi ad
eas artes præbui, in quibus poſtea,
Dei ope & induſtria tua fretus, eos
progreſſus feciſti, vt in te iampri-
dem & eximia dicendi vis, & mi-
nime vulgaris eruditio vno om-
niũ ore celebretur? Cuius qualiſ-
cunque officij erga te mei abun-
de mihi magnam gratiam perci-
pere videor, cum qui ad te audien
dum confluunt, ad Mureti audito
rem atque alumnum ire ſe praedi-
cant, eaque in te viua ac ſpirantia
agnoſcunt, quorum in me olim
vmbra fortaſsis aliqua ac ſimula-
crum fuit. At ego, niſi prorſus in-

gra-

gratũ haberi me velim, quae quantaque tibi a me deberi agnoſcam, neceſſe eſt? Tu me primus, tanto adoleſcentior tanto ſeniorem, humana cõtemnere, & pleno gradu ad diuina properare docuiſti: cum in ipſo vernãtis aetatis flore, poſthabitis voluptatibus, ambitione depoſita, reiectis alijs omnibus curis, in iſtam te ſanctiſsimam & orbi terrarum fructuoſiſsimam hominum cultui diuino mancipatorum ſodalitatem contuliſti: cum in ſuſcepto ſemel conſilio tã conſtanter perſtitiſti: neque ceſsiſti illorum vocibus, qui cum in collegij s veſtris educati eſſent, & illic didiciſſent iſtud neſcio quid quod iactant litterarum, a quo ipſi ordine flagitioſe deſciuerant, in eum ne nomen dares, abſterrere te cona-

nabantur In quem tu ſemel admiſ
ſus,ita vitã inſtituiſti, vt facile de-
claraueris,non illum caecũ quen-
dam , vt ipſi mentiebantur , ac te-
merarium impetum,ſed diuini nu
minis inſtinctum atque afflatum
fuiſſe:&, vt ad ea redeam,quae ad
me proprie pertinẽt, nunquam ex
illo conſilijs,praeceptis, cohorta-
tionibus iuuare me,& faces ac ſti-
mulos animo meo ad pietatẽ ſub-
dere deſtitiſti·Merito igitur ita te
amo,& vt patrem filius , & vt filiũ
pater:his enim nos, quae maxima
ſunt, caritatis vinculis bonitas di-
uina copulauit.Quare,quod & in
ceteris rebus , quoad potero,ſedu-
lo faciam , libenter his paucis die-
bus obſecutus ſum ſtudio tuo : &,
qui pridem conatus eſſem ſecun-
dum rhetoricorum Ariſtotelis li-
brum

brum latine reddere, quanquam hoc tempore & multis, vt noſti, occupationibus obrutus, & moleſto ac difficili pedum morbo octauum iam menſem impeditus, in tuam tamen gratiam, etiam primum addidi. Tertium, vt ſaepe ex me audijſti, latine reddi poſſe vix puto. Sed ſi quid vnquam mihi vacui temporis dabitur, quod optare magis quam ſperare poſſum, non ego quidem illum interpretabor: ſed Ariſtotelea praecepta, quae eo cōtinētur, meo more tractare, & latinis exemplis illuſtrare conabor. In his autem, quos nunc ad te mitto, quoſq. amoris erga te mei monumentum eſſe cupio, facile proſpicio fore, vt multi multa mirentur, partim longe aliter a me accepta, quam ab alijs, par-

tim

tim etiam a vulgata Graecorum li
brorū editione diſcrepantia. Qui
hoc velim cogitent, neq. cauſam
mihi vllam fuiſſe ſuſcipiendi noui
laboris, ſi nulla in re diſſenſiſſem a
ceteris: & ipſos inter ſe Graecos li-
bros ita variare, vt a multis diſce-
dere neceſſe ſit, quicunq. vnum ſe
qui velit. Spero autē me breui bre-
ues quaſdam notas in hos libros
editurū, ex quibus, quid in eis aut
praeſtiterim, aut praeſtare volue-
rim, curq. locis aliquot, nō ab alijs
modo, ſed ab ipſo quoq. erudito-
rū coryphaeo Petro Victorio, cui
debetur, quicquid fructus hac ae-
tate ex horum librorum lectio-
ne percipitur, diſſentire auſus ſim,
commodius intelligatur.

Romae Id. Feb. M.D.LXXXV.

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICAE LIBER PRIMVS.

M. ANTONIO MVRETO Interprete.

RHETORICE dialecticae altera ex parte reſpondet: ambae enim quibuſdam eiuſmodi verſantur in rebus, quae communes quodammodo omnium ſunt ad cognoſcendum, nec vlla certa ac definita arte continentur. Quocirca & omnes quodammodo vtriuſque participes ſunt. Omnes enim vſque ad aliquem modum & anquirere in alienam opinionem, & ſuam tueri, & defendere & accuſare conantur. Vulgo igitur alij quidem haec temere praeſtant, alij autem, propter conſuetudinem, ex habitu. Quando igitur vtroque modo id euenit, conſtat, fieri poſſe, vt haec ad certam viam rationemque redigantur. Quid enim ſit cauſae, cur & qui conſuetudine & qui caſu id faciunt, id quod volunt conſequantur, videri ac perſpici poteſt. Id autem iam omnes artis opus eſſe fateantur. At nunc ij qui de dicendi arte ſcripſerunt, exiguam modo illius particulam attige-

runt. Nam ſolae probationes ad artem pertinent: cetera appendices quaedam ſunt & acceſſiones. At illi de enthymematis quidem nihil præcipiunt, qui faciendae fidei neruus eſt: in ijs autem quae extra rem ſunt, omnis eorum opera conſumitur. Criminatio enim & commiſeratio & ira, & tales animi affectiones, non ad rem, ſed ad iudicem pertinent. Itaque ſi in omnibus obſeruaretur, quod & nunc quibuſdam in ciuitatibus obſeruatur, & quidem in ijs quae optimis legibus temperatae ſunt: nihil haberent, quod dicerent. Omnes enim partim quidem exiſtimant ita legibus cautum eſſe oportere, partim autem etiam vtuntur ijs legibus, ac prohibent extra rem verba facere, vt in Areopago: recte ita exiſtimantes. Neque enim oportet iudicem diſtorquere ac deprauare, praeoccupantes animum ipſius aut inuidia aut commiſeratione. Nam id perinde eſt, ac ſi quis, qua regula vſurus eſt, eam deprauet. Praeterea conſtat, ipſius quidem controuerſantis nullum aliud munus eſſe, quam vt oſtendat, id quod agitur, aut eſſe aut non eſſe, aut factum eſſe aut non eſſe. Sit ne autem magnum an paruum, iuſtum an iniuſtum, quatenus id legiſlator non definiuit, ipſum videlicet iudicem cognoſcere ac iudicare oportet, non diſcere ab ijs qui controuerſantur. Ergo maxime quidem oportet recte poſitas leges, omnia quae poſſunt, definire ac decidere ipſas: ita vt quampauciſſima in arbitrio eorũ, qui

qui iudicant relinquantur. Primum quidem, quoniam vnum aut paucos deligere facilius eſt ea prudentia praeditos, vt leges ferre ac iudicare poſſint, quam multos. Deinde leges quidem feruntur adhibita diuturna conſideratione: iudicia autem re adhuc recenti. Itaque difficile eſt ijs qui iudicant, bene definire quid iuſtum atque vtile ſit. Iam quod maximum eſt, legiſlatoris quidem iudicium eſt, non de vna aliqua re, neque de praeſentibus, ſed & de futuris, & vniuerſe. At is qui deliberat, qui ve iudicium exercet, iam de praeſentibus ac definitis iudicant: erga quos ſaepe aut amor aut odium eſt, aut aliqua propriae vtilitatis coniunctio: ita vt non amplius poſſint liquido perſpicere quid verum ſit: ſed aut propria voluptas aut moleſtia tenebras iudicio offundat. Aliarum igitur, vt modo dicebamus, rerum quam fieri poteſt pauciſſimarum permittenda eſt iudici poteſtas: ſed fuerit nec ne, futurum ſit an non ſit, ſit ne an minus, ea certe neceſſe eſt iudicum arbitrio permittere. neque enim haec praeuidere legiſlator poteſt. Quod ſi haec ita ſe habent, conſtat eos pro artis praeceptis tradere ea, quae extra rem ſunt, quicunque alia praecipiunt: exempli gratia, quomodo conſormatum eſſe oporteat prooemium, aut narrationem aut vnamquamque aliarum partium. Nihil enim his praecipiendis aliud agunt, quam, quomodo iudicem hoc aut illo modo afficiant, de artificioſis autẽ

probationibus nihil docent. at id demum eſt, ex quo quis fieri enthymematicus poſſit. Nam & eadem cauſa eſt, cur, cum eadem ſit methodus contionalium & iudicialiũ: cumque pulchrior ac ciuilior ſit cõtionalium tractatio, de ea quidem ſileant, conẽtur autem omnes tractandorũ iudiciorũ artem aliquam tradere: quoniã minus e re eſt in cõtionali genere extra rem euagari: neque tam malitioſum eſt in cõtione agere, quam in iudicio, ſed ſimplicius. Hic enim iudex de ſuis iudicat: ita vt nihil requiratur aliud, quàm vt oſtendatur ita eſſe vt dicit is qui conſiliũ dat. At hoc in iudicialibus ſatis non eſt: immo vero expedit auditorem praeoccupare. De alienis enim iudicium eſt. Itaque commodi ſui rationem habentes, & ad gratiam audientes non tam iudicant, quàm litigatoribus largiũtur. Quocirca & multis locis, vt & ante dixi, lex prohibet extra rem euagari. Hic autem illi ipſi, quorum exiſtimatio eſt, ſatis per ſe ne id fiat cauent. Quando igitur cõſtat artificioſam quidem methodum circa probationes verſari probatio autem demonſtratio quaedam eſt: tunc enim maxime credimus, cum rem demonſtratam eſſe arbitramur; oratoria autem demonſtratio eſt enthymema: eaque, vt ſimpliciter dicam, probationum omnium potiſſima eſt: enthymema autem, ſyllogiſmus quidam: conſtat, vt quiſque maxime peruidere poterit, ex quibus & quo modo fiat ſyllogiſmus, ita eum maxime enthymematicum

maticũ fore, ſi id praeterea addiderit, vt teneat, & quibus in rebus verſentur enthymemata, & quo modo a ſyllogiſmis logicis differant. Quid enim verum, & quid ſimile veri ſit, videre, eiuſdem facultatis eſt. Praetereaque homines natura ſatis facti ſunt ad id quod verum eſt, & plaerunque veritatem conſequuntur. Quo fit, vt ea bene conijcere poſſe quae opinionibus hominum conſentanea ſunt, eius ſit qui eodem modo affectus eſt etiam ad veritatem. Conſtat igitur alios & ea modo artibus ſuis comprehendere quae extra rem ſunt & cur ad iudiciorum tractationem magis inclinent. Vtilis autem rhetorica eſt, tũ quia natura quidẽ vera & iuſta potentiora ſunt falſis & iniuſtis. [non tamen ſemper etiam in vulgus faciliora ad perſuadendum] ita vt neceſſe ſit, niſi iudicia quomodo par eſt exerceantur, ea non nunquam vinci. Id autem animaduerſione dignum eſt. Praeterea ſunt non nulli, quibus etiam, ſi cuius rei ſcientiam exquiſitiſſimam animo cõprehenſam teneamus, perſuadere tamen facile non eſt, ſi ductis ex ea argumentis vtamur. Nam oratio quae ex ipſa rei ſcientia ducitur, docendi ratio quaedam eſt. Ipſi autem doceri non queunt: immo neceſſe eſt e communibus rationes & argumenta ducamus: vt & in topicis diximus de ratione agendi cum vulgo. Accedit huc quod vt in ſyllogiſmis, ita hic quoque contraria perſuadere poſſe oportet: non vt vtrumque faciamus: neque enim mala

perſuadenda ſunt: ſed & vt ne nos illa ratio lateat: & ſi quis alius iniuſte eo dicendi artificio vtatur, ſoluere ipſi poſſimus, quae ab eo adferuntur. Ergo aliarum quidem artium nulla eſt, quae contraria argumentando colligat. dialectica autẽ & rhetorica ſolae id faciunt. aeque enim ſunt vtraeque contrariorum. Res tamen ipſae ad diſputandum propoſitae ſimilem naturam non habent: immo vero ſemper ea quae vera ſunt & praeſtantiora natura, faciliora, vt ſimpliciter dicam, ſunt & ad probandum & ad perſuadendum. Ad haec omnia accedit, quòd abſurdum eſt, ſi turpe eſſe ſtatuamus, opem ſibimet ipſi corpore ferre non poſſe: oratione autem ſibi opitulari non poſſe, turpe non eſſe ducamus: cum id hominis magis propriũ ſit, quàm vſus corporis. Quod ſi quis obijciat, magna damna importaturum eum, qui hac facultate contra quam fas eſt vtatur: id & commune eſt aduerſus omnia bona, ſi vnam virtutem excipias, & maxime aduerſus ea quae vtiliſſima ſunt: cuius generis ſunt robur corporis, firmitas valetudinis, opum affluentia, ductandorum exercituum ſcientia. His enim omnibus & qui iuſte vtatur, plurimum profuturus, & qui iniuſte, plurimum ob futurus eſt. Ergo non eſſe quidem vnius certi ac definiti generis rhetoricen ſed vt dialecticen: & vtilem eſſe conſtat: & opus ipſius eſſe non vtique perſuadere. ſed videre omnia, quae in quaque re inſunt, apta ad

perſuaden-

perſuadendum:quemadmodum & in alijs omnibus artibus. Non enim eſt medicinae ſanare, ſed quouſque fieri poteſt, vſque eo perducere. licet enim & eos bene curare, qui ad bonam valetudinem perduci non queunt. Praeter haec autem conſtat e ſuperioribus, eiuſdem artis eſſe perſpicere tum quid perſuadendi vim habeat, tum quid tale videatur: vt & in dialectica tum quis ſyllogiſmus ſit, tum quis falſam ſyllogiſmi ſpeciem praeſeferat. Sophiſticus enim non ex eo dicitur, quòd poſſit fallere, ſed quod id ſibi ſtudio habeat. Sed hic quidem orator vterque dicetur, ille quidem ſcientia, hic autem etiam inſtituto & conſilio: at illic, ex cōſilio quidem ſophiſta, dialecticus autem non ex conſilio, ſed ex facultate. Sed iam conemur de ipſa methodo dicere, quo modo & quibus freti poſſimus ea quae propoſita ſunt conſequi. Rurſus igitur, tanquam a principio definiamus eam: ac deinceps cetera perſequamur. Sit igitur rhetorica facultas perſpiciēdi quidquid in quaque re excogitari poteſt idoneum ad perſuadendū. Id enim nulla eſt ars alia quae praeſtet. Nam aliarū vnaquaeque ad docendū & ad perſuadendū idonea eſt eo tantum in genere in quo ipſa verſatur. Vt medicina in eo quod ſalubre, quodque morboſum eſt: geometria in ijs quae magnitudinibus accidunt: arithmetica in numero: itidemque ceterae artes ac ſcientiae. Rhetorica autem de qualibet, prope dixerim, re propoſita videtur

perſpicere poſſe, quid in ea inſit aptum ad perſuadendum. Vnde fit, vt dicamus eam non habere proprium vllum ac definitũ genus in quo verſetur. Rationum autem faciendae fidei nonnullae quidem artis expertes ſunt, nonnullae autem artificioſae. Artis expertia dico ea, quaecũque artificio noſtro cõparata non ſunt: ſed prius erant: cuiuſmodi ſunt teſtes, quaeſtiones, ſyngraphae: ceteraque eius generis. Artificioſa vero quae arte & opera noſtra cõparari queunt. Itaq. eorum illis quidem vti, haec vero excogitare oportet. Iam eorum quibus oratione fit fides, tria genera ſunt, vnum quod poſitum eſt in moribus ipſius dicentis, alterum, quod in eo, vt certo quodam modo afficiatur auditor: tertium quod in ipſa oratione cõſiſtit, vt aut demõſtret, aut demonſtrare videatur. Ac moribus quidem fides fit, cum ita conformatur oratio, vt efficiat eum qui dicit dignum cui habeatur fides. Bonis enim viris magis & facilius credimus vniuerſe quidem omnibus in rebus: in ijs autẽ quae exquiſite cognoſci non queũt, ſed tales ſunt, vt uarie de ipſis exiſtimare liceat, omnino & ſine vlla exeeptione. Id autem ipſo orationis genere fieri oportet, non ob praeiudicatam de dicentis ingenio ac moribus opinionem. Neq. enim ita eſt vt quidam in libris de arte poſuerunt, qui ita de probitate dicentis locuti ſunt, vt de re quae nihil conferat ad perſuadendum. Immo uero nihil fere eſt ad faciendam fidem potentius atq. effica-

efficacius,quam mores dicentis. Ex perſona autem auditorum,cum vi orationis ad aliquem animi motum impulſi fuerint. Neque enim ſimi liter iudicamus triſtes & laeti aut cũ diligimus & cum odimus. Quam vnam ad rem omne ſtudium ſuum conferre diximus huius artis magiſtros. Sed huius quidem rei tota ratio ſingillatim a nobis explicabitur,cũ de motibus animorum diſſeremus. Oratione autem ipſa adducti credunt, ſi quando oſtenderimus ex ijs quae in quaq. re inſũt apta ad perſuadendũ,id quod probare volumus, aut verũ eſſe aut videri. Cũ ſint igitur haec tria inſtrumẽta faciẽdae fidei, perſpicuũ eſt,haec tria conſequi,eius eſſe,qui & ſyllogiſmo ſciẽter ac perite vti queat, & peruidere ea quae ad mores ac virtutes pertinẽt,&,quod tertiũ eſt, ea quae ad animorũ permotiones: tum quid earũ quaeq. ſit, & cuiuſmodi, tum quibus ex rebus & quomodo excitetur. Vnde illud efficitur, rhetoricam eſſe quaſi propaginem quandam dialectices, & eius quae de moribus diſſerit, quam ſuo ac proprio nomine politicen vocari par eſt. Quo circa & ipſa ſibi quaſi perſonam politices induit: & eius profeſſores ſe pro politicis venditare conantur, partim per ignorantiam, partim per arrogantiam, partim alias ob cauſas quibus interdum hominũ animi moueri ſolent. Eſt enim particula quaedam & ſimulacrum dialectices, vt & principio diximus Neutra enim earum ſcientia eſt de certo liqu

ac definito genere, quae ſint illius affectiones: ſed facultates quaedam ſunt rationum comparandarum. De vi igitur & natura ipſarum, & quomodo inter ſe affectae ſint, fere quantum ſatis eſt, diximus. Eorum autem quibus eo fides fit, quod is qui dicit, aut demonſtret aut demonſtrare videatur, vt & in analyticis, aliud quidem inductio eſt, aliud ſyllogiſmus. Voco enim enthymema quidem, ſyllogiſmum oratorium: exemplum autem, inductionem oratoriã. Omnes autem demonſtrando fidẽ faciunt, aut exẽpla proferentes aut enthymemata, neque quidquã fere aliud. Quocirca ſi omnino neceſſe eſt, eum qui quid demonſtrat, aut ſyllogiſmo aut inductione id facere, conſtat autem ita eſſe ex analyticis, neceſſe eſt vtramq. horum cum vtroque illorum idem eſſe. Quid autem interſit inter exemplum & enthymema, liquido perſpicitur e topicis. Quemadmodum enim in methodicis, ita hic quoque ſe res habet. Nam cũ multa ac ſimilia protuleris, oſtendere id quoque de quo agitur, ita ſe habere, illic quidem inductio eſt, hic autem exemplum. At vero quibuſdam poſitis, euenire praeterea aliud quippiam eo quòd illa ſint, illic quidẽ ſyllogiſmus vocatur, hic autem enthymema. Illud quoque conſtat ineſſe vtrumq. bonum in oratorio dicendi genere. Oratoriae enim dictiones aliae exẽplis, aliae enthymematis abundãt. Atque ad perſuadendũ quidem non minus valent, quae exemplis abundant;

dant: ſed maiorem animorum motum efficiũt enthymematicae. Cuius rei quae cauſa ſit, & quomodo vtroque genere vtendũ, dicemus poſtea: nunc autem de eis ipſis diſtinctius & enucleatius diſſeramus. Quoniam enim quod ad perſuadẽdum aptum eſt, alicui tale eſt: & aliud quidem ſtatim ac ſuapte ui tale, aliud autem eo, quod videatur demonſtratum eſſe per talia: nulla autem ars ſingula conſiderat: vt medicina, nõ quid Socrati aut Calliae, ſed quid ita affecto, aut ita affectis ſalutare ſit: hoc enim arte cõprehendi poteſt: at id quod ad vnumquemque ſingillatim pertinet, infinitum eſt, neque ſub ſcientiam cadit, ne rhetorica quidem quid cuique probabile ſit conſiderabit, vt Socrati aut Hippiae: ſed quid talibus, quemadmodum & dialectica. Eſt autem proprium opus ac munus ipſius, de eiuſmodi rebus dicere, de quibus deliberatur, quaeque arte non continentur: & apud eiuſmodi auditores, qui quae procul ſita ſunt videre, & ex ijs quae longe diſtant ratiocinari nõ queunt. Deliberamus autẽ de ijs quae vtroq modo habere ſe poſsũt. Nã quae aliter aut fieri, aut futura eſſe, aut ſe habere non queunt, nemo qui de eis ita exiſtimet, deliberat. nullus enim fructus illius deliberationis eſſet. Ratiocinari autem & concludere aliquid licet aut ex ijs quae iam ſyllogiſmo concluſa ſunt, aut ex iis quae, cũ antea concluſa non ſint, ſyllogiſmo indigent, quod per ſe probabilia non ſint. Neceſſe eſt autem

tem horum generum illud quidem tale non eſſe, vt auditor dicentē facile ſubſequi poſſit propter longitudinem. Poſitum eſt enim, iudicem rudiorem ac craſſiorem eſſe. Ea porro quae ſecundi generis ſunt, idonea non ſunt ad faciendam fidem: cum eorum non ſint, quae confeſſa ſunt, & de quibus plerique omnes eodem modo opinantur. quare neceſſe eſt, & enthymema, & exemplum eſſe de ijs quae etiam aliter habere ſe poſſunt, exemplum quidem, inductionem, enthymema nero, ſyllogiſmum, eumq. ex paucis, ac ſaepe ex paucioribus, quàm eum qui primo ac proprie ſyllogiſmus dicitur, Nam ſi quid eorum ſit quod facile per ſe intelligi queat, ne exprimendum quidem eſt. Ipſe enim id addit auditor. Vt ſi probandum ſit. Dorieum viciſſe in certamine quopiam eorum in quibus victores coronantur, ſatis fuerit dicere, eum Olympia viciſſe. eſſe autem eius generis Olympia, ne addendum quidem eſt. omnibus enim id notum eſt. Quando igitur neceſſaria pauca ſunt eorum, de quibus agunt Oratorij ſyllogiſmi, deliberant enim, & conſultant homines de ijs quae agunt, ea autem omnia eiuſmodi ſunt: neq. eorum fere quidquam neceſſario fit, Ea vero quae plerunq. eueniũt, neceſſe eſt ex alijs talibus colligi, neceſſaria autem ex neceſſarijs, quod ex analyticis cognouimus; conſtat, ea, ex quibus enthymemata ducuntur, partim quidem neceſſaria eſſe, ſed maximam partem, eorum quae

plerunq.

plaerunq. cōtingunt. Ducūtur autem enthymemata ex veriſimilibus, & ex ſignis. quare neceſſe eſt, illorum vtrunque vtriq. idem eſſe. Nam veriſimile quidem eſt, quod plaerunq. fit, non ſimpliciter tamen, vt quidam definiunt, ſed id demū, quod ita affectū eſt ad id ad quod probandum adhibetur, vt vniuerſum ad particulare. Signorum autem quaedam ita ſe habent, vt particulare aliquid ad vniuerſum, quaedam autem vt vniuerſum ad particulare. Horum autē id quidem quod neceſſarium eſt, tecmerion vocatur. At quod neceſſarium non eſt, nomen quo ab alijs diſtinguatur nō habet, Igitur neceſſaria quidem dico ea, ex quibus confici poteſt ſyllogiſmus. Quocirca tecmerion etiā eſt huiuſmodi ſyllogiſmus. Cum enim id quod a ſe dictum eſt, putant ſolui non poſſe, tunc a ſe tecmerion adferri putant, vt eo quod volunt demonſtrato iam, & ad finem perducto. Tecmar enim vetere lingua dicitur finis. Signorum autem aliud quidem ita affectum eſt vt ſingulare ad vniuerſum, quale eſt ſi quis dicat, quòd Socrates cum ſapiens eſſet iuſtus fuerit, ſignum eſſe, homines ſapientes eſſe iuſtos. ſignum igitur hoc quidem eſt, ſed ſolubile, etiam ſi uerum ſit quod dictum eſt, neq. enim ſyllogiſmus ex eo confici poteſt. At quod tale eſt, vt ſi quis dicat, quòd quis febrem habeat ſignum eſſe, eum aegrotare, aut peperiſſe eam quae lac habeat, neceſſarium eſt, idque e toto ſignorū genere ſolum eſt tecmerion.

ſolum

ſolum enim, ſi verum ſit, inſolubile eſt, Aliud autem ita affectum eſt vt vniuerſum ad particulare; vt ſi quis dicat, quod quis crebro reſpiret, ſignum eſſe eum febricitare. ſolubile autem eſt hoc quoque, Neque enim ſtatim neceſſe eſt febricitare qui anhelet. Quid igitur ſit veriſimile, quidque ſignum, & quid tecmerion, & quid inter ſe differant, dictum quidem eſt nunc quoque; enucleatius autem tum de his, tum quae cauſa ſit cur ex alijs ſyllogiſmi confici non poſſint, ex alijs poſſint in analyticis definitum eſt. At exemplum inductionem quidem eſſe, & circa cuiuſmodi res inductio ſit, dictum eſt. Ita autem affectum eſt, neque vt pars ad totum, neq. vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, ſed vt pars ad partem, ſimilis ad ſimilem, cum ambo ſub eodem quidem genere continentur; ſed alterum altero notius eſt. vt ſi ex eo colligat quis Dionyſium cum cuſtodiam petat, clanculum ſibi viam ad tyrannidem affectare, quod, & prius Piſiſtratus idem moliens, cuſtodiam petijt. & cum eam accepiſſet, tyrannidem occupauit: & Theagenes Megaris, & alij quoſcunque idem feciſſe ſciunt, exempli loco ſunt aduerſus Dionyſium, de quo vtrum eadem de cauſa petat, nõdum ſciunt. Omnia autem haec ſub eodẽ genere continentur: eum qui tyrannidem affectat cuſtodiam petere. Vnde igitur ducantur probationes, quibus demonſtrari aliquid uidetur, dictum eſt. Enthymematum autem maximum,

mum, quodque maxime plaeroſque omnes, latet, inter ipſa diſcrimen eſt, itemque in diſſerendi ratione ſyllogiſmorū. Quaedā enim rhetoricae cōuenientia ſunt, quedā ad alias artes, ac facultates pertinent, partim iam repertas, partim nondum ab hominibus comprehenſas. Quo ſit vt Oratores interdum imprudentes ab officio, ac munere ſuo diſcedant, propius, quàm par eſt, ea de quibus dicunt attingentes. Magis autem conſtabit quod dicimus, ſi pluribus explicetur. Dico enim tum Dialecticos, tum Rhetoricos ſyllogiſmos eſſe eos, quorum & ſpecies & locos tradimus. Hi autem communes ſunt, & de iuſtis, & de naturalibus, & de ciuilibus, & de multis quae ſpecie differunt. Cuiuſmodi eſt, locus ex eo quod magis, & ex eo quod minus veriſimile uidetur. Nihilo enim magis licebit ex eo ſyllogiſmum aut enthymema ducere de rebus iuſtis quam de natulibus, aut de qualibet alia re propoſita diſputantem. etſi haec ſpecie differūt. ſpecies autē, quaecunque enuntiationes ad ſingulas ſpecies generaue pertinent. Exempli cauſa de Phyſicis effata quaedam ſunt, ex quibus neque enthymema, neque ſyllogiſmus, de ijs quae ad mores pertinēt duci vllus poteſt, Itidemque de his alia ex quibus nihil quod ad Phyſica pertineat duxeris. Eodemq. modo in omnibus ſe res habet. Atque illa quidem non efficient in vllo certo, ac definito genere intelligentem; nullum enim eis certum

tum genus ſubiectum eſt, At haec quo quis melius delegerit, latebit aliam quandam artem efficiens a dialectica & rhetorica. Si enim incidat in principia, iam non dialectica, aut rhetorica erit, ſed ea ipſa cuius principia tenet. Ducuntur autem maximam partem enthymemata ex ijs quas ſpecies vocamus, quae particulares ſunt, ac propriae, ex communibus autem pauciora. Vt igitur in topicis, ſic, & hoc loco diſtincte explicandae ſunt & ſpecies, & loci, ex quibus enthymemata ſumũtur. Voco autem ſpecies quidem eas enuntiationes quae ad quodque genus proprie pertinent, Locos autem eos qui aeque communes ſunt omnium generum. Primum igitur explicemus genera Rhetorices vt eis quot ſunt diſtinctis ſeparatim cuiuſq. elementa, & effata perſequamur. Sunt autem Rhetorices genera numero tria: nam & eadem auditorum diſtinctio eſt. Omnis enim Oratio conſtat ex tribus: ex eo qui dicit, ex re de qua dicitur, & ex eo ad quem verba fiunt. Atque ad hunc, id eſt, ad auditorem omnia tanquam ad finem diriguntur. Neceſſe autem eſt eum qui audit, aut ſpectatorem modo eſſe, aut diſceptatorem, id eſt rei, ac ſentẽtiae moderatorem, Diſceptatorem autem, aut de rebus praeteritis, aut de futuris. Iudicat autem de futuris exempli cauſa is qui in contionem uenit, de praeteritis autem ut Iudex; is autem qui ſpectator modo eſt, de ui, ac facultate dicentis. Itaq. neceſſario tria ſunt genera ſermo-

num

num oratoriorum, deliberatiuum, iudiciale, & id quod ad oſtentationem comparatum eſt. Deliberatio autem diuiditur in ſuaſionem, & diſſuaſionem. ſemper enim tum qui priuatim cõſilium dant, tum qui ad populum verba faciũt, alterum horum efficiunt. Iudicium autem in accuſationem ac defenſionem. Horum enim alterutrum facere neceſſe eſt eos, qui iudicio contendunt. At id quod ad oſtentationem refertur, in laudem, & vituperationem. Tempora autem horum cuique propoſita ſunt, conſilium quidẽ danti futurum: de futuris enim conſilium dat aut ſuadens, aut diſſuadens: contendenti autem iudicio, praeteritum. ſemper enim de ijs quae facta ſunt, ille quidem accuſat, hic autem defendit. Generi autem ad oſtentationem comparato maxime quidem propriũ eſt tempus praeſens: omnes enim ex ijs quae inſunt, aut laudant, aut vituperant: Adhibent tamen perſaepe, & praeterita, reuocantes ea in memoriam, & futura tanquã praeſagientes. Finis autẽ alius alij propoſitus eſt: cumque tria genera ſint, totidem ſunt etiam fines: conſilium quidem danti, vtile, & damnoſum. nam is quidem qui hortatur, ſtudet oſtendere, id quod ſuadet melius eſſe: qui autem dehortatur, vt à deteriore auocat. alia autem tamquam auxilia ita adſumit, vt ad hoc referat; iuſtum, aut iniuſtum, honeſtum aut turpe. Iudicia autem tractantibus iuſtum, & iniuſtum. ad ſumunt autem hi quoque alia, vt

ad hoc referāt. Laudantibus autē, & viturpeantibus honeſtum, & turpe. Alia vero hi quoque ad haec referunt. Argumento autem eſt eum eſſe quem dixi ſingulis propoſitum finem, quòd de ceteris interdū ne contenderint quidem. Exempli cauſa is qui iudicio prouocatur interdum ne infitiabitur quidem, ſe id feciſſe quod dicitur; neque damnum a ſe datum negabit, at iniuriam feciſſe nunquam fatebitur, Nam ne iudicio quidem tunc opus foret. Itidem ij qui conſilium dant, ſaepe alia quidem proijciunt, ac largiūtur: adduci tamē nulla ratione poſſint, vt aut inutilia ſuadere ſe, aut vtilia diſſuadere fateantur, quin autem iniuſtum ſit vicinos populos etiam qui nulla iniuria prouocarint, in ſeruitutem redigere, ſaepenumero ne laborant quidem. Eademque ratione qui laudant, quique vituperāt, non id conſiderant, fecerit quis quae ſibi vtilia ſint, an minus: quin etiam ſaepe in laude ponunt, ſi propria vtilitate neglecta pulchrum aliquid ac glorioſum fecerit. Itaque laudant Achillem quod opē Patroclo ſodali ſuo tulerit, ſciens ſibi moriendum eſſe, cum alioqui viuere ipſi liceret. Huic autem talis quidem mors glorioſior fuit, at viuere vtilius fuiſſet. Cōſtat igitur ex ijs, quae dicta ſunt, magnā vim enuntiationū ijs de rebus tenendam eſſe. Nam & tecmeria, & veriſimilia, & ſigna enūtiationes ſunt oratoriae, Omnino enim Syllogiſmus ex enuntiationibus cōſtat: Enthymema autem ſyllogiſmus eſt ex eius

generis enuntiationibus, de quibus diximus cõpoſitus, atq. cõflatus, Quãdo autẽ quae impoſſibilia ſunt, neq. facta eſſe, neque factũ iri queunt, ſed poſſibilia tantũ, neque aut ea quae facta nõ ſunt facta eſſe, aut quae futura nõ ſunt factũ iri poſſunt: neceſſe eſt, & cõſilium danti, & contendẽti in iudicio, & ei qui facultatis in dicẽdo ſuae ſpecimẽ exhibet: enũtiationes habere de poſſibili, & impoſſibili, de eo quod factũ eſt, aut minus & quibus colligat fore aliquid, aut nõ fore Tum vero quando omnes, & qui laudant, & qui vituperãt, & cohortãtur, & dehortãtur, & accuſant, & defendunt, non ea modo quae diximus conãtur oſtendere, ſed etiam aut magnum, aut paruũ eſſe, vel bonum, vel malum, vel pulchrũ, vel turpe, vel iuſtũ, vel iniuſtum, vel per ſe de illis dicẽtes, vel cum alijs contendentes, ac comparãtes: cõſtat ſuppetere eis debere enuntiationes tum de magnitudine & exiguitate, tum de maiori, & minori, tum vniuerſe, tum particulatim de vno quoque eorum. Exempli cauſa quod maius bonum ſit, quodque minus: itẽq. in ijs, quae iuſte, iniuſte ue facta ſunt, eademque ratione de ceteris. Quibus igitur de rebus enuntiationes colligere ac comparare neceſſe ſit, dictum eſt. His autem cognitis, enucleatius nunc de vno quoque explicandum eſt: vt quibus de rebus inſtituatur deliberatio, & quibus de rebus agatur in ijs orationibus, quae ad oſtentationem comparantur; tertio autem quae in iudicijs verſari

 ſoleant;

ſoleant. Primum igitur videndum eſt, cuius generis ſint ea bona malaue, quae ſibi proponit is, qui conſilium dat. non enim de omnibus deliberatur, ſed de ijs tantum quae, & fieri, & non fieri poſſunt. Nam de ijs quae neceſſario aut ſunt, aut erunt, itidemque de ijs, quae aut eſſe, aut euenire impoſſibile eſt, deliberatio non inſtituitur. Ac ne de ijs quidem omnibus quorum euẽtus incertus eſt. bona enim quaedã à natura, quaedam à fortuna pendent, eorũ quae vel euenire, vel non euenire poſſunt, de quibus deliberare nihil profuerit. Immo uero perſpicuum eſt ea tantum in deliberationem adduci, quae eam naturam habent, vt in poteſtatem noſtram redigi queant, vtque principium ortus ipſorum in noſtra poteſtate ſit. Quaerimus enim vſque eo, dum, poſſibilia nobis, an impoſſibilia ſint, reperiamus. Omnia igitur ſingillatim accurate percẽſere & in certa genera diſtinguere, de quibus agere ſolent: tum certo, ac vero definire quantum de eis dici poteſt, non eſt huius loci, ac temporis: tum quod ne rhetoricae quidem artis opus illud, ac munus eſt, ſed ad aliam, cuius verior harum rerum intelligentia propria eſt, pertinet, tum quod plura iam à nobis ipſi rhetoricae conceſſa ſunt ijs, quorum ipſius propria conſideratio eſt. Vere enim etiam in ſuperioribus diximus, rhetoricen compoſitam eſſe ex analytica ſcientia, & ex politica quae ad mores refertur. Similis autem eſt partim quidem diale-

dialecticae, partim diſputationũ ſophiſticarũ. Quo autem quis aut dialecticen aut hãc ipſam magis conatur ita tractare, nõ vt facultates, ſed vt quae certam alicuius rei ſciẽtiam contineãt, eo magis imprudẽs naturam ipſarum extinguit ac delet, transferendo, ita eas concinnans, ac ſi, non dicendi modo, ſed certarum rerum ſibi propoſitarum ſcientiam, & intelligentiam tradãt. Nos autem quae explicare quidẽ eſt operae pretium, ſed ſuum tamen politicae locum ad conſiderandum relinquunt, ea nunc perſequamur. Sunt autẽ quinque fere numero maxima, ac praecipua eorum, quae in conſilijs agitari ſolent. Agitur enim de vectigalibus & reditibus publicis, de bello, & pace; de cuſtodia regionis, de ijs quae importantur, & exportantur, & de legum conſtitutione, Eum igitur qui de vectigalibus ſententiam dicturus eſt, primum quidem noſſe oportet, quantum ex quaque re ciuitas capiat: vtq́; ſi quid praetermittitur: addatur, ſi quo minus quam par eſt ex re aliqua percipitur, augeatur. Noti autem ei eſſe debẽt ſumptus quos facit ciuitas: vt ſi quis ſuperuacaneus eſt tollatur; ſi quis iuſto maior, minuatur. opulentiores enim fiunt, nõ ij modo qui ad opes aliquid addunt, ſed ij quoque, qui de ſumptibus detrahũt. Haec autem non vſu tantũ domeſtico intelligi queunt, ſed ea etiam quae ab alijs vtiliter ad eã rem inuenta ſunt, tenenda ſunt ei, qui ad tales conſultationes idoneus eſſe meditetur. De bel-

lo autem, & pace dicturus, primum quidem ciuitatis vires, & copias teneat, tum quantae ſint eae, quae nunc ſuppetunt, tum quae praeterea parari poſſint; & cuius generis vtraeque ſint: tũ quomodo & quae bella geſſerit. Neque vero de ſua, ſed, & de vicinis ciuitatibus haec cognorit neceſſe eſt, aut de ijs cum quibus bellum exiſtere poſſe opinio eſt: vt cum potentioribus quidẽ quiete pacificeque viuatur: aduerſus inferiores autem in eorum poteſtate ſit, qui deliberant, bellum facere velint an minus. Sed & copias vtrinſque, ſimiles, an diſſimiles ſint noſſe oportet, nã in hoc quoque poſitum eſt, vt aut meliori, aut iniquiori condicione pugnetur. Ad haec autem neceſſe eſt nõ propria modo ac domeſtica bella cognita habere, Sed & aliorũ quis ea exitus conſequatur. ſimiliũ enim ſimilis plerunq. eſſe exitus ſolet. De cuſtodia autem regionis, noſcendũ eſt, & quomodo illa cuſtodiatur, & qui ſit praeſidiariorum militum numerus, & cuius generis ſint, & quibus locis imponenda ſint praeſidia. Id autem niſi qui regionis peritus ſit, ſcire nemo poteſt. Haec autem ideo noſcenda, vt ſiue minor iuſto eſt cuſtodia, augeatur: ſeu qua non neceſſaria, tollatur: & vt opportuna loca diligẽtius cuſtodiantur. Ad annonam autem quod attinet, quanta illius copia, & cuius generis ciuitati ſufficiat intelligendum: & quae illic naſcatur, quaeque aliunde importetur: quarumque rerum, aut exportatione egeant, aut inuectione, ut cum ijs

populis

populis pacta, cõuentioneſque fiant. Duo enim ſunt hominum genera, apud quos ne offendant ciues prouidendũ eſt: qui potẽtiores ſunt, & qui ad haec quae modo diximus vtiles. Vt autẽ omni periculo careat ciuitas, neceſſaria quidẽ eſt harum omniũ rerum intelligẽtia, non minimũ autem poſitum eſt in ſcientia legum conſtituendarum. In legibus enim poſita eſt ciuitatis ſalus. Itaque intelligendum eſt, & quot ſint rerum publicarum genera; & quae cuique vtilia ſint; & quae cuique exitioſa eſſe ſoleant, tum ipſius reipublicae propria, tum cõtraria. Dico autem exitio eſſe quae propria ſunt: quoniam praeterã optim remp. ceterae omnes, ſiue remittantur, ſiue intendantur, intereunt. Exempli gratia, populi poteſtas non tantum ſi remittatur imbecillior fit, ita vt tandem reducatur ad paucorum potentiam, ſed etiam ſi valde intendatur. Vt & deformitas naſi, qui media ſui parte quaſi gibberus eſt, & eiuſdem nimia depreſſio non tantum ſi remittantur perueniunt ad mediocritatem, ſed ſi magis etiam aut intumeſcat gibbus ille naſi, aut deprimatur, eo peruenit denique, vt ne naſus quidem eſſe videatur. Vtile autem eſt ad leges ferendas, non tantum ſcire, quae gubernandi ratio conferat ad ciuitatem tuendam, cõſiderãtem id ex ſuperiorũ temporum hiſtoria, ſed & noſſe quibus legibus alij populi vtãtur & quales qualibus conueniant. Conſtat itaque ad leges quidem ferendas, vtiles eſſe eos libros, qui-

bus terrarum ſitus ac deſcriptiones cõtinentur: nam ex eis leges, & inſtituta gentium hauriri queunt: ad dandũ autem de rebus publicis conſilium, hiſtorias eorũ qui res geſtas litteris prodiderunt: quae omnia ad politicen, non ad rhetoricen pertinent. Haec igitur ſunt quibus inſtructum oportet eſſe eum, qui de rebus maximis ſententiam dicturus ſit. Nunc quae ſint ea ex quibus, & de his & de alijs dicenti ſumenda ſunt quibus aut incitet, aut deterreat, denuo perſequamur. Fere autem, & cuique priuatim, & communiter omnibus propoſitum quaſi ſignum quoddam eſt quo tendẽtes, alia & expetunt, & fugiunt: idque eſt, ut ſummatim dicam, tum felicitas, tum partes ipſius. Quare exempli cauſa, ſumamus quid ſit populariter loquendo & ex quibus conſtet felicitas. nam de ea, & de ijs quae ad eam conferunt, deque ijs quae illi adverſantur, omnis ſuaſio, & diſſuaſio ab omnibus inſtituitur. Quae enim ad eam partem ue eius aliquam comparandam, aut eorum aliquid ex minore maius efficiendum valent, ſuſcipienda ſunt: quae autem vel tollunt, vel impediunt, vel aliquid eorum quae ipſi repugnant, efficiũt, ab ijs abſtinendũ eſt. Sit igit felicitas, bonus rerũ ſucceſſus cũ virtute coniũctus: aut ea rerũ ad uitã pertinentiũ abundantia vt nihil praeterea requiratur: aut ſuauiſſima vita extra omne periculũ poſita: aut firmus ſtatus & poſſeſſionũ, & corporũ, cum vi ac poteſtate eorum conſeruandorum

dorum & parandorum. Fere enim horum vnũ, aut plura felicitatẽ eſſe omnes fatentur. Quod ſi tale quiddam eſt felicitas, neceſſe eſt, partes illius eſſe nobilitatem, amicorum copiam, bonorum amicitiam, bonos, ac virtute praeditos filios, eorumque ipſorum copiam: facilem, & cõmodam ſenectutem, tum praeterea virtutes corporis, vt bonam valetudinem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, vires aptas ad publica certamina, gloriam, honorem, proſperam fortunam, virtutem, & partes ipſius, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam. nam ita demum quis cumulatus bonis omnibus, nulliuſq; praet erea rei indigens fuerit, ſi & ijs quae in ipſo homine ſunt, & externis bonis affluat. neq. enim praeter haec, alia ulla ſunt. In ipſo autem homine ſunt tum animi, tum corporis bona: extra autem, nobilitas, amici, pecuniae, honos. Conuenire praeterea arbitramur, & opes, ac ciuilem potentiam, & fortunam adeſſe. nam ita demum vita ab omni periculo remotiſſima fuerit. Eodem igitur modo ſumamus etiam quid horum quodque ſit. Igitur genti quidem, & vrbi nobilitas eſt ſi ciues ex eo ipſo ſolo progeniti ſint, aut antiqui, & ſi primi eius conditores, ac duces illuſtres fuerint, & ſi multi ex eis propagati ſint illuſtres ijs rebus quibus hominum ſtudia commouentur. Priuatim autem nobilitas ſpectatur & ex maribus, & ex feminis: & ex eo, vt quis vtraque ſtirpe ex ciuibus legiti-

me

me prognatus ſit, &,tamquã,in vrbe,vt generis principes nobiles fuerint,aut propter virtutem, aut propter diuitias, aliudue quid eorum, quae in honore habẽtur:& multi ex eodẽ genere illuſtres, tũ viri tũ feminae,tũ iuuenes,tũ natu grandiores Bonos autem, ac multos liberos habere quid ſit, obſcurũ non eſt. Commune igitur, ipſum,bonis liberis abundare dicitur,ſi iuuẽtus & multa fuerit,& bona.Bona aũt,virtute corporis, vt proceritate, pulchritudine, robore, aptis ad certamina publica viribus. Animi vero virtutes iuuenũ propriae ſunt temperantia,& fortitudo. Priuatim aũt bonitas,& copia liberorũ eſt, ſi & multos quis ex ſe ſuſceptos, & tales liberos, tũ mares, tum feminas habeat. Feminarũ autẽ virtus corporis quidem pulchritudo, & magnitudo, animi autem temperantia, & induſtria ſine ſordibus. Peraeque autem, & publice,& priuatim danda opera eſt, vt vnum quodq. horum, & in viris, & in feminis inſit. Nam quibus quae ad mulieres pertinent, male inſtituta ſunt, vt Lacedaemonijs, dimidiũ fere ijs abeſt felicitatis. Diuitiarum autem partes ſunt,pecunia numerata, multum agri,praediorum poſſeſſiones, itemq. ſupellectilis, & pecorum, & mancipiorum,numero,magnitudine,pulchritudine praeſtantium. Eaq. omnia vt & tuta ſint, & homine ingenuo digna, & vtilia,& propria. Ac vtilia quidem magis ſunt,quae fructuoſa: ingenuo autem homine digna, quorum omnis prope fructus

in ani-

in animi oblectatione poſitus eſt. Fructuoſa autem voco, ex quibus capiuntur reditus annui: oblectationis, autem cauſa comparata, ex quibus nihil, quod quidem aliqua aeſtimatione dignũ ſit, percipitur praeter vſum. Tuta autem ſunt quae quis ita poſſidet, vt in poteſtate ipſius ſit vſus illorum. Proprium id, cuius alienandi penes eum qui poſſidet poteſtas eſt. Alienationem autem voco donationem, & venditionem. Omnino autem diuitem eſſe magis in vtẽdo, quam in poſſidẽdo poſitum eſt. Nam & diuitiae ſunt, eiuſmodi rerum exercitatio, & vſus. Bona autẽ existimatio eſt, ab omnibus virum grauem & auctoritate praeditum exiſtimari: aut tale aliquid habere, vt id omnes appetãt, aut multi, aut boni, aut prudentes. Honor autem ſignum quidem eſt eum cui habetur beneficum haberi. Honore autem afficiuntur iure quidem vel maxime, qui iam beneficium dederunt: ſed tamen is quoq. honoratur, qui poteſt benefacere. Beneficium autem aut ad ſalutem pertinet, eaq. omnia quibus fit, vt ſimus, aut ad diuitias, aut ad aliud aliquod bonum eorum, quae paratu facilia nõ ſunt, aut omnino, aut eo loco, aut eo tẽpore; Multis enim etiã quae exigua videntur honori fuerunt: ſed cum ad ea, aut locorum aut temporum commendatio accederet. Partes autem honoris ſunt ſacrificia, inſcriptiones aut verſibus concluſae, aut etiam ſine verſibus, praemia, ſacella, priores in conſeſſibus loci, ſepulcra, ſta-

tuae, alimenta ex publico: tum ea quae barbaro rum conſuetudo fert, vt genua veniente aliquo flectere, aſſurgere, & loco cedere, tũ dona quae apud quoſque in pretio ſunt. Nam in dono eſt & datio rei quae poſſideatur, & honoris ſignifi catio. Quo fit vt & pecuniae amãtes, & honoris cupidi dona appetant. in eis enim inſunt quae vtriq. appetunt; cum & rem augeant, quod aui- di pecuniae, & honori ſint, quod honoris cupi- di concupiſcunt. Corporis autem virtus eſt ſani- tas: quae ita accipienda eſt, vt & morbo quis ca- reat, & corpore vtatur. Multi enim ita valent, vt Herodicus dicitur, quos propter talem ſanitatẽ nemo beatos dixerit: cũ aut omnibus, aut plae- riſq. eorum quae hominum uita fert abſtinere cogantur. Pulchritudo autem ſua cuiuſque aeta tis propria eſt. Atque adoleſcentis quidem pul- chritudo eſt, corpus habere idoneum ad labo- res, tum qui currendo, tum qui ad ui decertan- dum capiendi ſunt, cum quadam oris, ac uul- tus ſuauitate. Quocirca pulcherrimi ſunt pen- tathli, quod aeque apti ſunt & ad vim, & ad ce- leritatem. Eius autẽ qui florenti aetate eſt, ad la- bores bellicos: cum eo vt & aſpectu iucundus ſit, & ferocitatis aliquid praeſeferat. Senis au- tem quod ſatis ſit ad labores neceſſarios ſuſti- nendos, ita vt moleſtus non ſit ijs, qui vna ſunt, quod nullo incommodo laboret eorum quibus ſenes conflictari ſolent. Robur autẽ po- teſtas quidem eſt mouẽdi alium arbitratu ſuo.

Neceſſe

Neceſſe eſt autem, qui alterum mouet, ut id faciat, aut trahendo, aut pellendo, aut ſublimem tollendo, aut premendo, aut collidendo. Quare qui robuſtus eſt, aut eis omnibus, aut eorũ quibuſdam valet. Magnitudinis autem praeſtantia eſt, ſuperare proceritate, craſſitudine, latitudine, vſitatum hominum modum, tanto, vt ne propter illam exuperantiam tardiores fiant corporis motus, Vires autem aptae ad publica certamina conſtant ex magnitudine, robore, & celeritate. Nam, & celeritas in robore ponitur. qui enim poteſt certo quodam modo crura iactare, ac mouere cito, & longe, curſor eſt: qui premere, & cohibere, luctator: qui autem ictu pellere, pugil: qui autem his vtriſque valet, pancratiaſticus: qui omnibus, pentathlus. Commoda autem ſenectus eſt, cum & ſera ſenectus aduenit, & doloris ac moleſtiae expers. nam neque is qui cito ſeneſcit, commoda vti ſenectute dicendus eſt, neque is qui ſero quidem, ſed cum dolore ac moleſtia. conſtat autem ex virtutibus corporis, & ex fortuna. nam neque perturbatione vacabit, niſi & immunis à morbis, & robuſtus fuerit; neque ſine fortuna diu viuere expers moleſtiae poterit. Eſt autẽ quaedam etiam ſine proſpera valetudine, & ſine robore, uitae producendae facultas. Multi enim diu uiuunt ſine virtutibus corporis. Sed harum rerum accurata tractatio nihil hoc quidem tempore neceſſaria eſt. Multorum autẽ ac bonorum amicitia quid ſit,

obſcu-

obſcurum nõ eſt, ſi quid amicus ſit, definiamus. Eſt autem amicus, qui ita affectus animo eſt, vt quae ei quem amat bona eſſe putat, ea, ipſius cauſa, conficere ſtudeat. Cui ergo tales multi ſunt, is amicis abundat: cui etiam viri boni, is bonos amicos habet. Bona autem fortuna eſt, cum, quorum bonorũ cauſa fortuna eſt, ea eueniunt, & inſunt, aut omnia, aut plurima, aut maxima. Cauſa autem eſt fortuna nonnullorũ quidem, quae parantur etiam arte: at multorum quae ſine arte, vt eorum, quae natura efficiũtur, ita tamen vt etiam praeter naturam euenire poſſint. Nam bona quidem valetudo arte effici poteſt: at pulchitudinis, & magnitudinis cauſa natura eſt, Omnino autem eius generis bona à fortuna ſunt, quibus inuidetur. Ea quoque bona ad fortunam referuntur, quae praeter rationẽ eueniũt: vt, quod cum ceteri fratres deformes ſint, hic formoſus ſit; aut quod alij theſaurum non viderunt, hic autem reperit, aut quod telum eũ attigit, qui prope erat: hunc autem non attigit. aut quòd non uenit aliquo, qui ſolus ſemper eo ventitabat; qui autem ſemel venerant, perierũt. Haec enim omnia in fortunae proſperitatibus numerari ſolent. De virtute autem, quando in ratione laudandi maxime proprius eius tractandae locus eſt: tum cum eo uentum erit, accurate explicabimus. Quaenam igitur ſpectare debeãt qui ſuadent, vt quae aut futura ſint, aut iam adſint, perſpicuum eſt; ex quo etiam conſtat quae

ſpectare

ſpectare debeant, qui diſſuadent: ea videlicet quae is aduerſantur. Quoniam autem conſiliũ danti vtilitas propoſita eſt ad quam omnia dirigat, deliberant autem non de fine, ſed de ijs quae ducunt ad finem: ea uero ſunt, quae in ſingulis rebus agẽdis vtilia ſunt: vtile autem quod eſt, bonum eſt, ſumenda, ac comparanda nobis fuerint elementa de bono, & utili ſimpliciter. Sit igitur bonum, quod ipſum propter ſe expetendum eſt, & cuius cauſa aliud expetimus. Et id quod appetunt omnia; aut ea in quibus ineſt ſenſus, aut mens, aut ſi mentem accipiant: & quaecunque mens vnicuiq. ſuggeſſerit. Et quicquid mens, quae in quoque eſt, ei attribuit, id cuiq. bonũ eſt, & quo praeſente bene ſe habet, neq. quidquam praeterea requirit. Et id ipſum quod ſibi ex ſe ſufficit. Et quod talia aut efficiendi, aut conſeruãdi uim habet. & id quo poſito, talia conſequuntur. Et quae vim habent aut prohibendi, aut tollendi ea quae talibus aduerſantur Conſequitur autẽ aliud alij duobus modis: aut enim ſimul, aut poſtea. Exẽpli cauſa, ex eo quod quis diſcit, ſequitur vt poſtea ſciat: at ex eo quod bene ualet, ſimul ſequitur, vt & viuat. Efficientia vero tribus modis dicuntur, quaedam ita vt beneualere, efficiens eſt bonae valetudinis: quaedam ita, vt cibi eiuſdem efficiẽtes ſunt: quaedam denique, vt corporis exercitatio, quae plaerunque vt bene ualeamus efficit. His poſitis, neceſſe eſt, ut & bonorum ſumptio-

nes in bonis ſint, & malorũ depulſiones. Sequitur enim mali quidem depulſionem, ſtatim, en quis malum habeat: boni autem ſumptionem illud poſtea, ut habeat bonum. Bonum quoque eſt pro minore bono, maius bonum ſumere: & minus aliquod malum ſubire, vt maius effugias. Nam quo minus à maiore ſuperatur, eius fit, boni quidem ſumptio, mali autem depulſio. Virtutes quoq. neceſſe eſt in bonis eſſe. nam, & bene afficiunt eum in quo ſunt, & vim habent efficiendi, atque augendi ea quae bona ſunt. De vna quaque autem illarum, quae, & cuiuſmodi ſit, ſeparatim dicendum eſt. Et voluptatem neceſſe eſt bonum eſſe. Natura enim duce omnia animalia eam appetunt. Quare, & quae iucunda ſunt, & quae pulchra, bona vt ſint neceſſe eſt. nam illa quidem voluptatis efficientia ſunt: pulchrorũ autem partim ſuauia, partim ipſa per ſe expetẽda ſunt. Vt autem ſingillatim dicamus, bona haec vt ſint, neceſſe eſt: felicitas, nam & per ſe expetenda eſt, & ſibi ex ſe ſufficit, & illius cauſa alia perſequimur: iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnitudo animi, magnificentia, & alij eiuſmodi habitus: virtutes enim ſunt animi: & bona ualitudo, & pulchritudo, & talia: uirtutes enim ſunt corporis; & multorũ bonorum efficientes, ut bona ualitudo uoluptatis, & uitae. Quo fit ut & optimum quiddam eſſe uideatur: quoniam cauſa efficiens eſt duorum, quae apud plaeroſque maximo in pretio

ſunt,

ſunt,uoluptatis,& uitae. Diuitiae. uirtus enim haec patrimonij eſt, & multarum rerum conficiens. Amicus, & amicitia. nam & per ſe expetendum quiddam eſt amicus, & multorum efficiens. Honos,exiſtimatio. nam & iucunda ſunt,& multorum efficientia, & plaerunq. euenit ut in ijs qui honorantur, inſint ea, propter quae honorantur. Dicendi facultas, rerum gerendarum facultas. omnia enim huius generis multorum bonorum efficientia ſunt. Itemq. bonitas ingenij,memoria, docilitas,perſpicacitas, talia omnia. nam hae facultates multorum bonorum in ſe efficientiam continent. Itidemque omnes ſcientiae,atque artes. Et uiuere. nam, ut boni ex eo nihil aliud conſequatur, ipſum per ſe expetendum eſt. Et quod iuſtum eſt: publice enim prodeſt. Haec igitur fere ſunt, quae omnes bona eſſe conſentiunt. In ijs autem, quae dubitationem aliquam habent, hinc ducuntur ſyllogiſmi. Cui quod aduerſatur, malum eſt, ipſum bonũ eſt. Et cui quod pugnat, hoſtibus prodeſt. Exempli cauſa,ſi ignauos ciues eſſe,maxime prodeſt hoſtibus,conſtat fortitudinem ciuibus utiliſſimam eſſe. omninoque quod hoſtes uolunt,& quo gaudent,ei quod pugnat,utile uidetur. Vnde & recte dictum eſt.

Quã laeta haec Priamus,ſi ſenſerit,ebibat aure.
Neque tamen hoc perpetuo uerum eſt:ſed plaerunque. Nihil enim prohibet interdum idem utile eſſe ijs, qui inter ſe diſſident. Vnde & illud

 prouer-

prouerbio iactatum eſt. Mala homines conciliant: cum idem utriſque damnoſum eſt. Et quod nimium eſſe nō poteſt, bonum eſt. quod autem iuſto maius eſt, malum. Et id cuius cauſa multi labores ſuſcepti, multi ſumptus facti sūt. Iam enim bonum uidetur, & putatur finis eſſe, ac multorum quidem finis. Finis autem, bonum eſt. Vnde, & haec dicta ſunt. Quàm ſe hoc iactarit Priamus. &, Turpe eſt & manſiſſe diu. Et illud prouerbium, Ad fores vrceum. Et id quod multi appetunt, & id quod uidetur dignum pro quo ſuſcipiantur contentiones. Quod enim appetunt omnes, bonum eſſe dicebamus. at multi pro omnibus habentur. Et quod laudabile eſt. nemo enim quod bonum non eſt laudat. Et id quod etiam hoſtes laudant. Nam pro eo eſt, ac ſi omnes ita eſſe fateantur: cū ij quoque quibus quis malū dedit agnoſcāt. Vidētur enim eo id fateri, quod res dubitationē nō habeat. Vt cōtra nihili ſint oportet, quos, & amici uituperāt: & inimici nō uituperant. Quocirca ſe Corinthij hoc Simonidis uerſu cōtumelia affectos putarunt:

Corinthijs autem Ilium haud iraſcitur.

Et quod quis aut prudentium, aut praeſtantium virorum, aut mulierum iudicio ſuo alijs antepoſuit: vt Minerua Vliſſem, Theſeus Helenā, Deae Alexandrum, Achillem Homerus. omninoque ea quae alijs conſulto anteponuntur. Conſulto autem in rebus agendis anteponunt, & ea quae diximus: & quae hoſtibus mala ſunt, & quae

amicis

amicis bona. Et quae fieri poſſunt. Fieri autem poſſe dicuntur duobus modis: tum ea quae quoquo modo, tum ea quae facile fieri poſſunt. Factu autem facilia ſunt, quaecunque aut ſine moleſtia, aut breui tẽpore. Difficultatem enim aut moleſtia, aut temporis diuturnitate metimur. Et ſi vt volunt. volunt autem aut ſine ulla mali admiſtione, aut ita ut bonum malo facile praeponderet. Id autem erit, ſi poena, aut lateat, aut parua ſit. Et propria. Et quae nemo alius obtinet. Et eximia. ita enim maior eſt honos. Et quae ſibi conueniunt, atque apta ſunt. Talia autem ſunt, quae ſunt nobilitati, ac potentiae ſuae accommodata. Et quae ſibi deeſſe putant: etiam ſi exigua ſint. nihilo enim minus ea ſibi comparanda eſſe arbitrantur. Et quae facile ad exitum adduci poſſunt. non enim tantum fieri, ſed & facile fieri poſsũt. Talia autem ſunt, quae aut omnes, aut plaerique, aut eiuſdem ordinis, aut etiam inferiores ex animi ſententia cõfecerunt. Et quae amicis grata, inimicis moleſta fore norunt. Et quaecunque ſibi conciliare ſtudent ij, quos ipſi admirãtur. Et ad quae natura facti, quorumq. periti ſunt. Facilius enim ea ſibi ſucceſſura putant. Et quae nemo abiectus ac parui pretij. Laudabiliora enim ſunt. Et quae concupiſcunt. Quod enim quis cupit, non iucundum modo, ſed & melius videtur. & maxime quique ea, ad quae natura propenſi ſunt: ut qui victoriae cupidi, ſpe uictoriae: qui honoris

cupidi, honore: qui pecuniae, pecunia propoſita, alijque eodem modo commouentur. De bono igitur, & de vtili hinc argumenta ducenda ſunt. Sed quoniam ſaepe accidit, vt cum vtraque utilia eſſe fateantur, vtrum vtilius ſit, controuerſentur, de meliore deinceps, & vtiliore dicendum fuerit. Ponamus igitur praeſtare quidem id dici, quod & alterum tantum eſt, & eo amplius: ſuperari autem id, quod in altero ineſt. Ponamus item, maius, ac plus ſemper referri ad id quod minus eſt: magnum autem, & paruum, itemque multum, & parum dici habita ratione vſitatae magnitudinis, ac multitudinis. & eam quidem quod ſuperat, magnum, quod autem ab ea abeſt, paruum vocari, & multum, ac parum eodem modo. Quoniam igitur bonum eſſe dicimus, tum id quod ſuapte cauſa, ac non alterius, expetendum eſt, tum id quod omnia appetunt, appeterentue ſi mens eis, ac prudentia accederet, & quod habet vim efficiendi, ac cōſeruandi talia, & quo poſito talia conſequuntur: finis autē eſt id quo cetera diriguntur, & viciſſim id, quo cetera diriguntur, eſt finis: cuique autem bonum, id quod ita affectum eſt ad ipſum: neceſſe eſt, & plura vno, & paucioribus, ſi modo id vnum, aut haec pauciora in illis pluribus connumerentur, maius bonum eſſe. Inſunt enim. At id quod in altero ineſt, ab eo ſuperari docuimus. Itemque ſi quod maximū eſt aliquo in genere, praeſtat ei, quod in al-

in altero maximum eſt: illud quoque ſimpliciter huic praeſtat: itidemque, ſi quod genus ſimpliciter alteri praeſtat, praeſtabit etiam id quod in illo genere maximum eſt, ei quod in altero maximum. Vt ſi maximus vir maxima muliere maior eſt, ſequitur, ut & uiri omnino mulieribus maiores ſint. itemque ſi uiri omnino mulieribus maiores, ut maximus uir maxima muliere maior ſit. Generum enim, & eorum quae in quoque genere maxima ſunt exuperantiae, eadem inter ſe proportione reſpondent. Maius quoque illud eſt, quo poſito alterum ſequitur: cum tamen ipſum, altero poſito, non ſequatur. Sequi autem dicitur aut ſimul, aut deinceps, aut poteſtate. Nam eius quod ſequitur vſus eſt in illo altero. Sequitur autem ſimul quidem, ut, qui bene ualet, ſequitur, ut & uiuat: cum tamen viuere poſſit, neque bene ualere. Deinceps autem: vt diſciplinam, ac ſtudium ſcientia. Poteſtate autem, vt ex ſacrilegio furtum. Qui enim ſacrilegium fecit, etiam furtum fecerit. Et quae cum eodem collata, maiori parte vincunt, ipſa quoque maiora ſunt. Neceſſe eſt enim, vt & illud ſuperent, quod tertio illo maius eſt. Maiora ſunt etiam quae maioris boni efficientia. Hoc enim eſt, maius, vt efficiens, eſſe. Itidemque maius eſt id, cuius cauſa efficiẽs maior eſt. Si enim id quod bonam valetudinem efficit, praeſtat ei, quod voluptatem: ſequitur ut & bona ualetudo praeſtet uoluptati. Et id quod magis propter ſe

expetendum eſt,eo,quod non propter ſe. Vt robur melius eſt re aliqua ſalubri. Nam haec non propter ſe, at illud propter ſe expetitur: quam boni naturam eſſe diximus. Et ſi alterum quidem finis ſit,alterum autem nõ.Hoc enim propter aliud expetitur:illud propter ſe. vt exercitatio ad bonam valetudinem refertur. Et quod minus indiget aut alio,aut alijs. quod enim tale eſt,magis ipſum ſibi ex ſe ſuffi cit. Minus autem indiget,quod indiget aut paucioribus, aut facilioribus. Et cum hoc quidem ſine illo, aut non eſt,aut ne contingere quidem poteſt: at illud ſine hoc poteſt. magis enim ſe contentum eſt id, quod alio non indiget: itaque maius bonum videtur.Et ſi illud quidem principium ſit,hoc autem non. Et ſi alterum cauſa ſit, alterum non ſit: eandem ob cauſam. Nam ſine cauſa, ac principio neque eſſe, neque fieri quidquam poteſt. Et ſi duo principia ſint,quod à maiore principio eſt,maius. Et ſi duae cauſae, quod ex maiore cauſa efficitur,maius. Contraque ex duobus principijs, quod maioris principium eſt, maius: & è duabus cauſis, quae maioris efficiens, maior. Conſtat igitur ex ijs, quae diximus,utroque modo poſſe aliquid maius uideri. nam, & quod principium eſt, eo quod non eſt; & quod non eſt, eo quod eſt, maius uideri poteſt. Finis enim maius quiddam eſt; cum tamen principium non ſit. Vt Leodamas Calliſtratum accuſans, maiorem culpam eſſe dicebat eius qui

qui conſilium dediſſet, quam quifacinus perpetraſſet. neque enimfuturum fuiſſe, ut fieret, niſi conſilium anteceſſiſſet. At rurſus accuſans Chabriam, grauiorē eſſe iniuriam eius qui feciſſet, quam eius, qui conſilium dediſſet. nihil enim nociturum fuiſſe conſilium, niſi qui illud exequeretur, extitiſſet. nam, & omnem deliberationem ad agendum referri. Et quod rarius eſt, praeſtat ei, cuius copia ſuppetit: ut aurum ferro: cum minus utile ſit. Aeſtimationem enim ei adijcit difficultas; Alio autem modo id, cuius magna copia eſt, ei, quod rarum eſt. maiorem enim vſum praebet. & plus eſt ſaepe, quàm raro. vnde dictum eſt, aquam rerum omnium optimam eſſe. Omninoque quod difficilius eſt, praeſtat faciliori. rarius enim eſt. At alio modo quod facilius eſt, difficiliori. Ita enim ſe habet, vt volumus. Et cui quod aduerſatur maius eſt. Et quo priuari, maius. Et uirtus maior eſt eo, quod virtus nō eſt: & uitium maius eo quod non eſt uitiū. Altera enim fines iam ſunt, altera nōdū ad finē perducta ſunt. Et quorū opera pulchriora, aut turpiora, maiora etiā ipſa ſunt. Maiora ſunt etiā, quae à maioribus virtutibus vitijs vè proficiſcuntur. Quae enim cauſarū, ac principiorū, eadē etiā eorū quae ex ipſis eueniūt viciſſimq. quae horū, eadē illorū etiā ratio eſt. Et quibus excellere maius, aut pulchrius eſt. Exēpli cauſa pluris eſt acutiſſime videre, quā ſagaciſſime odorari. nā & uiſus odoratui praeſtat. & ſodaliū

amantem eſſe, quàm amantem pecuniae, pulchrius. itaque & ſtudium erga ſodales ſtudio pecuniae praeſtat. Et contra quae meliora, & pulchriora ſunt, eis excellere maius eſt, ac pulchrius. Et quorum cupiditates pulchriores, melioreſque ſunt. Maiora enim quae ſunt, maiorẽ cõmouent appetitionẽ ſui. Et quae pulchriora, ac meliora ſunt, eorum pulchriores, ac meliores ſunt cupiditates, eandem ob cauſam. Et quae ſcire pulchrius eſt, ac ſtudio dignius, ea quoque ipſa pulchriora, & ſtudio digniora sũt. Quae enim ſcientiae, eadem ueri ratio eſt. Verũ autẽ illud quod ad ſe pertinet, ſciẽtia quaeq. pertractat. Et quae ipſa ſtudio digniora, ac pulchriora ſunt, eorum etiam ſcientia proportione ſtudio dignior, ac pulchrior eſt, ob eadem illa quae diximus. Et quod maius bonum iudicarent, aut iudicarunt prudentes uel omnes, uel multi, vel plures, vel praeſtantiſſimi, id neceſſe eſt ita ſe habere, aut ſimpliciter, aut ſi pro ſua prudentia iudicarunt. Atque hoc etiam in alijs rebus communiter dici poteſt. Nam, & quid, & quantum, & quale ſit, intelligentium, ac prudentium iudicio ſtandum eſt. ſed nos de bonis modo id diximus. Definitum eſt enim bonum id eſſe, quod, ſi prudentia rebus ipſis tribueretur, vnaquaeque illarum expeteret. ex quo perſpicuum eſt, id quoque maius bonum eſſe, quod prudentia magis expetendum eſſe dictat. Et quod ineſt melioribus, aut ſimpliciter, aut quatenus

tenus meliores ſunt. vt fortitudo viribus corporis. Et quod praeoptaret qui melior eſt, aut ſimpliciter, aut quatenus talis eſt: vt iniuriam accipere potius quàm facere. Id enim iuſtiſſimus quiſque maluerit. Et quod ſuauius eſt, eo quod minus ſuaue. Voluptatem enim ſequuntur omnia: & hoc ipſum voluptate affici propter ſe appetunt. Boni autem, & finis eam eſſe naturam diximus. Suauius autem eſt, cui minus admixtum eſt moleſtiae, & ex quo diuturnior percipitur voluptas. Et quod pulchrius eſt, quã quod minus pulchrum. Pulchrum enim eſt, aut quod ſuaue eſt, aut quod propter ſe expetendũ. Et quorum aut ipſi ſibi, aut amicis cauſam eſſe ſe malunt, ea maiora bona ſunt, quorum autem minime, maiora mala. Et diuturniora breuioribus; & ſtabiliora infirmioribus. Superat enim vſus, illorum quidem, tempore: horum autem, voluntate. Firma enim magis eis adſunt, cũ volunt. Et quemadmodum fuerit vnum ex coniugatis, aut ſimilibus caſibus, cetera etiam conſequuntur. Exempli cauſa: ſi fortiter, pulchrius, & magis expetendum eſt, quam temperanter, fortitudo quoque magis expetenda eſt, quam temperantia: & fortem eſſe, quàm temperantem. Et quod omnes expetunt, eo quod non omnes. Et quod plures, eo quod pauciores. Nam bonũ eſſe dicebamus, quod omnes expetunt. melius igitur quod magis. Et quod qui cõtrouerſantur, aut hoſtes ſunt, aut quorum ea de re iudicium

eſt,

eſt, aut quos ipſi recte iudicare poſſe iudicant. Nam illud quidem perinde eſt, ac ſi omnes ita iudicent: hoc autem, vt ſi ij penes quos arbitriũ eſt, & intelligentes. Atque interdum quidem id cuius omnes participes ſunt, maius videtur. Ignominia enim quaedam eſt non participare. Interdum autẽ id cuius aut nemo, aut pauci. rarius enim eſt. Et quae laudabiliora ſunt. nam eadem ſunt etiam pulchriora. Et quibus maiores honores habentur. honos enim quaſi aeſtimatio quaedam eſt. Et quibus maiores poenae ſunt conſtitutae. Et quae maiora ſunt ijs, quae omnium conſenſu atque opinione magna habentur. Fit etiã, vt quae per partes explicantur, eadẽ maiora videantur. Plurium enim exuperantia videtur. Vnde, & Poeta perſuaſiſſe ait vxorem Meleagro, vt excitaretur, dicentem.

Quaecunque in capta vis cernitur vrbe malorũ.
Intereunt ciues. vrbem depaſcitur ignis.
Abducunt alij natos, matreſque decoras.

Componendo etiã, quaſique inaedificando res augentur: vt facit Epicharmus: tum ob eandem cauſam, qua fit, vt creſcant, cum per partes explicantur: videtur enim compoſitio magnam exuperantiam indicare: tum quia principium & cauſa magnarum rerum videtur. Quoniam autem quod difficilius eſt, quodque rarius, maius eſt: fit vt occaſiones, & aetates, & loca, & tempora, & facultates magnitudinẽ rebus concilient. Nam & ſi ſupra vires, & ſi ſupra aetatẽ, & ſi

& ſi ſupra eos qui eiuſdem ordinis ſunt, & ſi hoc modo,aut hoc loco, aut tempore, haec omnia magnitudinem habent,& in rebus pulchris & bonis, & iuſtis, et contrarijs. Vnde & illud Epigramma eſt in Olympionicen.

Haud ita pridem humeros corbis mihi dura premebat,

Ex Argo piſces cumveherem in Tegean.

Et Iphicrates ſe ipſum depraedicabat his verbis: Ex quibus ad haec perueni? Et quod naturale eſt, adquiſito. difficilius enim eſt. Vnde,& poeta dicit:

Ipſe ego me docui.

Et maxima pars eius quod ipſum magnum eſt. Vt Pericles in laudatione funebri, Iuuentutem ex ciuitate, ita ſublatam, vt ſi ver ex anno tolleretur. Et quae vſui ſunt in maiore indigentia,vt quae in ſenectute morbiſue tribuũtur. Et è duobus quod propius accedit ad finem. Et quod ipſi bonum eſt, quam quod ſimpliciter bonum. Et quod fieri poteſt, eo quod nõ poteſt. Illud enim ipſi vtile eſt, hoc non item. Et ea quae in ipſo uitae fine ſunt. magis enim ſunt fines. Et ea quae ad finem accedunt. Et quae ad ueritatem referũtur potiora ſunt ijs quae ad opinionem. Definitio autem eius quod ad opinionem refertur haec eſt; quod non optaret quis, ſi futurum eſſet ut lateret. Quocirca & beneficium accipere uideri poteſt magis expetendum, quàm tribuere. Nam illud optabit aliquis, etiam ſi nemo

reſciturus ſit: at beneficium dare qui velit, ſi futurum ſit, vt id omnes lateat, non ſane facile reperietur. Et quaecumq. eſſe uolũt potius, quàm videri. talia enim magis referũtur ad veritatẽ. Vnde & iuſtitiã puſillum quiddã eſſe aiũt: quod videri iuſtum, quàm eſſe praeſtet. At de bona valetudine non idem dicunt. Et quod ad multa vtilius eſt, vt ad viuendum, ad bene viuendum, ad uoluptatem, ad res pulchras gerendas. Vnde, & opes, & bona valetudo in maximis rebus habentur: omnia enim haec in ſe continent. Et cui minus moleſtiae adiunctũ eſt: & cui comitatur uoluptas. Plura enim ſunt vno: cũ & voluptas bonũ ſit, & doloris vacuitas. Et e duobus id quod eidẽ adiectũ, totũ ipſum efficit maius. Itẽ quae cum adſunt non latent, maiora ijs quae latent. Ea enim tendunt ad veritatem. Quocirca diuitem & eſſe, & videri, maius bonum videri poteſt, quam diuitem eſſe. Et quod carum, & amabile eſt, huic quidem ſolum, aliis autem non ſolum. Quocirca non par poena legibus conſtituta eſt, ſi quis oculum effodiat ei, qui vnicum habet, & ſi ei qui duos. Illi enim ablatũ eſt, quod vnum ac ſolum carum habebat. Vnde igitur ducenda argumenta ſint & ad ſuadendum, & ad diſſuadendum, fere dictum eſt. Maximum autẽ, & potentiſſimum ad perſuadendi facultatem, & ad bene dandum conſiliũ eſt, formas omnes rerump. animo comprehenſas habere; & cuiuſque mores, & leges, atque inſtituta, & quid cui-

que

que earũ vtile ſit, poſſe diſtinguere. Parent enim omnes ei, quod vtile eſt. Vtile autem eſt id, quod conſeruat reip. ſtatum. Praeterea ratum eſt, & dominatur in ciuitate id, quod pronuntiauerint ij penes quos ſumma rerum eſt. Varium autem id eſt pro varietate rerum publicarum. quot enim Reipublicae genera ſunt, totidem ſunt ea quae in quaque dominantur. ſunt autem reip. genera quattuor: populi poteſtas, dominatus paucorum, poteſtas optimatium, & monarchia. Itaque quod in ciuitate dominatur, ac decernendi poteſtatem obtinet, horum aut aliqua pars, aut totum aliquid ſit, neceſſe eſt. Status autem popularis eſt, Reſpub. in qua ſorte diſtribuuntur magiſtratus. Paucorum poteſtas, in qua ex cenſu. Optimatium, in qua ex inſtitutione, & diſciplina. Inſtitutionem autem eam dico, quae lege conſtituta eſt. Qui enim conſtanter manſerunt in ijs quae legibus conſtituta ſunt, in poteſtate optimatium imperant. Neceſſe eſt autẽ eos optimos videri. vnde & ſtatus ille nomen hoc conſecutus eſt. Monarchia autem eſt, vt nomine ipſo indicatur, in qua penes vnum ſunt omnia: eaque vel regnum, ſi certo ac definito ordine res gubernentur, vel, ſi infinite, atque interminate omnia vni permiſſa ſunt, tyrannis. Neque ignorãdus eſt ſuus cuiuſque Reip. finis. ea enim ſectantur, quae ad finem pertinent. Eſt autem populari quidem ſtatui propoſitus finis, libertas: paucorum dominatui, diuitiae: optimatium

matium poteſtati ea quae ad inſtitutionem, & ad obſeruationem eorum quae legibus ſancita ſunt, pertinent. Regno ex legibus praeeſſe: tyrannidi cautio, ac cuſtodia. Conſtat igitur diſtinguendum eſſe, qui mores, quae leges cuique earum conueniant: quaeque cuique vtilia ſint: quando ad eum finem omnia referentes, ſingula perſequuntur. Ac quoniam non ea tantum oratione fit fides, quae argumentis nititur, ſed etiam ea qua dicẽtis mores exprimuntur, credimus enim, quòd talem eſſe eum qui dicit opinamur, ideſt virum bonum, aut beneuolentem, aut vtrunque: nobis quoque tenendi ſunt mores cuiuſque ciuitatis. nam in quacunque rep. mores ipſius maximam vim ad perſuadendum habeãt, neceſſe eſt. Illi vero qui ſint, ex ijs ipſis, quae ſupra diximus, intelligetur. Nam mores quidem facile cognoſcuntur ex ijs quae quis in rebus agendis potiora iudicat. delectus autem ille, & conſilium ad finem refertur. Quaenam igitur ſibi proponere debeant ij, qui ſuadent vt futura, aut quae iam ſint: & vnde ſumenda ſint, quibus fides fiat aliquid vtile eſſe, itemque de moribus, & inſtitutis cuiuſque reip. quomodo vberem eorum cognitionem nobis parare poſſimus, dictum eſt, quantum temporis ratio poſtulare videbatur. accuratius enim de hoc toto genere in politicis diſputatum eſt. Sequitur nunc vt de virtute, & vitio, deque pulchro, ac turpi diſſeramus. hi enim fines propoſiti ſunt laudanti, ac

ti, & vituperanti. Nam his de rebus diſputantes, eadem opera oſtendemus, quomodo conſequi poſſimus, vt qui audiunt, nos ita moratos eſſe iudicent: quam faciendae fidei ſecundam rationẽ eſſe dicebamus. Eadem enim ſunt quibus, & nobiſmetipſis, & alij fidem ex opinione virtutis conciliare poterimus. Quoniam autem euenit, vt & ioco, & ſerio ſaepe laudemus non hominem modo, aut Deum, ſed & inanima, & animal quodlibet: eodem modo nobis pronuntiata quaedam de eis tenenda ſunt. Itaq. quantum ad rem indicandam ſatis eſt, de ijs quoque dicamus. Pulchrum igitur eſt, quod cũ propter ſe expetendum ſit, laudabile eſt. Aut quod, bonum cum ſit iucundũ eſt eo ipſo quod bonum, Quod ſi id pulchrum eſt, neceſſario efficitur, virtutem pulchrũ quiddam eſſe. eſt enim & bonum quiddam, & laudabile. Virtus autem eſt, vt uidetur, facultas parandi, & conſeruandi ea quae bona ſunt, & facultas multa, magnaque beneficia tribuendi. idque ad omnia manat, ac pertinet. Partes autem virtutis, iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnitudo animi, liberalitas, clementia, prudentia, ſapientia. Neceſſe eſt autẽ eas maximas eſſe virtutes, quae alijs vtiliſſimae ſunt: ſi quidem virtus eſt facultas benefaciendi. Atque haec cauſa eſt, cur iuſti ac fortes maximo in honore ſint, altera enim in bello vtilis eſt, altera in pace. Deinde liberalitas, proijciunt enim pecuniam liberales, neque de ea dimicãt: quam

ceter

ceteri concupiſcunt. Eſt autem iuſtitia quidem virtus, qua fit vt ſuum quiſque ex legis praeſcripto teneat. Iniuſtitia vero, qua aliena praeter legem detinentur. Fortitudo autem, qua prompti ſunt ad pulchra facinora in periculis edenda, & vt lex iubet: cuius ad iuſſa perpetuo parati ſunt. Huic timiditas aduerſatur. Temperantia virtus, qua ad uoluptates corporis ita affecti ſunt, vt lex iubet. Huic aduerſatur intemperantia. Liberalitas, quae pecunijs ad benefaciendũ vtitur. illiberalitas autem contra. Magnitudo animi, quae in rebus magnis ad aliorum beneficiũ pertinentibus cernitur. Magnificentia quae in ſumptibus faciendis magnitudinem, ac ſplendorem ſequitur. Eis autem aduerſatur paruus, & anguſtus animus, & ſordida quaedã in ſumptu faciendo parſimonia. Prudentia autem virtus eſt mentis, qua fit vt bene deliberare poſſint de bonis maliſque rebus, quas diximus ad beatam vitam pertinere. De virtute igitur ac vitio vniuerſe, itemque de vtriuſque partibus, quantum huic inſtituto ſatis eſt, diximus. Quibus cognitis, non magna erit in ceteris difficultas. Conſtat enim, & ea quae virtutis efficiẽtia ſunt, neceſſario pulchra eſſe: ad virtutẽ enim tendũt: & ea quae à virtute proficiſcuntur. Talia autem ſunt tum ſigna virtutis, tum opera. Quando autẽ ſigna, & quaecunq. talia ſunt quae quis ex virtue aut fecit, aut excepit, ac perpeſſus eſt, pulchra ſunt, neceſſe eſt, tũ quaecunq. fortitudinis,
aut

aut opera, aut ſigna, aut fortiter facta ſunt, pulchra eſſe: tum quae iuſta, & quae iuſte facta: non etiam quae quis iuſte perpeſſus eſt. In hac enim vna ex omnibus virtutibus non ſemper pulchrum eſt, iuſte aliquid excipere, ac perpeti: immo vero poena iuſte affici turpius eſt, quam iniuſte. Et in ceteris virtutibus eodem modo. Pulchra ſunt etiam ea, quibus pro praemio propoſitus eſt honos. Et quibus honos magis quàm pecunia. Et quae cum expetenda ſint, non ſua cauſa quis facit. Et quaecunque quis, propria vtilitate neglecta, pro patria fecit. Et quae ſimpliciter bona ſunt. Et quorum fructus non ad ipſum peruenit qui ea facit. Talia enim videtur cauſa ſua facere. Et quae mortuo potius quam uiuo tribui ſolent. Nam quae viuo tribuuntur, magis eſt ut ea ſua quiſque cauſa ſuſcipere videatur. Et quaecunque opera ad aliorum commodum pertinent. minus enim ea referre ad ſe is qui agit videtur. Et quaecunque beneficentiae munera in alios exercentur, ita vt ad ipſum non pertineāt. Et quae in eos, qui beneficio prouocarunt. iuſtum enim eſt. Et beneficia: non enim ad eum, qui dat, pertinent. Et contraria illorum, propter quae erubeſcunt. Turpia enim, & dicentes, & facientes, & meditātes erubeſcunt. Quod & Sappho oſtendit his verſibus. cum enim dixiſſet Alcaeus:

Fari volo: ſed me prohibet pudor:

Illa ita reſpondit:

Si quidquam honeſti mens ferat, ac boni :
Nec lingua quidquam turpe paret tua :
Nullo impedireris pudore,
Sed facile eloquere honeſta .

Et ea pro quibus ſine vllo timore decertant . ita enim afficiuntur , vbi quid agitur eorum , quae ad gloriam ferunt. Et quae natura praeſtantiora ſunt,eorum virtutes, & opera pulchriora; vt viri quam mulieris . Et quorum fructus ad alios potius,quàm ad ipſos, peruenit . Vnde & quod iuſtum eſt,& iuſtitia pulchrum quiddam eſt. Et ab inimicis poenas ſumere potius , quàm cum eis tranſigere. Nam,& iuſtum eſt,quod acceperis,viciſſim referre:iuſtum autem quod eſt,pulchrum eſt : & fortis animi eſt non vinci . Et victoria,& honos in rebus pulchris ſunt. Nam & expetenda ſunt , cum fructum nullum afferant, & virtutis exuperantiam oſtendunt. Et quae facile in hominum memoria haerent . Et quo quidque magis tale eſt,eo pulchrius . Magis autem ea quae etiam mortuum ſequuntur. Et quibus honos coniunctus eſt.Et quae eximia ſunt, quaeque vnius propria , pulchriora . Facilius enim in memoria haerent. Et poſſeſſiones , ex quibus nullus fructus percipitur . ſunt enim liberaliores. Et quae proprie apud quemque populum pulchra habentur:& quaecunque ſigna ſunt eorum, quae apud quoſque laudantur . Vt Lacedaemone comam alere pulchrum eſt . Libertatis enim ſignum eſt : quoniam facile non

eſt,

eſt, vt quiſquam cui prolixa coma ſit, vllnm ſeruile munus obeat. Et nullam artem ſordidam exercere. liberi enim hominis eſt, non viuere alijs ſeruientem. Sumere etiã oportet quae vicina ſunt ijs quae in quoq. inſunt, tanquã eadem ſint: idque tum ad laudem, tum ad vituperationem. Vt eum qui cautus, & in rebus gerendis frigidus eſt, timidum, & inſidiatorem: eum qni fatuus eſt, virum bonum: eum qui nihil ſentit, lenem: ac denique ea quae quemque conſequuntur. ſemper in meliorem partem detorquebimus. Vt iracundum, ac furioſum, ſimplicem vocabimus: arrogantem, magnificum, ac grauem: & eos qui modum tranſeunt, tanquam virtutibus praeditos. Vt audacem vocabimus fortem, & prodigum, liberalem. Nam & multis ita videbitur: & vim habet ſubdolae, ac fallacis concluſionis ex cauſa. Si enim extra vllam neceſſitatem ad ſubeunda pericula promptus eſt, multo magis videri poteſt eodem animo, vbi id honeſtas exigit. & ſi ſua quibus libet dilargitur, multo magis amicis. Eſt enim quaedam praeſtantia virtutis, omnibus benefacere. Videndum etiam illud eſt, apud qnos laudemus. Vt enim Socrates dicebat, audientibns Athenienſibus Athenienſes laudare, difficile non eſt, Ac quae apud quoſque magni fiunt, de eis ita diſſerendum, ac ſi magnifacienda eſſent. vt inter Scythas, aut Lacedaemones. Omninoque quod in pretio eſt eo perducere, vt & pulchrum ſit. Vi-

dentur enim haec vicina eſſe. Et quaecunque ita vt conueniebat geſta ſunt. Vt ſi quis digna maioribus ſuis geſſit, & ijs ornamentis quae prius in ipſo inerant. Nam,& in magna felicitatis parte ponendum, & honeſtum eſt, relictam ſibi à maioribus, aut à ſe antea partam gloriam aliqua acceſſione cumulare. Et ſi quid melius, ac pulchrius actum eſt, quàm conuenire videbatur. Vt ſi quis in proſperis quidem rebus moderato, in aduerſis magno, & excelſo animo, aut potentior effectus, tanto aequior, ac placabilior fuerit. Quale eſt illud Iphicratis: Ex qualibus ad qualia perueni? & illud Olympionicae:

Haud ita pridem humeros corbis mihi dura premebat.

Et illud Simonidae:

Quae patremque virumque & fratres nacta tyrannos.

Quando autem laus ex actionibus oritur: proprium autem eſt viri boni, conſulto agere; conandum eſt, vt quod actum eſt, conſulto actum eſſe doceamus. Quã ad rem vtile fuerit, ſi quis idẽ ſaepius egiſſe videatur Quocirca & ea quae contigerunt, quaque fortuito euenerunt, ita ſumenda ſunt ac ſi cõſulto facta ſint. Nam ſi multa, & conſimilia proferantur, id argumentum virtutis uidebitur:& tale vt ex eo colligatur, cõſulto facta eſſe. eſt autem laus oratio, quae magnitudinem virtutis declarat. oſtendendum igitur

tur eſt, tales eſſe actiones. Encomium autem operum eſt. ea vero quae extra ſunt, adſumūtur ad fidem: ut nobilitas, ut educatio. Conſentaneum enim eſt, ex bonis bonos oriri, & eum qui ita nutritus ſit, talem eſſe. Quocirca etiam encomijs celebramus eos qui iam aliquid tale geſſerunt. Nam quo quiſque ſit animi habitu, operibus indicatur. Etenim eum quoque laudaremus qui nihil tale fecit: ſi certo talem eſſe eum crederemus. Iā macariſmos, & eudaemoniſmos (ſignificatur his uocibus oratio, qua quempiā, ut felicem ac beatum depraedicamus) illa igitur ſunt quidem inter ſe eadem. ſed alia ab ijs de quibus modo explicatum eſt. Nam ut uirtutē felicitas continet, ſic illa in eudaemoniſmo cōtinentur. Communis autem forma, ac ratio uidetur laudis, & conſilij. Nā que in conſilio dando praeciperes, ea, mutato tantum orationis genere, encomia fiunt. Quando igitur quae facere & qualem eſſe uirū bonum oporteat, tenemus: haec quaſi praecepta, tradentes, inflectere, atq. immutare oportet ipſo genere dicendi. Exempli cauſa. Magno quemque, & excelſo animo eſſe oportet, non fortunae bonis fretum, ſed ſuis. Hoc ita dictum praecepti uim habet. laudis autem, hoc modo. Magno, & excelſo animo eſt, nō fortunae bonis fretus, ſed ſuis. Itaque cum quēpiam laudare uis, uide, quid ei praeciperes, & cū praecipere, quid laudares. Genus autem dicendi neceſſario aliud, atque aliud erit: cū oratio qua

quid vetatur,in eam qua nihil vetatur commutata fuerit. Vtendum eſt etiam multis eorum, quae ad augendũ valent: vt ſi ſolus; aut primus, aut eum eius facti ſocios non multos habeat, aut ſi maxime, ac praecipue aliquid geſſit. Omnia enim haec pulchra ſunt. Ex temporibus quoque,& rerum momentis ad laudãdum multa ducuntur. Vt ſi quid fecit ſupra quam ab eo expectari poſſe videbatur: & ſi ſaepe eadem in re bene ſe geſſit. Magnũ enim, neque fortuito, ſed ipſius virtute, atque induſtria factum videtur. Et ſi quae ad incitandum, aut honorandũ valẽt,huius cauſa reperta, ac comparata ſunt. vt in quem primum encomium factum eſt: quod Hippolocho contigit:&vt primis Harmodio,& Ariſtogitoni ſtatuae ſunt in foro poſitae. Eademque in contrarijs ratio eſt. Quod ſi ex eo ipſo quem laudas ſatis tibi multa non ſuppetant, comparandus erit cum alijs. quod faciebat Iſocrates: vt qui tractandis iudicijs aſſuetus foret. Cum illuſtribus autem comparare oportet. Amplum enim quiddam, & praeclarum eſt, praeſtare praeſtantibus viris. Accommodata eſt autẽ amplificatio ad laudes. nã in exuperãtia eſt. exuperãtia nero e genere pulchrorũ eſt. Quare ſi cũ illuſtribus nõ liceat, certe tamen cum alijs comparare oportet: cum exuperantia ipſa virtutem indicare videatur. Omnino autem formarum quae omnibus orationum generibus communes ſunt, amplificatio quidẽ epidicticis accommoda-

modatiſſima eſt. Actiones enim ſibi ad tractandum ſumunt eas, de quibus nulla dubitatio eſt: vt nihil aliud requiratur, quàm vt augeantur, & exornentur. Exempla autem deliberatiuis. nam ex praeteritis tanquam vaticinantes, de futuris iudicamus. Enthymemata vero iudicialibus. Cauſam enim, & demonſtrationem maxime recipit id quod actum eſt, cum obſcurũ ſit. Vnde igitur laudes, ac vituperationes omnes fere ducuntur; & in quae intueri oportet eos qui laudant ac vituperant, & vnde tum encomia, tum probra oriuntur, haec fere ſunt. His enim cognitis etiam contrariorum natura perſpici poteſt. Ex contrariis autem vituperandi argumenta ſumuntur. Sequitur nunc vt explicemus, in accuſando, & defendẽdo vnde ſyllogiſmos erui oporteat. Conſideranda autem ſunt tria; vnum, quae quotque ſint ea, quibus ad inferendam iniuriam impelluntur: alterum, quomodo ipſi affecti: tertium autem, quibus, & quomodo affectis. Explicemus igitur haec deinceps, ſi prius definierimus, quid ſit iniuriã facere. Sit igitur iniuriam facere, ſponte laedere aduerſus legem. lex autem alia propria eſt, alia communis. Voco autem propriam quidem, ex qua ſcripto comprehenſa remp. adminiſtrant. Communẽ, quaecunque ſine ſcripto probari omnium gentium conſenſu videntur. ſponte autem faciunt, quaecunque ſcientes, & nõ coacti. Non autem quaecunque ſponte eadem & conſulto faciunt: at

quicquid conſulto, idem etiam ſcientes. Nemo enim id ignorat, quod conſulto facere inſtituit. Cur autem laedendi, & malefaciendi aduerſus legem conſilium capiant, duo haec ſunt, improbitas, & incontinẽtia Qui enim vitium aliquod habent, aut vnũ, aut plura, qua in re vitioſi ſunt, in ea ſunt etiam iniuſti. Vt auarus in pecunijs, intemperans in voluptatibus corporis, mollis in ignauia, timidus in periculis: metu enim adducti, ſocios periculi deſerũt. Ambitioſum honos, facilem ad iraſcendum ira, victoriae cupidum victoria, amarum, & iniuriae memorem vltio, ſtultum error in dijudicando iuſto, & iniuſto: impudentem exiſtimationis contemptus ad imponendam iniuriam impellit. eodemque modo qui ceteris vitijs laborant, ad quod quiſque fertur, id eum ad iniuriam adducit. Sed haec quidẽ facile intelligi poſſunt, tum ex ijs quae de virtutibus dicta ſunt, tum ex ijs quae de permotionibus animi ſuo loco dicturi ſumus. Reliquum eſt vt dicamus, cuius rei cauſa, & quomodo affecti, & quos iniuria afficiant. Primum igitur exponamus, quarum rerum aut appetitione, aut fuga ad faciẽdam iniuriam aggrediantur. Conſtat enim accuſanti quidem diligenter videndũ, quae, & cuiuſmodi ex ijs in aduerſario inſint, quorum cupiditate homines iniuriam aliis faciunt: defendenti autem, quae, quamque multa non inſint Omnes autem omnia faciunt, partim per ſe ipſos, partim non per ſe ipſos Atque

eorum

eorum quidem quae non per ſe ipſos, alia fortuito, alia neceſſario. Eorum autem quae neceſſario, alia quidem per vim, alia autẽ natura. Quare omnia quae non per ſe ipſos agunt, alia quidem fortuito, alia natura, alia autem per vim. Quaecunque autem per ſe ipſos, quorumque ipſi cauſae ſunt, alia quidem conſuetudine, alia vero appetitione. eorumque partim appetitione rationis participe, partim rationis experte. Eſt autem voluntas quidem appetitio boni cum ratione coniuncta. nemo enim aliud vult, quàm quod bonum putat. Appetitiones autem rationis expertes, ira & cupiditas. Ita quaecunque homines agunt, ob vnam, e ſeptem cauſis agant neceſſe eſt: fortunam, vim, naturam, conſuetudinem, rationem. iram, cupiditatem. Vlterius autem ac minutius ea diſtinguere, vt pro aetatũ aut habituum animi, aut aliarum rerum varietate, ſuperuacaneũ eſt. Non enim ſi euenit iuuenibus vt iracundi ſint, vtque cupiditatibus efferantur, idcirco cauſa eſt iuuentus cur talia faciant, ſed ira & cupiditas. Neque diuites, & egẽtes propter diuitias, aut paupertatẽ talia faciũt: ſed his quidem propter indigentiam euenit, vt pecuniam, illis autem propter facultates, ac copias, vt voluptates non neceſſarias concupiſcãt. ſed hi quoque agũt, non diuitijs, aut paupertate impulſi, ſed cupiditate. ſic & iuſti, iniuſtique, & alij qui ex habitibus nominantur, ijſdem impulſi cauſis agunt omnia. aut enim ratiocinatio-

ne, aut motu animi.ſed illi quidem bonis moribus, boniſque animi motibus, hi autem contraris. *E*uenit aũt, vt habituum varietatẽ conſimiles animorum motus conſequantur. Vt, ne longius abeamus, in eo qui temperans eſt, ipſa fortaſſe temperantia bonas opiniones, bonaſque cupiditates excitat de uoluptatibus: intemperãtis autẽ ijs ipſis de rebus contraria iudicia ſunt. Quare tales quidem diuiſiones praetermittendae ſunt: conſiderãdum autem eſt, quae quoſq. conſequi ſoleant. Nam albus quidem anater ſit aliquis, & procero an exiguo corpore, nihil ad hanc rem intereſt: neque definiri poſſunt vllae morum varietates, quae illas corporum diſſimilitudines cõſequi ſoleant. At iuuenis ſit quis an ſenex, iuſtus an iniuſtus: hoc iam intereſt. Omninoque quaecunq. ita eueniunt, vt varient mores eorum quibus eueniunt. Exempli cauſa: interit diues ſibi quis an pauper eſſe videatur, & aduerſa an proſpera fortuna vti. Haec igitur poſtea perſequemur. Nũc de reliquis primum diſſeramus. Fortunae tribuuntur ea, quorum indefinita cauſa eſt, quaeque non certae alicuius rei cau ſa fiunt, neque ſemper, neque plaerũque, neque ordinatim. de his autem ex ipſa fortunae definitione conſtat. Naturae, quorum & in ipſis cauſa eſt, & ordinatim. aut enim ſemper, aut plaerumque eodem modo eueniunt. ſi quidem quae eueniunt praeter naturam, ea accurate cõſiderare nihil neceſſe eſt, natura ne, an aliquam

aliam

aliam ob cauſam eueniant. Videri autem poteſt & fortuna talium cauſa eſſe. Vi fiunt, quae qui faciunt, contra quam cupiunt, aut contra quàm faciendum eſſe ſtatuunt, faciunt. Conſuetudine, quae eo faciũt, quia ſaepe fecerunt. Iudicio autẽ & inductione animi, quaecunq. ex ijs quae bona eſſe diximus, vtilia ſunt, aut vt finis, aut vt pertinẽtia ad finẽ: ſi quia proſunt, idcirco fiũt. Quaedam enim vtilia etiam intemperantes faciunt: cum tamen in eis non utilitatem, ſed voluptatẽ ſequantur. Per excandeſcẽtiam autem, & iram ea, quae ad vltionem pertinent. Intereſt autem inter vltionem & caſtigationem. Nam caſtigatio quidem refertur ad bonum eius, qui eam excipit: at vltio ad eum, qui poenas exigit: vt animus ipſi expleatur. Quas igitur circa res verſetur ira, conſtabit ex ijs, quae ſuo loco de motibus animorum dicturi ſumus. Per cupiditatem autem fiunt, quae ſuauia uidentur. Eſt autem id quoque cui aſſueuimus, inter ſuauia. Multa enim etiam eorum quae natura ſuauia nõ ſunt, vbi eis aſſueuerunt, eum voluptate faciunt. Denique, vt omnia ſummatim cõplectamur, quaecunque per ſe homines faciunt, aut bona ſunt, aut uidentur bona, aut ſuauia, aut videntur ſuauia. Quando autem quae per ſe faciunt, ſponte faciunt: non ſponte autem, quae non per ſe: ſequitur, vt omnia quae ſponte faciunt, aut bona ſint, aut videantur bona, aut ſuauia ſint, aut ſuauia videantur. Pono enim in bonis etiam depulſionem

ſionem malorum, aut eorum quae videntur ma la:itemq.commutationem maiorum in minora. haec enim quodammodo expetenda ſunt. Itidẽque liberationem ab ijs, quae aut moleſta ſunt, aut videntur: aut maiorum in minora commutationem, in rebus iucundis numero. comprehendendũ igitur eſt, quot quaeq. ſint tum vtilia, tum ſuauia. Ac de vtili quidem dictum eſt prius in deliberatiuis. De ſuaui autem nunc diſſeramus. Ijs autem in hac diſputatione, cuiuſque rei definitionibus contenti eſſe debemus, quae neque exquiſitae ſint, neque obſcurae. Poſitum ſit igitur a nobis, uoluptatem eſſe, motionem quandam animi, & ſubitam, quaeque ſenſu percipi poſſit, in ſtatu naturae conuenienti conſtitutionem. Moleſtiam autem contra. Quod ſi voluptas tale quiddam eſt, conſtat illud quoque, ſuaue eſſe id quod talis affectionis efficiens eſt: quod autem aut eam deſtruit, aut etiam contrariam conſtitutionem efficit, moleſtum. Neceſſe igitur eſt, plaerunque ſuaue eſſe, ad id quod naturae conſentaneum eſt tendere: maximeque cum quae ex natura fiunt, ſtatum illum naturae conuenientem recuperarint. Iucunda ſunt ea quoque, quibus aſſueuimus. nam, & tanquam naturale eſt id cui aſſuefacti ſumus: & naturae ſimile quiddam eſt conſuetudo. Etenim ſaepe, & ſemper, inter ſe vicina ſunt. natura autem eius eſt quod ſemper: conſuetudo eius quod ſaepe. Et quod violentum

tum non eſt. vis enim naturae aduerſatur: & neceſſitati adiuncta eſt moleſtia: recteque dictum eſt,

Nam quicquid facere eſt cuique neceſſe, graue eſt.

Neceſſe eſt etiam omnẽ diligentiam, & omne ſtudium, ac contentionem animi moleſtam eſſe. Neceſſaria enim, & violenta haec ſunt, niſi in conſuetudinem perducta ſint. tunc autem conſuetudo voluptatem efficit. Quae autem illis contraria ſunt, ſuauia. Quocirca & remiſſiones animi, & laborum uacationes, & negligentia, & ludi, & ceſſationes, & ſomnus in rebus ſuauibus ſunt. Vacant enim omnia haec neceſſitate. Et quicquid cupimus, ſuaue eſt. nam, & cupiditas eſt iucundi appetitio. Cupiditatum autem aliae rationis expertes ſunt, aliae cum ratione coniunctae. Rationis expertes voco, quae non ex opinione naſcuntur. Tales autem ſunt, quae naturales vocãtur: vt quae corporis ſunt: qualis eſt ſitis, & fames, & cuiuslibet alimenti generis cupiditas: eaeque omnes quae verſantur in ijs quae guſtando percipimus, & in rebus venereis, omninoque in ijs quae tangi queunt, & in odoratu, auditu, aſpectu. Cum ratione autem, quae eorum ſunt, quae homines ex aliqua perſuaſione concupiſcunt. Multa enim, & ſpectare, & poſſidere cupiunt, quòd aliquid de eis audierunt, ac ſibi perſuaſerunt. Quando autem voluptate affici in eo poſitum eſt, vt motus ali-

quis

quis ſentiatur, phantaſia autem imbecillus quidam ſenſus eſt, & phantaſia quaedam comitatur eum qui recordatur, aut ſperat, eius quod recordatur, aut ſperat: hoc poſito, conſtat, eos qui recordantur ſperant ve, voluptate quadam affici: quodãmodo enim ea ſentiunt. Itaque neceſſe eſt omnia ſuauia eo delectare, quod aut praeſentia ſentiantur, aut haereant in memoria, cum iam praeterierint, aut ſpe praecipiantur futura. Sentiunt enim homines praeſentia, praeterita meminerunt, ſperant autem futura. Iucunda autem ſunt recordatu, non ea tantum, quae cum praeſentia eſſent ſuauia erant, ſed & quaedam non ſuauia, ſi quid ex eis poſtea pulchri, ac boni conſecutum ſit. Vnde & illud dictum eſt.

Dulcis malorum eſt memoria, vbi illa effugeris.

Et illud:

Poſt mala namque viro quaedam eſt meminiſſe voluptas,

Quae paſſus, quanto exuderit quàm multa labore.

Eius autem rei cauſa eſt: quia ſuaue eſt, malo carere. Quae autem in ſpe ſunt, ita demum oblectant, ſi cum praeſentia erunt, magnam voluptatem, aut magnas vtilitates, aut ob omni moleſtia ſeiunctas allatura videantur. Omnino autem quorũ praeſentia, eorum & ſpes, & memoria plaerunque iucũda eſt. Ex quo fit, vt & iraſci ſuaue ſit: quomodo & Homerus de ira cecinit.

Cui

Cui liquidi mellis dulcedine ceſſerit humor.

Nemo enim iraſcitur ei, à quo nulla ratione putat euenire poſſe, vt poenas exigat. Ijs quoque, quibus ſe potentia, atque opibus multo eſſe inferiores vident, aut non iraſcuntur, aut minus. Et plaeriſque cupiditatibus voluptas quaedam comitari ſolet. Aut enim memoria repetentes, quomodo potiti ſint, aut ſe potituros ſperantes, voluptate quadam perfunduntur. Vt qui febricitant, ac ſiti torquentur, gaudent tum recordantes quomodo biberint, tum ſperantes fo ce vt bibant. ſic amantes cum perpetuo aut loquuntur, aut ſcribunt, aut verſus faciunt de amoribus ſuis, voluptatem ex eo ſentiunt. In his enim omnibus recordatione fit, vt id quod amant, ſibi etiam ſentire videantur. Immo vero in omnibus principium illud amoris eſt: cum alicuius non praeſentia tantum, ſed abſentis quoque memoria oblectantur. Itaque cũ etiam abſentia anguntur, plane amant. Luctibus quoque, & lamentationibus adiuncta eſt naturalis quaedam voluptas. Nam cum moleſtum ſit non eſſe amplius eum, qui lugetur: iucundum eſt eius recordari, eumque quodammodo intueri, & quae faceret, & qualis eſſet. vnde & illud dictum eſt.

Sic ait: & cunctis lugendi incuſſit amorem.

Dulce etiam eſt vlciſci ſe. Nam quod non conſequi moleſtum eſt, id conſequi dulce eſt. Qui autem iraſcuntur, ſi doloris ſui poenas repetere

non

non poſſint, incredibiliter cruciantur animo: gaudẽt autem ſpe vltionis. Iucundum eſt & vincere, non ijs modo qui victoriae cupidi ſunt, ſed omnibus. Nam qui vincit, hoc ipſo ſibi ſuperior videtur: quod quidem omnes cupiunt, aut remiſſius aut vehementius. Quando autem vincere iucundum eſt: neceſſe eſt, ſuaues etiam eſſe luſus in quibus decertatur, in quibus tibia canendo, diſputando vè contenditur. frequens enim in eis victoria eſt. & ludos talorum, & pilae, & aleae, ac teſſerarum. Idemque dicendum eſt de ludis paulo ſeuerioribus. Nam eorum quidam adhibita conſuetudine iucundi fiunt, quidam ſtatim iucundi ſunt. Vt venatio omniſque ars captandi feras. Vbi enim certamen eſt, ibi, & victoria. Vnde, & cauſarum iudicialium, & contentioſarum diſputationum iucunda tractatio eſt ijs, qui aſſueuerunt, quique in eis valent. Honos quoque & bona exiſtimatio e numero ſunt rerũ ſuauiſſimarum. talem enim ſe quiſque putat, qualem haberi uidet: & magni pretij eſſe: eo magis ſi id dicunt ij, quos ipſe vere ſentire arbitratur. Tales autem ſunt vicini magis, quàm qui procul habitant: & qui vna verſantur: & noti, & ciues magis, quã externi: & qui ſunt, quàm qui futuri ſunt: & prudentes, quàm imprudentes: & multi quàm pauci. Ab eis enim veriſimilius eſt vera dici. Quos autem quis valde contemnit, vt puerulos, ac beſtias, quo in honore, qua ue exiſtimatione apud eos ſit, non laborat: ipſius

ipſius quidem exiſtimationis gratia : ſed, ſi forte, ob aliud quippiam. Eſt & amicus in rebus iucundis. Nam & amare dulce eſt : nemo enim vinum amat, quin vino gaudeat: & amari. In eã enim opinionem adducitur qui ſe amari videt, vt bonum ſe putet: quodq́ omnes qui eius rei ſenſum aliquem habent, concupiſcunt. Amari autem eſt, ipſum propter ſe carum haberi. Iucundum eſt, & admirationi eſſe : quoniam id quoque ipſum honori eſt. Sed & adulatione permulceri iucundum eſt, & adulator ipſe iucundus. Speciem enim praebet admiratoris, & amici. Et eadem crebro facere dulce eſt. cui enim aſſueuimus, id ſuaue eſſe dicebamus. Et alia ex alijs mutare dulce. Mutando enim ad ſtatum naturae conuenientem perducimur: perpetuaq. eodem in ſtatu permanſio ſuperat habitum naturae conſentaneum. Vnde dictum eſt illud,

Rerum omnium iucunda commutatio eſt.

Propterea enim, & homines, & res ipſae iucundae interuallo temporis fiunt. mutatio enim illa quaedam eſt ex praeſenti ; ſimulque quod interiecto tempore fit, id raritas ipſa commendat. Et diſcere iucundum eſt : & admirari plaerunque. Nam in admiratione ineſt quaedam diſcendi cupiditas. Itaque quod admirabile eſt, commouet etiam cupiditatem ſui : diſcendo autem conſtituitur animus in ſtatu naturae conſentaneo. Et beneficium tribuere, & accipere, iucundum eſt. nam qui beneficium accipiunt, conſe-

quuntur id quod volunt: qui autem tribuunt, oſtendũt ſe habere,& ſuperiores eſſe: quae vtraque homines appetunt. Ac quoniam iucundum eſt bene alijs facere, fit vt iucundum quoque ſit, alios corrigere:& inchoata perficere. Itemque cum ſuaue ſit diſcere,& admirari: neceſſe eſt, vt & iucunda ſint ea,quibus imitatio aliqua continetur. qualia ſunt pictorum, & ſtatuariorum, & poetarum opera: & quicquid denique bene, ac ſcienter imitatum eſt: etiam ſi res ipſa,quae imitando efficta eſt,iucunda non ſit. Non enim eo gaudet: ſed quia ratiocinando colligit,hoc illud eſſe: ex quo euenit,vt aliquid diſcat. Et ancipites varijque caſus, & ſeruari ex periculis quae propemodum oppreſſerint: omnia enim haec admirationem habent. Quando autem quod naturae conuenit: ſuaue eſt: & quae eiuſdem generis ſunt, & inter ſe ſimilia, plaerunque iucunda ſunt: vt homo homini,equus equo, iuuenis iuueni. Vnde ducta ſunt & prouerbia: *Aequalis aequalem delectat*: &, *Vt ſemper ſimilem*: &

Leo leonem nouit, & lupus lupum.

Et,gracculus gracculo: & quaecunque alia eiuſmodi ſunt. Quoniam autem quicquid ſimile,& eiuſdem generis eſt, idem iucundum eſt: & ita quiſque maxime affectus eſt ad ſemetipſum: neceſſe eſt omnes aut magis, aut minus ſui amantes eſſe. omnia enim haec maxime inſunt cuique erga ſemetipſum. Et quando omnes ſui aman-

amantes ſunt: neceſſe eſt, ſua cuique iucunda eſſe: vt opera, vt orationes. Quocirca & adulatorum amantes plaerunque ſunt, & eorum à quibus amãtur: & honoris, & liberorum. ſui enim cuiuſque liberi, ipſius opera ſunt. Et inchoata perficere ſuaue eſt. ipſorum enim iam opus ſit, à quibus perficitur. Et quoniam imperare ſuauiſſimum eſt, ſapientem etiam uideri ſuaue eſt. Sapere enim quiddam eſt aptum ad imperandum. Eſt autem ſapientia, multorum, & admirabilium ſciẽtia. Praeterea quia plaerique omnes honoris ſtudio tenentur, neceſſe eſt, vt & alios reprehendere iucundum ſit. Itemque in quo quis excellit, in eo tempus ponere. quemadmodum & Euripides ait.

Namq. vrget illud quiſque, & in illo temporis
Ponit diurni maximam partem libens,
In quo ipſemet ſe vincit, ac praeſtat ſibi.

Similiter autem, cum luſus iucundus ſit, omniſque animi remiſſio, & riſus: neceſſario fit, vt ridicula omnia iucunda ſint, & homines, & facta. Diſputatum autem eſt ſeparatim de ridiculis in libris de poetica. Haec igitur de ſuauibus dicta ſint: ex quibus & moleſta, quae eis aduerſantur, facile intelligũtur. Atque haec ſunt, quibus adducti homines iniuriam faciũt. Quomodo autem affecti & quos praecipue petant, nunc explicemus. Adducuntur igitur ad faciendam iniuriam, cum putant rem & effici, & à ſe effici poſſe: ſiue ſperant fore, vt cum fece-

rint,lateant: ſiue ut,re detecta,impune abeant: ſiue vt poena minor ſit lucro,quod vel ipſi con. ſecuturi ſunt,vel ij quos amant. Quaenam igitur fieri poſſe videantur,quae minus:in ſequentibus explicabitur. Haec enim communia ſunt omnium rhetorices partium. Sperant autem poſſe ſe poenam, cum quid iniuſte fec erint, effugere ij maxime,qui dicendo valent,qui in rebus agendis verſati ſunt, multaq. eiuſmodi certamina obierunt. Tum qui amicis abundant, quique opibus. Et maxime quidem, ſi ea quae diximus habeant ipſi:ſin minus, ſi tales amicos habeant, aut miniſtros, aut participes ſceleris. His enim omnibus ſit,vt & facere poſſint, & latere,& poenam effugere. Et ſi amici ſint, vel ijs ipſis,quos iniuria afficere meditantur, vel iudicibus. Nam amici & minus ſibi cauent ab iniuria,&,ea accepta,tranſigũt potius, quàm vt eam iudicio perſequantur. Iudices autem gratificantur ijs quibus amici ſunt, eoſque vel omnino abſoluunt, vel certe leuem eis poenam imponunt. Ad latendum autem apti ſunt primum ij, quorum ipſa condicio crimini aduerſari videtur. vt ſi qui infirmo corpore eſt, accuſetur, quòd alium verberarit, aut pauper, & deformis adulterij poſtuletur.Ea quoque facile ſuſcipiuntur,quae valde in aperto ſunt, & ante oculos poſita.nemo enim ea ſollicite cuſtodit: propterea quòd neminem prorſus putant ita audacem fore.Et quae tanta,ac talia ſunt, vt ea nemo adhuc

aggreſſus

aggreſſus ſit: ab eis enim ſibi cauet nemo. omnes ſiquidem, vt à morbis, ſic ab iniurijs vſitatis cauent ſibi: quo autem morbo nemo adhuc laborauit, ab eo ſibi cauendum nemo putat. Et quibus nemo inimicus eſt, & quibus multi. nam illi quidem ſperant fore vt lateant: quoniã ſibi ab eis nemo cauet: hi autem, & latent, quia neque videntur facile quenquam aggreſſuri fuiſſe: cum ſibi ab eis omnes cauerent: & paratam habent excuſationem, nunquam ſe id aggredi auſuros fuiſſe. Et quibus facile eſt occultare quod ſurripuerunt, aut mutata forma, aut loco, aut id facile vendere. Et qui, etiam ſi non latuerint, poſſunt à ſe periculum iudicij depellere, aut in longum tempus differre, aut iudices corrumpere. Et qui, ſi multati ſint, poſſunt multae ſolutionem repellere, aut in longum differre: aut propter paupertatem nihil habent quod amittant. Et quibus lucra quidem aperta, & manifeſta ſunt, aut magna, aut in propinquo: multae autem aut paruae, aut obſcurae, aut quae in longum diem differantur. Et id, quo perfecto, nulla poena par emolumẽto eſt. quale quiddam habere tyrannis videtur. Et quibus iniuſte facta, quaeſtui, poenae autẽ probro tantum ſunt. Cõtraque quibus iniuſte facta laudis etiam aliquid afferunt: vt ſi eadem opera quis patri, matri ve factas iniurias vlciſcatur: quod Zenoni contigit: poenae autem aut pecunia, aut exilio, aut aliqua eiuſmodi re luuntur. Vtrique enim, & vtro-

que modo affecti facile ad inferendam iniuriam adducuntur: niſi quod non ijdem, ſed qui moribus ſunt inter ſe contrarijs. Et qui ſaepe aut latuerunt, aut poenas non dederunt. Et qui ſaepe fruſtra tentarunt aliquid efficere. Sunt enim, vt in rebus bellicis, ſic in his quidam eo ingenio, vt denuo pugnent. Et quibus voluptas lucrum ve praeſens proponitur, quod autem dolorem inurit, aut dãno eſt, aut in diem. tales enim ſunt incontinentes. Incontinentia autem in ijs omnibus rebus eſt, quae appetuntnr. Et quibus con tra, in praeſentia quidem excipiendum eſt aliquid moleſti, quodve detrimento ſit: ſed voluptas, aut vtilitas poſtea cõſecutura, ac diuturnior futura eſt. continentes enim, & prudentiores talia perſequuntur. Et quae videri poſſunt fortuito feciſſe, aut neceſſitate, aut natura, aut conſuetudine: & omnino per errorem, non iniuriae faciẽdae animo. Et qui ex bono & aequo ſecum actũ iri ſperãt. Et qui rei alicuius indigẽtes ſunt. Indigent autem duobus modis: aut neceſſarijs, vt pauperes: aut ſuperuacaneis, vt opulenti. Et qui aut invalde bona exiſtimatione ſunt, aut magna infamia laborant: illi quidem, quòd nemo facile crediturus ſit, eos tale quid feciſſe: hi vero, tanquam nihilo maiore infamia futuri. Ita igitur affecti homines aggrediuntur iniuriam facere. hos autem praecipue petunt, quos dicemus, & ijs in rebus de quibus dicemus. Eos qui habent ea, quorum ipſi indigent vel ad neceſſitatem,

tem, vel ad abundantiam ſuperuacaneam, vel ad voluptatem fruendam. Et eos qui procul abſunt, & eos qui in proximo ſunt: nam his quidem cito aliquid eripere, illi vero non cito ſe vlciſci queunt. Exemplo ſunt ij, qui Carthaginienſes depraedantur. Et eos qui ſibi non cauent, neque diligentes ſunt in ſe, ac rebus ſuis tuendis. hos enim latere facile eſt. Et remiſſos ac negligentes. Solliciti enim hominis eſt iniurias ſuas perſequi. Et verecundos. neque enim facile adducuntur, vt de lucro contendant. Et eos qui à multis iniurias acceperunt, neque tamen eas perſecuti ſunt: tanquam qui ſint, vt in prouerbio eſt, Myſorum praeda. Et quos nunquam, & quos ſaepe laeſerunt. vtrique enim negligentes ſunt in cauendo: cum illi nunquam ab eis laeſi ſint: hi autem non iam amplius ſe laeſum iri putent. Et qui accuſati alias ſunt, aut accuſari facile poſſunt. hi enim neque iudicio experiri volunt, cum iudices metuant: neque eis fidem facere poſſunt. quo ex genere ſunt, qui inuiſi ſunt, & ij quibus inuidetur. Et eos aduerſus quos praetendere aliquid poſſunt, vt quod aut maiores eorum, aut ipſi, aut eorum amici, aut laeſerint, aut laedere voluerint vel ipſos, vel maiores, vel eos quorum ipſi curam habent. atque id eſt, quod prouerbio dicetur.

Colore tantum malitia aliquo indiget.

Et amicos, & inimicos. nam illos quidem facile

eſt, hos vero ſuaue. Et eos qui amicis carent. Et Et eos qui neque in dicendo, neque in rebus agē dis valent. Aut enim ne aggrediuntur quidem iniuriam ſuam perſequi, aut tranſigunt, ac decidunt, aut nihil efficiunt. Et eos quibus operae non eſt tempus conterere expectantes dum aut iudicetur, aut multa ſoluatur: cuius generis ſunt hoſpites, & qui uictum ſibi induſtria ſua comparant. Tales enim, & paruo abſoluuntur, & facile ſedantur, ac conquieſcunt. Et eos qui multas iniurias fecerunt: aut tales, quales ipſi nunc accipiunt. Prope enim eſt, vt ne iniuria quidem eſſe uideatur, cum quis in eo genere iniuriam accepit, in quo eſſe ipſe iniurius in alios ſolebat. Dico autem: vt ſi quis hominem in alios petulantem, ac contumelioſum verberet. Et eos qui mali quippiam ipſis aut fecerūt, aut facere uoluerunt, aut uolunt, aut inibi eſt, vt faciant. Id enim, & dulce eſt, & pulchrū: & prope eſt, vt ne iniuria quidē ſit. Et eos quibus laedendis gratum facient aut amicis, aut ijs quos admirantur, aut iis quos amant, aut dominis, aut omnino ijs ad quorum voluntatem vitam ipſi ſuam dirigunt. Et eos a quibus ſperant ſe aliquid aequi boni conſecuturos. Et eos, de quibus iam conqueſti ſunt, quibuſque amicitiam renuntiarunt. Nam & talia prope accedere videntur ad id quod iniuria uacat. Qualia ſunt quae Callippus faciebat aduerſus Dionem. Et eos, quibus alii eandem iniuriam impoſituri ſunt,

ſunt, niſi ipſi occuparint: tanquam ne vllam quidem amplius deliberationem res capiat. Quemadmodum Aeneſidemus dicitur ad Gelonem, qui ciues ſuos in ſeruitutem redegerat, cottabia miſiſſe, vt qui, quod ipſe facturus erat occupaſſet. Et eos, quos ubi iniuria affecerint, multa poſtea iuſte facere poterunt, tanquam facile medicaturi. Vt Iaſon Theſſalus aiebat, quaedam iniuſte facienda eſſe, vt poſtea multa iuſte facere poſſis. Eas autem iniurias facile faciũt, quas multi facere ſoliti ſunt. ſperant enim ſe veniam conſecuturos. Et ea ſubripiunt, quae facile eſt occultare. qualia ſunt quae vel cito cõſumuntur, vt eſculẽta: vel facile mutari poſſunt aut figura, aut colore, aut temperatura: vel quae multifariam abſcondere facile eſt. Talia autem ſunt quae facile poſſunt, & portari, & paruis in locis abſcondi: & à quibus nullo modo diſcrepantia multa, planeque ſimilia prius habebat is qui iniuriam fecit. Et quaecunque proferre ij, quibus facta iniuria eſt, pudore prohibentur: vt ſi illuſum ſit pudicitiae uxorum, aut ipſorum, aut liberorum. Et quae qui perſequatur, videatur lites ſequi. Talia autem ſunt parua, & ea quibus venia tribui ſolet. Quomodo igitur affecti iniurias faciant, & quales, & qualibus, & quam ob cauſam, haec fere ſunt. Nunc omnia iniuriarum, & omnia iuſte factorum genera diſtinctius explicemus, hinc ducto principio. Iuſta igitur & iniuſta dupliciter diſtinguuntur, tũ

quod

quod à duabus legibus manāt, tum ratione eorum ad quos referuntur. legem autem dico aliā propriam, aliam communem: propriam quidem eam, quam ſibi quiſque populus ſtatuit, eamque aut non ſcriptam, aut ſcripto comprehenſam: communem autem eam, quae naturalis eſt. Eſt enim iuſtum quoddam natura: & iniuſtum: de quo homines, quaſi diuino quodam inſtinctu vaticinantur, etiam ſi nulla de eo inter illos cōmunicatio, aut pactio interceſſerit. Quale & Antigone apud Sophoclem dicere videtur, iuſtum eſſe affirmans, ſepelire Polynicen, quamuis uetitum ſit, quòd id natura ſit iuſtum.

Neque enim hodie ius hoc receptū eſt, aut heri:
Aeternitate fixum ab omni ſed viget.
Neque origo quae ſit eius, vlli cognitum eſt.

Et vt Empedocles dicit de non interficiendis animalibus. Id enim non aliis quidem iuſtum eſt, aliis non iuſtum.

Sed ſeſe in populos ſpatia alta per aetheris oēs
Porrigit, effuſo ſplendet qua lumine caelum.

Et vt Alcidamas in Meſſeniaco dicit. Eorum quoque ratione ad quos pertinet, in duo genera diſtinguitur. Nam tum quae facienda ſunt, tum quae non ſunt, aut ad totam communitatem, aut ad unum aliquem ex communitate referuntur. Vnde & iuſte, & iniuſte facere duobus modis aliquis poteſt. aut enim ad unum aliquem certum, ac definitum pertinet, quod factum eſt aut in commune. Nam qui adulterium facit,

aut

aut verberat, vnum aliquem laedit: at qui militiam detrectat, ipſum commune. Cum igitur omnia iniuriarum genera diſtincta ſint, aliaeq. ad ipſum commune, aliae ad aliũ alios ve pertineant. ſi prius repetierimus, quid ſit iniuriam accipere, cetera perſequamur. Iniuriam igitur accipit, cui quid fit iniuſte à ſponte facientibus. Supra enim definitum eſt, eum demum iniuriá facere, qui ſponte agit. Quoniam autem neceſſe eſt, eum, qui iniuriam accepit, laedi, & inuitum laedi: laeſionũ quidem genera ex ijs quae ſupra diximus perſpicua ſunt. Bona enim & mala per ſe antea diſtinximus. Sponte etiam fieri docuimus ea, quae & ſcientes faciunt, & non coacti. Itaque neceſſe eſt omnes accuſationes aut ad commune aut ad priuatum referri, & de eo eſſe quod quis commiſit, aut neſciens, & inuitus, aut ſponte & ſciens: idque aut conſulto aut aliqua animi permotione. Se de ira quidem dicetur, vbi de animi perturbationibus agemus: qualia autem, & quomodo affecti conſulto faciant, in ſuperioribus dictum eſt. Quoniam autem ſaepe, cum ſe id quod obijcitur, feciſſe fateantur, ipſam criminis inſcriptionẽ non agnoſcunt: aut negant factum ſuum tale eſſe, vt ea inſcriptione notandum ſit: exempli cauſa, cepiſſe quidem ſe, ſed furatos non eſſe: & priores uerberaſſe, neque tamen contumeliam feciſſe: & commiſcuiſſe quidem corpus, ſed adulterium non feciſſe: aut furatos eſſe, ſed non feciſſe ſacrilegium

crilegium

crilegium: neque enim quidquam abſtuliſſe, quod Deo ſacrum eſſet: aut coluiſſe quidē, ſed non agrum publicum: aut collocutos quidem cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe: propterea haec quoq. accurate prouidenda, ac diſtinguenda ſunt: quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium: vt ſiue probare velimus eſſe, ſiue non eſſe, poſſimus, quid in quaque re iuris ſit patefacere. Sunt autem haec omnia in eo poſita, vt id quo de agitur, iniuſtum eſſe, & improbum, an non iniuſtum eſſe doceamus. Improbitas enim & ipſum iniuſte facere ex conſilio pēdet. Eius autem generis nomina, vt contumelia, vt furtum, etiam conſilium adſignificant. Non enim ſiquis uerberauit, ideo ſtatim contumeliam fecit: ſed ſi certo conſilio, vt ignominia afficiendi eum quem uerberauit, aut vt ipſe ex eo uoluptatē perciperet. Neque quiſquis clam quid ſuſtulit, omnino furatus eſt: ſed ita demum, ſi animo nocendi ei cuius res eſt, eamque auertendi. Vt autem in his, ſic & in alijs ſe res habet. Quando autem iuſtorum, & iniuſtorum duo genera eſſe dicebamus: vnum eorum quae ſcripta ſunt, alterum eorum, quae non ſcripta: de ijs quidem, de quibus leges loquuntur, dictum eſt: eorum autem quae ſcripta non ſunt, bipertita etiam diuiſio eſt. Nam alia quidem ſunt, quae cum eximia quadam, aut uirtute, aut improbitate coniuncta ſunt: quibus laudes, honores, dona, aut contra, dedecus atque infamia

propo-

propoſita eſt. Vt gratiam habere benemerito, aut ei uiciſſim benefacere: & promptum eſſe ad opem ferendam amicis: & quaecunque alia eius generis ſunt. Alia vero ſunt, quaſi ſupplementum quoddam legis ſcriptae. Iuſtum enim videtur etiam id, quod aequum bonum eſt, & aequum bonum eſt ius quoddam ſcripta lege praetermiſſum. Euenit autem hoc, partim inuitis eis qui leges ſcribunt, partim etiam ſponte ipſorum. Inuitis quidem, cum quid eorum intelligentiam effugit: ſpõte autem, cum quid certo definire non poſſunt: immo vero uniuerſe quidem loqui neceſſe eſt: res autem non ita ſe habet: ſed plaerunque. Et quaecunque definire facile non eſt, propter infinitatem: vt quanto & quali ferro quis alium vulnerarit. aetas enim defecerit, ſi quis ea enumerando perſequi velit. ſi res igitur indefinita ſit, & de ea tamẽ ferenda lex ſit, legem vniuerſe loqui neceſſe eſt. Itaque etiam ſi annulum quiſpiam habens, manus alicui intulerit, aut percuſſerit, lege quidem ſcripta tenetur, & iniuſte facit: re vera autem, iniuſte non facit: atque id aequum bonũ eſt. Quod ſi aequum bonum eſt, quod diximus, facile intelligitur, quaenam aequa & bona ſint: quae minus: quique aequitatis amantes homines ſint. nam & quibus oportet veniam tribuere aequum eſt, & non parem poenam ſtatuere ijs quae per errorem, & iis quae per iniuriam admiſſa ſunt: neque erratis, infortuniis. Sunt autem

tem infortunia quidem, quae praeter ratione͂, & ſine malitia: errata autem, quae, non illa quidem praeter rationem, ſed tamen ſine malitia: at iniuriae, quae neque praeter rationem, & cu͂ malitia coniuncta ſunt: nam quae cupiditate fiunt, eadem ab improbitate proficiſcuntur. Aequum eſt etiam iis quae humana imbecillitas fert, ignoſcere. Neque legem, ſed legiſlatorem ipſum intueri. Neque verba legis, ſed ſententiam eius qui legem tulit. Neque quid factu͂ ſit, ſed quo animo, ac conſilio factum. Neque partem ſed totum. Neque qualis ſit nunc is qui inſimulatur; ſed qualis aut ſemper aut plaeru͂que fuerit. Et magis in memoria habere quid boni acceperis, quàm quid mali. Et beneficiorum quae accepit, potius, quàm eorum quae contulit. Et aequo animo acceptam iniuriam ferre. Et malle verbis, quàm factis, rem decerni. Et malle ad arbitrum ire, quàm ad iudicem. Arbiter enim aequitatem intuetur: at iudex legem. & eius rei cauſa repertus eſt arbiter, vt aequitas valeat. De aequis igitur, & bonis ita diſputatu͂ ſit. Maiores autem iniuriae ſunt, quae a maiore iniuſtitia manant. Quo fit, vt etiam quae minimae videntur, interdum ſint maximae. Quemadmodum Melanopum accuſabat Calliſtratus, quod eos qui templum facie͂dum redemerant, in ſingula capita ſeſquiobolo fraudaſſet. At iuſtitiae contraria ratio eſt. Cauſa autem eſt: quoniam ui ac poteſtate ſuperant. Qui enim ſeſqui

obolos

obolos furatus eſt, nullo fraudis genere abſtenturus videtur. Interdum igitur maius diiudicatur hoc modo, interdum ex damni dati magnitudine. Et cui par poena reperiri non poteſt: ſed quaecunque ſtatuatur, minor eſt. Et cui remedium nullum adhiberi poteſt. Odioſum enim eſt, quicquid immedicabile eſt. Et pro quo poenas exigere is, qui iniuria laeſus eſt, non poteſt. immedicabile enim eſt. Omnis enim vltio ac coercitio medicina quaedam eſt. Et ſi is qui iniuriam accepit, ipſe graue de ſe ſuppliciũ ſumpſit. Multo enim maiore poena dignus eſt qui fecit. Vt Sophocles Euctemonis cauſam agens, qui ſe ob illatam ſibi cõtumeliam ingulauerat, negauit ſe minoris litem aeſtimaturum, quàm quanti eam is qui iniuriam acceperat ipſe ſibi aeſtimaſſet. Et quod quis ſolus, aut primus, aut non multorum exemplo admiſit. Magnum eſt etiam eadem in re ſaepe peccare. Et ſi propter quempiam quaeſita, & excogitata ſint ea quae ad prohibendum, & ad multandum valent. Vt Argis poenam in eum ſtatuunt, qui cauſam legi ferendae dedit. Et propter quem aedificatus eſt carcer. Et iniuria, quo ferina quaeque magis eſt, eo maior: & quo quaeque magis conſulto, ac cogitato facta eſt. Et quod qui audiunt, cohorreſcunt potius, quàm miſereantur. Et oratoria quidem talia ſunt: quod quis vno facto multa iura violauerit, ac migrauerit: vt iuſiurandum, dexteras, fidem datam,

connubij

connubij iura. Videtur enim quaſi cumulus quidam iniuriarum. Et ſi quis eo ipſo in loco iniuſte fecerit, vbi qui id faciunt, poenis affici ſolent. quod faciunt falſi teſtes. Vbi enim non iniuſte fecerit, qui ne in iudicio quidem id facere veretur? Et quae maximum pudorem incutiunt. Et ſi quis eum laeſit, à quo beneficium acceperat. Multis enim modis iniuſtus eſt: cum ei & damnum dat, & beneficium non reddit. Et ſi aduerſus iura non ſcripta. melioris enim viri eſt, iuſtum eſſe citra vllam neceſſitatem. At ſcripta iura neceſſitatem imponunt, non ſcripta nullam. Alio autem modo, qui aduerſus ſcripta. nam qui neque terrore legum, neque propoſitis poenis ab iniuria abſterretur, multo iniuſtior fuerit, vbi nulla poena propoſita eſt. De maiore igitur, & de minore iniuria diximus. Nunc de ijs faciẽdae fidei rationibus quae artis expertes vocantur, ſequitur, vt breuiter diſſeramus. Sunt enim iudiciorũ propriae. Sunt autem numero quinque: Leges, teſtes, pacta cõuenta, quaeſtiones, iuſiurandum. Primum igitur dicamus de legibus, quomdo tractãdae ſint, ſiue hortetur quis, ſiue auocet: ſiue accuſet, ſiue defendat. Conſtat enim ſi lex ſcripta cauſae noſtrae aduerſetur, vtendum eſſe communi lege, & ijs quae aequitati conſentanea ſunt, vt iuſtioribus. Et hoc eſſe optimo animo iudicare, non id quod ſcriptum eſt, praefracte ſequi. Tum aequitatem quidem ſemper manere: neque vnquam mutari.

mutari:neque communem illam legem. At leges ſcriptas ſaepe mutari. Vnde dictum eſt in Antigone Sophoclis. Ita enim ſe illa defendit, quòd fecerit quidem aduerſus legem Creontis: ſed non aduerſus legem non ſcriptam.

Neque enim hodie ius hoc receptũ eſt, aut heri.

Et

Migrare ego has mortalis vllius metu
Nunquam forem auſa.

Et ius verum quiddam eſſe atque utile, non autem quod videtur. Itaque ne legem quidem ſcriptam. non enim facit id, quod opus ac munus eſt legis. Et iudicem eſſe quaſi ſpectatorem quẽdam ac probatorem nummorum, vt ius aeroſũ diſcernat à uero. Et melioris viri eſſe, leges nõ ſcriptas ſequi, atque eas conſtanter obſeruare quàm ſcriptas. Illud quoque videndum eſt:num lex alicui legi probatae, aut etiã ipſa ſibi aduerſetur. Exempli cauſa. Lex eſt quae pacta conuẽta rata eſſe iubeat: at alia lex vetat, ne aduerſus legem pacta vlla fiant. Et num ambigua ſit: vt torquere eam liceat: ac tunc vtram in partem deflexa, iuſtior ac cauſae noſtrae vtilior videbitur, ita ea uti. Et ſi res quidem, propter quas lex lata eſt, non amplius maneant, lex tamen ipſa maneat: hoc planum facere, & aduerſus illam hac ratione pugnare conabimur. Quod ſi lex ſcripta pro nobis faciat, tunc dicemus, quod iurant iudices, ſe optimo animo iudicaturos, non eo receptum eſſe, ut aduerſus legem iudicare liceat:

ſed, ne periurio obligentur, ſi forte legem non intellexerint. Et neminem perſequi id quod ſimpliciter bonum eſt, ſed id quod ſibi. Et nihil intereſſe, non condantur leges, an non obſeruentur. Et ne in alijs quidem artibus expedire, velle aduerſus earum praecepta ingenioſum uideri. Non enim tam nocere errorem medici, quàm ſi quis ſe aſſuefaciat ad non parẽdum ei, cuius eſt imperare. Et hoc eſſe quod dicitur, velle eſſe ſapientiorẽ legibus: quod ijs legibus prohibetur: quae in maxima commendatione ſunt. Ac de legibus quidẽ ita diſputatum ſit. Ad teſtes autem quod attinet, teſtes duorum generum ſunt: alij antiqui, alij recentes: & horum alij, qui in periculum ueniunt, alij, qui extra periculum ſunt. Antiquos voco poetas, alioſque illuſtres viros, quorum iudicia nota, & teſtata ſunt. vt Atheniẽſes in controuerſia de Salamine Homerum teſtem adhibuerunt. Et Tenedij nuper Periandrũ Corinthium aduerſus Sigeenſes. Et Cleophon aduerſus Critiam vſus eſt elegiacis uerſibus Solonis: cum diceret domum ipſius iampridẽ turpibus delicijs deditam fuiſſe. neque enim, ni ita eſſet, dicturum fuiſſe Solonem.

Dic flauo Critiae, patris vt praecepta ſequatur.

De praeteritis igitur eiuſmodi teſtes ſunt. de futuris autem, & oraculorum interpretes: ut Themiſtocles, quod Deus, vt ſe ligneis moenibus tuerentur, moneret, hoc eum dicere, nauali eſſe proelio dimicandũ: & prouerbia, quaeque vulgo

go iactata ſunt, teſtimonia sũt. Vt ſi quis auctor ſit, ne amicitiam conſtituamus cum ſene, ei pro teſtimonio erit prouerbium:

Ne ſeni faxis benigne.

Et vt filios occidat, qui patres occidit.

Deſipit occiſo natos qui patre relinquit.

Recentes autem qui & illuſtres ſunt, & aliqua de re iudicarunt. Nam vtilia ſunt eorum iudicia ijs qui ijſdem de rebus controuerſantur. Vt Eubulus in iudicijs vſus eſt aduerſus Charetem eo, quod dixerat Plato in Archibium: increbruiſſe in ciuitate, vt multi improbos ſe eſſe fateantur. Et qui ſi mentiri videantur, in partem periculi veniunt. Tales igitur talibus tantum de rebus teſtes ſunt: fuit, aut non fuit: eſt aut non eſt: quale autem quidque ſit: vt iuſtum, an iniuſtum: vtile, an inutile, teſtes idonei non ſunt. At teſtibus ab aetate noſtra remotis, etiam his in rebus maxima habetur fides. Corrũpi enim non poſſunt. Rationes autem de teſtibus in vtramque partem hae ſunt. Teſtes quidem non habenti, ex argumentis iudicandum eſſe: atque id eſſe quod dicitur, optimo animo iudicare. Neque fieri poſſe, vt argumenta, pecunia propoſita adducantur ad iudices fallendos. Neque vnquam argumenta conuinci, quòd falſum pro teſtimonio dixerint. Habenti autem aduerſus eum qui illis deſtitutus eſt, dicendum eſt, argumenta iudiciorum metu nõ teneri. Et nihil opus futurum teſtibus, ſi argumentis cuiuſque rei veritas co-

gnoſci poſſet. Teſtimonia autẽ alia quidem sũt de ipſo, alia de aduerſario: & alia quidẽ de re, alia vero de moribus. Ex quo conſtat, nunquam defutura eſſe vtilia teſtimonia. Si enim de re non ſuppetent, quibus aut confirmetur id quod à nobis dicitur, aut quod ab aduerſario, refellatur: at de moribus vel noſtris in bonam partẽ, vel aduerſariorum in contrariam, non deerunt. Cetera vero de teſte aut amico, aut inimico, aut inter vtrunque interiecto: aut bonae exiſtimationis, aut de quo mala opinio ſit, aut media: & quaecunque eiuſmodi diſcrimina ſunt, iiſdem ex locis duci queunt, ex quibus ducuntur etiam enthymemata. Ad pacta conuenta autem quod attinet, eatenus in eis tractandis munus oratoris verſatur, vt ea vel exaggeret, vel deprimat, aut fidem eis conciliet, aut detrahat: hoc eſt, ſi cauſam quidem ſuam adiuuent, vt eis fidem cõciliet, eaque rata eſſe debere confirmet, ſin pro aduerſario faciant, contra. Ad fidem igitur eis vel conciliandam, vel detrahendam: eadem plane ratio eſt, quae in teſtibus. quales enim fuerint, qui tabulis ſubſcripſerint, qui ve eas adſeruarint, tales & tabulae ipſae habebuntur. Ac ſi quidem uterque fateatur pactum initum eſſe: ſi quidem à nobis faciat, amplificanda erit uis illius. Nam pactum lex quaedam priuata eſt, & de certo negotio. Et pacta quidem non ita demum rata ſunt, ſi cum lege conſentiant: at leges pactis robur, ac firmitatem tribuunt. Omninoque

ninoque lex ipſa pactio, ac conuentio quaedam eſt: ita ut quicunque fidem fallit, pactioneſque ſubuertit, is leges ipſas tollere videatur. Praeterea plaeraque inter homines negotia pactis continentur: ut ſi quis ea irrita faciat, is eadem opera mutuum inter homines cõmercium tollat. Sed & cetera quae huc conueniunt, in aperto ſunt, nulloque negotio uideri queunt. ſin cauſae noſtrae aduerſentur, & aduerſarios ſubleuent: primum quidem quaecunque aduerſus legem, quae cauſam noſtram laederet, dici poſſunt, eadem huc quoque conueniunt. Abſurdum enim eſt, cum legibus, ſi recte poſitae non ſint, ſed aberrauerint, qui eas tulerunt, ſtandum non putemus, ſi pactis neceſſario ſtandum arbitremur. Dicemus etiam iudicem iuris quaſi diſpenſatorem eſſe: vt eum, quid iuſtius ſit, non quid pactis comprehenſum, ſpectare oporteat. Et ius quidem peruerti non poſſe, neque fraude, neque per vim: natura enim valere: at pacta interdum iniri, & deceptis hominibus, & coactis. Praeterea conſiderandum, num cõuentio repugnet alicui legi aut ſcriptae, aut communi, & iis quae iuſta, quaeque honeſta ſunt. Itemque num aliis conuentionibus, ſeu poſterioribus, ſeu prioribus. Aut enim poſteriores ratae ſunt, priores autem irritae: aut priores iuſtae, poſterioribus autem admiſta fraus eſt: vtro modo nobis expediet. Videnda quoque eſt utilitas: ſic ubi forte ipſis iudicibus talium pactionum obſeruatio no-

citura ſit. Et quaecũque alia eiuſmodi ſunt: nam ea quoque facile uideri queunt. Quaeſtiones autem teſtimonia quaedam ſunt. Idcirco autem eis tribuitur fides: quod neceſſitas quaedam adiuncta eſt. Non eſt igitur difficile, quae circa eas dici poſſint, videre: quibus aut confirmentur, ſi pro nobis faciant: vt quod ſolae ex omni teſtimoniorũ genere uerae ſint: aut ſi aduerſus nos, & aduerſarium ſubleuent, diſſoluat quis eas, & eneruet, diſputans aduerſus totum illarum genus. Nam ij quibus adhibẽtur tormenta, nihilo minus falſa dicunt, quàm vera: interdum obdurantes ne vera dicant, interdum facile mentientes vt cruciatu citius liberentur. Habẽda autem in promptu exempla ſunt nota iudicibus, quibus ita uſuueniſſe doceamus. Iuriſiurandi autẽ quadripertita tractatio eſt. Aut enim illud defert, aut accipit, aut neutrum, aut alterum quidem facit, alterum detrectat: id eſt, aut defert, ſed non accipit: aut accipit, ſed non refert. Ac praeter haec omnia alia etiam ratio eſt, cum iuratum eſt aut ab hoc, aut ab illo. Qui igitur non defert, dicet ſe id non facere, quoniam homines facile peierant. Et quod aduerſarius quidem, ſi iurauerit, liberabitur onere ſoluendi: at ſi non iurauerit, ſperat ipſe fore, vt iudices eum damnent. Et malle ſe eius rei periculum facere in iudicibus: illis enim ſe fidere, aduerſario non fidere. Qui accipere non vult, turpe ſibi videri dicet, pro pecunia iurare, Et ſe, ſi improbus eſſet, facile

facile iuraturum fuiſſe.praeſtat enim ut aliquid lucri facias,improbum eſſe,quàm gratis.at ſe,ſi iurauerit,habiturum pecuniam, non habiturũ, ſi non iurauerit. Atque ita iuriſiurandi detrecta-tio à bonitate quadam proficiſci videbitur, non à peierandi metu. Et Xenophanis dictum huc accommodari poteſt: non eſſe aequam prouoca tionem diuini numinis contemptori aduerſus pium,ac religioſum. tantundem enim eſſe,ac ſi robuſtus infirmum prouocet,ut aut uerberet ip ſe,aut uapulet. Qui iuſiurandum accipiet,dicet ſe ſibi fidem habere, aduerſario non habere. *E*t inuerſo Xenophanis dicto ita vtetur,aequum eſ ſe ſi qui Deum negligit,iuſiurandum deferat, is autem qui Deum metuit,iuret. Neque ferẽdum viſum iri,ſi qua de re iuratos alios iudicare vult: de ea iurare ipſemet nolit, At qui defert, dicet pium eſſe totam rem Deis permittere.*E*t aduer-ſario nihil opus eſſe aliis iudicibus: ſe enim illi iudicandi poteſtatem facere. Abſurdum autem eſſe,qua de re ipſe iurare nolit, ſi de ea iurare a-lios poſtulet. Quando autem, quomodo ſingu-la ſeorſim tractanda ſint conſtat, illud quoque conſtat,quomodo debeant copulata tractari. Vt ſi quis accipere quidẽ vult,ſed deferre non vult: aut contra deferre quidem,ſed nõ accipere: aut ſi vtrumlibet facere paratus eſt,aut ſi neutrum. Nam vt res ipſas, ſic quae in quaque dicenda erunt, ex iis quae iam diximus,copulari neceſſe eſt. Quod ſi iuratum ſit, & iuſiurandum ei

ipſi qui iurauit aduerſetur, negabit, periurium eſſe, eo non ſtare. Nam & qui iniuſte facit, ſponte facit: & qui peierat, iniuſte facit: at quae per vim, aut per errorẽ fiunt, ab inuitis fiunt. Recurrendum igitur eo eſt, ut peierare, nõ in ore, ſed in mente poſitum eſſe dicamus. At ſi iurauerit aduerſarius, dicemus, omnia peruertere eum, qui eo quod ipſe iurauit, ſtare nolit. Nam ob eam cauſam etiam iis legibus vtimur, in quas iurauimus. *Et*, A vobis, quidem, iudices, poſtulamus, vt ea quae iuraſtis, obſeruetis: nos autem iis quae iurauimus, ſtare nolemus? *E*t quicquid aliud amplificando dici poteſt. Ac de probationibus quidem artis expertibus haec dicta ſint.

ARISTOTELIS RHETORICORVM LIBER SECVNDVS.

M. ANTONIO MVRETO Interprete.

VNDE igitur ducẽda ſint ea, quibus utamur in ſuadendo, ac diſſuadendo, vituperando, ac laudando, accuſando, ac defendẽdo: tum quae opiniones ac propoſitiones vtiles ſint ad faciendam in his rebus fidem, diximus. Fere enim de ijs, & ex ijs ducuntur enthymemata proprie in vnoquoque genere orationum. Quando autem rhetorica ad exiſtimationem audientium dirigitur: nam & qui deliberant, iudicant, & qui iudicia exercent: neceſſario videndum eſt oratori, non tantum vt oratio ipſa apta ſit ad demõſtrandũ, & ad faciẽdam fidem: ſed & vt ipſe cuiuſdam modi videatur: & eum cuius exiſtimatio eſt, certo quodam modo afficiat. Multum enim intereſt ad fidem, maxime quidem in deliberationibus, deinde autem etiam in iudicijs, cuiuſmodi videatur

is qui dicit, & quomodo eum erga ſe affectum eſſe ij qui audiunt arbitrentur: tum praeterea quomodo ipſi quoque affecti ſint. Horum autẽ in delibetationibus quidem vtilius eſt, eum, qui ſententiam dicit, talem videri: in iudiciis autem auditorem hoc aut illo modo affectũ eſſe. Neque enim eadem videntur ijs qui amant, & ijs qui oderunt, neque iratis, & ijs qui ſedato ac compoſito animo ſunt: ſed aut omnino alia, aut certe non aeque magna. Nam qui amat eũ de quo iudicat, is facile culpam ipſius aut nullam eſſe, aut exiguam putat: in eo autem qui odit, contra euenit. Et cupienti quidem, atque ad bene ſperandum propenſo, ſi ſuaue ſit quod futurum proponitur: & fore, & bonum fore videtur: ei autem qui & cupiditate vacuus eſt, & aegre ad ſperandum adducitur, contra. Tres igitur cauſae ſunt, cur qui dicunt digni videantur quibus habeatur fides: nam, praeter argumenta, tot ſunt ea propter quae credimus. Sunt autẽ haec prudentia, virtus, & beniuolentia. Nam propter haec omnia, aut propter eorũ aliquod, in dicendo, aut in dando conſilio mentiuntur. Aut enim per imprudentiam non recte opinantur: aut, cum recte opinentur, per improbitatem non dicunt ea quae videntur: aut prudentes quidem & boni viri ſunt, ſed non beneuolẽtes. Quo fit, vt, cum, quid ſit factu optimum, norint, nõ tamen id ſuadeant: neque alia praeterea eius rei cauſa reperiri poteſt. Neceſſe igitur

tur eſt, eum in quo haec omnia ineſſe videantur, fide dignum ab auditoribus exiſtimari. Ac prudentiae quidem & probitatis opinio quibus rebus conciliari queat, ex iis quae de virtutibus antea diſputata ſunt, petendũ eſt. Nam quibus rationibus efficimus, vt alius talis habeatur, iiſdem conſequi poterimus, vt ipſi quoque tales eſſe videamur. De beneuolentia autem, & amicitia, in ea, in quam nunc ingredimur, motuũ animi explicatione dicetur. Motus autem animi, quibus immutati homines aliter, atque aliter iudicant, ſunt ij, quibus conſequens eſt moleſtia, & uoluptas. Vt ira, miſericordia, metus: quaeq. alia huiuſmodi ſunt, eiſue aduerſantur. Horum autem vniuſcuiuſque tractatio tripertita eſſe debet: vt, exempli cauſa, cum de ira diſſeritur, quomodo affecti homines propenſi ad iram ſint, & quibus, quaſque ob cauſas iraſci ſoleant, explicetur. Nam ſi horum unum, aut alterum, non autem omnia, teneamus, non poterimus arbitratu noſtro iram in audiẽtium animis gignere. Eademque eſt ratio ceterorum. Vt igitur in ſuperioribus propoſitiones quaſdã communes deſcripſimus, ita in his quoque faciamus, deque eis eadem ratione, & via diſſeramus. Sit igitur ira, appetitio cum aegritudine coniuncta, ulciſcendi, opinione quidem noſtra, eius, qui aut nos ipſos, aut noſtrorum aliquem, cum id eum facere non conueniret, neglexiſſe videatur, Quod ſi haec irae vis atque

natura

natura eſt, neceſſe eſt eum qui iraſcitur, certò, ac definito alicui iraſci, verbi cauſa, Cleoni, nó autem vniuerſe homini: idque, quòd is aut ſibi, aut ſuorum alicui quippiam fecerit, facturus ve fuerit. Et omni irae comitari voluptaté quandam, eam videlicet, quae capitur ex ſpe futurae vltionis. Suaue enim eſt cuique, conſecuturum ſe putare quae appetit. Nemo autem appetit ea, quae nullo modo poſſe fieri putat. At qui iraſcitur, appetit. Quocirca praeclare de ira dictũ eſt.

quae melle liquenti
Suauior, humano ſuccenſa in pectore gliſcit.

Conſequitur enim voluptas quaedam, tum ob eam quam diximus cauſam: tum quod qui irati ſunt, toti iam nunc in vlciſcendo, mente & cogitatione verſantur. Itaque ſpecies ea, quae tunc obuerſatur animo, talem quandam voluptatem efficit, qualis eſt ea quae capitur in ſomnijs. Quando igitur negligere eſt, ita de re aliqua opinari, vt ea nihili facienda videatur: (ſiquidẽ & mala & bona, & quae ad ea pertinent, digna ſtudio ducimus: quae autem aut plane nullum, aut perexiguum momẽtum habent, ea nihili facienda arbitramur) tria ſunt neglectus genera: contemptio, incommodatio, & contumelia. Nam & qui contemnit, negligit: quae enim nihili facienda ducunt, ea contemnunt: & quae nihili ſunt, negligunt. Et qui incommodant, negligere videntur. Eſt enim incommodatio, ſtudiũ impediendi ea quae alius vult, non vt is, qui ita

alium

alium impedit, fructum vllum ex eo percipiat: ſed tantum, vt ne ille alter id quod vult conſequatur. Quando igitur nullum in eo commodum ſuum ſequitur, illum alterum negligit. Certe enim neque eum ſibi nocere poſſe putat, metueret enim, non negligeret: neque quidquã adferre. quod quidem alicuius momenti ſit: daret enim operam, vt ei amicus eſſet. Is quoque qui contumeliam facit, negligit. Eſt enim contumelia, ea facere, aut dicere, quae cum alterius ignominia coniuncta ſint: non vt is qui facit, commodum ullum ex eo conſequatur, neque quod ei quidquã factũ ſit, cur id facere debeat: ſed vt libidini ſuae obſequatur. Qui enim referunt, non contumeliam faciunt, ſed vlciſcuntur. Cauſa autem voluptatis, quam nonnulli facienda contumelia capiunt, ea eſt, quòd quibus male faciunt, eis ſe ita demum ſuperiores putant. Quare & iuuenes, & diuites contumelioſi ſunt: ita enim dum faciunt, ſibi ſuperiores uidentur. Contumeliae autem proprium eſt, detrahere alteri dignitatem: id autẽ qui facit, negligit. quod enim nihili eſt, id nullo in pretio eſt, neque vt bonum, neque vt malum. Vnde iratus Achilles ita loquitur.

Omni me Atrides plane ſpoliauit bonore.
Nã mihi praecipuũ dederãt quod mun⁹ Achiui
Praereptũ, ſuaq. adductum in tentoria ſeruat.

Et

Nullius vt pretij, atque incerta ſede vagantem.

Vt

Vt qui propterea iraſcatur. Conuenire autē putant, ſe magni fieri ab inferioribus genere, potentia, virtute: omninoque qua quiſque in re multo alium ſuperat. Vt pecunia pauperem diues, dicendi facultate eloquens indiſertum: qui imperat, eum qui imperio ſubeſt: qui ſe dignū qui imperet putat, eum qui dignus eſt cui imperetur. Vnde illud,

Regum magna ira potentum eſt.

Et,

Conceptam tamen iram alta ſub mente recōdit.

Stomachantur enim propter eum, quem ſupra ceteros obtinent, dignitatis gradum. Itemq. ijs à quibus bene ſibi fieri putant oportere. Sūt autem ij quibus quiſque bene fecit, aut facit: aut ſuorū aliquis, aut cauſa ſua, aut vult, aut voluit. Iam igitur conſtat & quomodo affecti ipſi iraſcantur, & quibus, & quas ob res. Nam ipſi quidem, cum aegro animo ſunt. Appetit enim aliquid is cui aegre eſt. Siue igitur quis ei directo aduerſetur, vt ſi ſitienti obſtet ne bibat, ſeu non plane directo, peraeque tamen idem facere videtur. Et ſiue contra tendat quis, ſiue etiam nō adiuuet, ſeu qua alia in re moleſtus ſit ita affecto, ijs omnibus, is qui ita affectus eſt, iraſcitur. Quare & qui egrotant, & quos paupertas vrget, & qui amant, & qui ſitiunt, omninoq. qui quid cupiunt, neque id conſequi poſſunt, iracundi ſunt, & facile incitantur, praeſertim aduerſus illos qui praeſentem ipſorum ſtatum negligunt

Vt

Vt aegrotus quidem aduerſus eos qui ſe negligunt in ijs quae ad morbum pertinent: qui paupertate premitur, in ijs quae ad paupertatem: qui bellum gerit, in ijs quae ad bellum: qui amat, in ijs quae ad amorem: itidemque in ceteris. Prout enim quiſque affecto, ac perturbato animo eſt, ita in eo quaſi via ſtrata ac munita eſt ad iram ex hac, aut ex illa re concipiendam. Praeterea vero, ſi contra expectabat fore. Maiorem enim moleſtiam inurit, quod valde praeter opinionem accidit: vt & magis delectat, ſi quod volumus, eueniat. Ex ijs igitur perſpicuum eſt, quae horae, tempora, affectiones, aetates facile ad irā incitari queant: & quando, & vbi. Conſtat etiam, quo magis in eis ſunt, eo incitari facilius. Ergo ipſi quidem ita affecti facile ad iram impelluntur. Iraſcuntur autem ijs qui derident, qui ludibrio habent, qui dictis aculeatis mordent, ac configunt. contumelia enim afficiunt. & ijs qui talia damna inferunt, vt in eis inſit ludibrij, ac contumeliae ſignificatio. Neceſſe autem eſt talia eſſe, quaecumque neque vlciſcendi cauſa fiunt, neque vtilitatis quidquam adferunt facientibus. iam enim per contumeliam fieri videntur. Et maledicentibus ac contēnentibus ijs in rebus, in quibus ipſi maximum ſtudium ponunt. vt qui honorem captant e ſtudio philoſophiae, ſi quis eos in philoſophia non magni pretij eſſe dicat: aut de forma eorum detrahat, qui ſe formoſos videri ſtudent

dent: eodemque modo in ceteris. Multo autem magis iraſcuntur, ſi ſuſpicentur, ea, quibus ornati videri volunt, ſibi non ineſſe, aut omnino, aut nõ valde, aut etiam ſe tales nõ videri. Quod ſi ſe egregie inſtructos putent iis bonis, in quibus punguntur, quid in ſe dicatur, non laborãt. Et amicis magis, quàm non amicis. putant enim cõuenientius eſſe, bene ſibi ab ijs fieri, quàm ab eis qui amici non ſunt. Et ijs qui ipſis honorem habere, eoſque curare conſueuerant, ſi id facere deſierint. nam & ab ijs ſe contemni putant. alioqui enim idem facturos quod prius. Et ijs qui non viciſſim benefaciunt, neque parem gratiam referunt. Et ijs qui cõtrarijs rebus ſtudent, ſi inferiores ſint. contemnere enim hi omnes videntur. atque hi quidem qui contraria ſtudia ſequuntur, videntur eos quibus aduerſantur pro inferioribus habere: illi autem qui gratiam non referunt, ita ſe gerere, quaſi ab inferibus acceperint. Maior etiam ira cõmouetur, cum qui contemnunt alios, ipſi nullo loco, ac numero ſunt. Poſitum eſt enim iram excitari, cum quis ab ijs contemnitur, à quibus non cõuenit. conuenit autem inferioribus, non contẽnere. Et amicis iraſcuntur, tum ſi vllam benedicendi, aut benefaciendi occaſionem praetermittant, tum multo magis, ſi contraria faciant: ſiue etiam amicorum indigentiam non animaduertant, vt Antiphontis Plexippus Meleagro. Signum enim neglectus eſt, nõ animaduertere.

nam

nam quae curamus, ea nos non latent. *E*t ijs qui infortunijs ipſorum laetantur: omninoque ijs quos in aduerſis rebus ſuis tranquillo eſſe animo vident. Alterum enim inimici ſignum eſt, alterum eius qui paruifaciat. Et ijs qui non curant, ſint ne moleſti futuri. Vnde & ijs, qui mala nuntiant, iraſcuntur. Et ijs qui aut audierunt de ipſis, aut in eis viderunt quae turpia ſunt. Similes enim ſunt aut contemnentibus. aut inimicis. Amicorum eſt enim vna condoleſcere. Omnes autem, cum mala ſua ſpectant, dolent. Sunt autem quinque potiſſimum hominum genera, apud quos, ſi parui fiant, iraſcuntur. Apud eos quibuſcum de honore contendunt: apud eos quos admirantur: apud eos quos volũt habere admiratores: ſui apud eos quos verẽtur: & apud eos qui ipſos verentur. Apud hos omnes ſi ſe parui fieri videant, magis iraſcuntur. *E*t ijs qui quantopere aliquem deſpiciant, ſignificant in ijs quibus ipſe ſine turpitudine non opitulari non poteſt. cuiuſmodi ſunt parentes, liberi, vxores, ij qui imperio ſubſunt. *E*t ijs qui gratiam non reddunt. Nam hoc quoque deſpiciẽtiae genus eſt ab officio alienum. *E*t qui quid ſerio agunt, iraſcuntur ijs, qui ſecum ſuper ea re diſſimulantes, quaſique iocantes loquũtur. *E*ſt enim talis diſſimulatio quiddam contemptui affine. *E*t ijs qui propenſi ſunt ad benefaciẽdum alijs, niſi ipſis quoque benefaciant. Nam & hoc contemptus ſignificationem habet, quod alijs om-

G nibus

nibus tribuas,id vni alicui non tribuere. Sed & obliuio iram efficit, vt nominum. & ſi res parua eſt. Videtur enim & obliuio neglectum iudicare. Nam ex incuria naſcitur obliuio. incuria autem neglectus quidam eſt. Quibus igitur iraſcantur, & quomodo affecti, eademque opera quas ob cauſas, explicatum eſt. Conſtat autem oratori vidēdum eſſe cum iram concitare vult, vt auditores diccendo ita afficiat,quomodo qui affecti ſunt, facile iraſcuntur: & in aduerſarijs oſtendat eſſe ea propter quae iraſcuntur, & tales eſſe,qualibus iraſcuntur. Quando autem ira incitari, & deliniri aduerſantur, itemque ira lenitati: intelligendum eſt etiam, quomodo affecti,lenes ſint,& erga quos,&quibus rebus leniātur.Sit igitur delinitio,ſedatio,& reſtinctio irae. Si ergo iraſcitur quiſq. eis a quibus negligitur: negligit autē nemo, niſi id ſponte faciat; cōſtat, qui aut tale nihil fecerint.aut inuiti fecerint,aut de quibus ita opinemur, eis nos mites, ac lenes fore.Itēque ijs,qui facere volebant cōtra quàm fecerunt. Et ijs qui ipſi in ſe tales ſunt. nemo enim ſe ipſum negligere videtur.Et ijs qui fatentur, quoſque paenitet. Quaſi enim hoc ipſum poenae loco ſit, quod dolent ſe ita feciſſe, ſedatur, ac conquieſcit ira. Atque id notare poſſumus, cum a ſeruis poenas exigimus. Eis enim qui negant, & aduerſus nos cauſam ſuam defendere conantur, ſaeuiores: at eis qui ſe merito vapulare fatentur, placabiliores ſumus. Cauſa

autem

autem haec eſt, quod aperta negare, impudẽtia eſt : impudentia autem eſt quidam neglectus: itaque quos valde contemnimus, apud eos non verecundamur. Et ijs qui ſe nobis abijciunt, neque verbis aduerſantur. uidentur enim fateri ſe inferiores eſſe. Qui autem inferior eſt, metuit. *E*t nemo quem metuit, deſpicatur. Conquieſcere autẽ iram aduerſus eos qui ſe abiiciunt, etiã canes oſtendunt, qui proſtratos non mordent. *E*t ijs qui ſerio nobiſcum agunt, cum ipſi ſerio agimus. Qui enim ita facit, haudquaquam videtur contemnere nos, ſed cura, ac ſtudio dignos putare. *E*t ijs qui nobis aliquando maioribus in rebus gratificati ſunt. *E*t ijs qui preces adhibẽt, ac deprecantur. humiliores enim ſunt. *E*t ijs qui cõtumelioſi non ſunt, neque ludibrio habere ſolent, aut parui facere: ſiue in nullum omnino hominum genus tales ſint, ſiue non in bonos viros, ſiue non in eos qui tales ſunt, quales ipſi ſumus. Omninoque ad leniendũ valent, quaecunq. aduerſantur iis, quibus ira excitatur. *E*t iis quos metuimus, quoſq. reueremur, quandiu ita affecti ſumus, non iraſcimur. Metuere enim aliquem, & eidem iraſci eodem tempore nemo poteſt. Et iis qui quid per iram fecerunt, aut non iraſcimur, aut minus iraſcimur. Non enim videntur per contemptum feciſſe: eum enim cui iraſcitur, nemo plane contemnit. contemptus enim ſine aegritudine animi eſt. at irae ſemper aegritudo comitatur. *E*t iis qui nos ve-

rentur. Qui autem contra affecti ſunt atque ii qui iraſcuntur, eos ad lenitatem propenſos eſſe conſtat. Vt in ludo, ac ioco, in riſu, in feſto die, in proſpero ſucceſſu, & re bene geſta, vt fame ſitique depulſa: omninoque cum omni moleſtia vacui ſunt, aut etiam in uoluptate conſtituti, ea modo quae inſolentes, ac cõtumelioſos non efficiat. Et in bona ſpe. Et interiecto tempore, neq. recentes ab ira. Tẽpore enim ira ſedatur. Sed & is facilius ſedatur, qui iã ab alio poenas exegit. Quocirca recte Philocrates, cũ ei populus iratus eſſet, quaereretq. ex eo quidam, cur cauſam ſuã non dieeret, Nondũ, inquit, tempus eſt. Quando igitur? cum alium, inquit, eodem crimine falſo accuſatũ videro. Miteſcunt enim cum iram in alium effuderunt. Vt in Ergophilo cõtigit, nam cum ei infenſiores eſſent, quàm Calliſtheni: liberarunt eum tamen, quia pridie Calliſthenem capite damnauerant. Et ubi quis alium conuicit, facilius ei placatur. Placamur etiam, cũ is cui iraſcebamur, in maius aliquod malum incidit, quàm nos ipſi ei adferre voluiſſemus. quaſi enim nobis poenas dediſſe videtur. Sed & qui ſe aliquid iniuſte feciſſe putant, cur quod ipſis factum eſt, merito factum ſit, facile acquieſcunt. Neque enim excitatur ira aduerſus id quod iure factum eſt: nou enim amplius putant ſe iniuria laeſos: iram autem hinc commoueri dicebamus. Quare ii a quibus poenas exigere uolumus, prius oratione caſtigandi

ſunt.

ſunt.Siquidem & ſerui cum ita caſtigantur,minus iniquo animo ferunt. Facile etiam deſiſtimus ab vlciſcendi ſtudio, cũ putamus eos quos vltum imus,ſenſuros non eſſe, ſibi a nobis eum dolorem inuri, & cur inuratur. Ira enim ſingulos petit, & ſingula nota eſſe vult. vt & ex eius definitione conſtat. Quare praeclare poeta.

Dicito.me Troiae euerſor caecauit Vlixes.

Vt qui ſibi eum vltus non videretur, niſi ſciret ille,& a quo, & quam ob cauſam,ita male acceptus eſſet. Itaque neque alijs, quicumque non ſentiunt,iraſcuntur, neque amplius mortuis. vt qui & paſſi iam ſint id quod ultimum pati poterant, & ſenſuri non ſint: quod,qui irati ſunt, concupiſcunt. Recte igitur poeta de Hectore, cum Achillem ab ira reuocare vellet, eo iam mortuo.

Nunc etenim in terram ſenſu furit ille carentẽ.

Conſtat igitur,lenire,ac mitigare volẽtibus, ex ijs locis ſumenda ea, quibus eos quidem quos placare volunt,tales efficiant: eos autem quibus illi iraſcuntur,oſtendant,aut metuẽdos eſſe,aut verendos,aut aliis in rebus gratificatos,aut inuitos feciſſe, aut iis quae fecerunt, ſupra modum dolere.Nunc quos ament, quoſque oderint, & quas ob cauſas, dicamus. ac principio quid ſit amicitia,quidque amare,definiamus. Sit igitur amare,velle alicui ea quae bona arbitrare:idque eius cauſa,non tua, ad eaque pro viribus ei procuranda, ac conficienda propenſum eſſe, Ami-

cus autem eſt qui amat, & contra amatur. Putant autem ſe amicos eſſe, qui ſe ita inter ſe affectos putant. His autem poſitis, neceſſe eſt, amicum eſſe, eum qui vna gaudet bonis, doletque aduerſis alterius, nullam aliam ob cauſam, niſi propter illum. Omnes enim gaudent, cum ea eueniunt, quae volunt, dolentque cum cõtraria: vt moleſtiae ac voluptates ſigna ſint voluntatis. Et quibus iam eadem bona ſunt, & eadem mala. Et qui iiſdem amici ſunt, iiſdemque inimici. eos enim neceſſe eſt idem uelle. Itaque cum alij velit ea, quae ille quoque alter vult: videtur ei, cum quo ita voluntate conſentit, amicus eſſe. Amant etiam eos, qui aut ipſis, aut ijs quos ipſi caros habent, beneficia tribuerunt aut magna, aut prompto atque alacri animo, aut certis quibuſdam temporibus, idque ipſorum cauſa. Et quos exiſtimant velle benefacere. Et amicorum amicos, eoſque qui amant, quos ipſi amant. Et qui amantur ab ijs quos ipſi amant. Et qui ijſdem inimici ſunt eoſdemque oderunt, & quos oderunt ij, quos ipſi oderunt. Ijs enim omnibus eadem videtur bona quae ipſis: vnde fit vt ea velint, quae ipſis bona ſunt, quod amici eſſe, diximus. Eos quoque amant, qui aut propenſi ſunt ad alios pecunia adiuãdos, aut ad eorum ſalutẽ defendendam. Quo fit, vt liberales, & fortes viri in honore ſint. Et iuſtos. tales autem putant eos. qui ex alijs ſibi victum non parant, cuiuſmodi ſunt, quibus opera vita eſt, & ex his ij praeci-

pue

pue qui agros colunt, maximeque qui ſuos. Et temperantes: quia ſe iniurijs abſtinent. Eademque de cauſa eos qui multis ſe negotiis non implicant. Amamus etiam eos quibus amici fieri volumus, ſi ipſi quoque idem velle videantur. Huiuſmodi autē ſunt, tum qui virtute praeſtāt, tum ii qui bona exiſtimatione ſunt, aut apud omnes, aut apud optimos, aut apud eos quos ipſi, quiue ipſos admirantur. Praeterea illos quorum conuictus, ac conſuetudo ſuauis eſt. Tales autē ſunt, qui faciles ſunt, neque ad aliena peccata redarguenda propenſi, neque concertationum auidi, neque contentioſi. Omnes enim qui tales ſunt, pugnaces ſunt, & qui pugnant, videntur velle contraria. Et ii in quibus ineſt dexteritas quaedam & ad iocandum in alios, & ad excipienda aliorum ioca. vtrique enim idem petere videntur cum eo quicum verſantur: cum & in ſe dicta aequo animo ferre poſſint, & ipſi vrbane in alios dicant. Amant etiam eos qui laudant bona quae in ipſis inſunt: & ex ijs ea maxime, quae ipſi, ne in ſe non inſint, verentur. Et mundos tum facie, tum veſtitu, tū omnibus vitae partibus. Et qui exprobrare non ſolent neque aliena peccata, neque beneficia ſua. vtrique enim redarguunt. Et eos qui facile obliuiſcuntur acceptas iniurias, neque in animo conſeruant ac continent, ſi quas cauſas habent de alijs conquerendi, ſed placabiles ſunt. quales enim eos in alios eſſe exiſtimant, tales in

ſe quoque fore arbitrantur. Eos quoque amamus, qui maledici non ſunt: quique non norunt, neque aliorum mala, neque noſtra, ſed bona tantum. id enim faciunt uiri boni. Et eos qui non aduerſantur iratis, neque ſtudioſe ac ſerio aliquid agentibus. tales enim pugnaces ſunt. Amamus etiam ſtudioſos noſtri, vt eos qui nos admirantur, bonosque ac cultu, & ſtudio dignos eſſe cenſent, quique gaudent noſtra conſuetudine praecipueque ſi ob ea magni fiamus, in quibus volumus ipſi aut admirationi eſſe, aut egregij, aut iucundi ac ſuaues videri. Amat etiam quiſque ſimiles ſui, & iiſdem ſtudiis deditos: niſi eorum alter alteri obſtet: & niſi ſibi ex eodem ſtudio uictum quaerant: tunc enim euenit illud, Figulus figulo. Et eos, qui eadem concupiſcunt, quae modo talia ſint, vt ea ſimul conſequi queant: alioquin enim idem hic quoque euenit. Amant etiam eos, erga quos ita affecti ſunt, vt ne verecundentur apud eos ob eas res quae opinione tantum turpes habentur: cum tamen eos non contemnant: & quos verentur conſcios habere eorum quae vere, ac re ipſa turpia ſunt. Et apud quos in pretio eſſe, aut à quibus beati haberi, non tamen ſibi ab eis inuideri volunt, aut eos amant, aut eis amici eſſe volunt. Et quos libenter ad conſequenda bona adiuuerint, niſi maiora ſibi ex eo mala euentura ſint. Et iis, qui & abſentes & praeſentes aeque amant. Vnde fit, vt qui tales ſunt etiam erga mortuos, ab omnibus

bus amentur. Omninoque eos amant,qui vehementer ſunt amici amicis: neque eos deſerunt: nam ex omnibus bonis maxime amantur boni amici. Et eos qui apud ſe nihil fingunt. tales autem ſunt,qui etiam vitia ſua detegunt. Diximus enim eorum quae opinione tantum turpia habentur,apud amicos nõ pudere. Quod ſi quem pudet, non amat, quem non pudet, amanti ſimilis eſt.Et qui metuendi nõ ſunt:quibuſq. confidimus.Nemo enim quem metuit,diligit. Partes autem amicitiae ſunt,ſodalitas, neceſſitudo, cognatio: & quaecunque talia ſunt. Efficientia autem amicitiae ſunt, beneficiũ, & ſi quis quid fecerit nõ rogatus, et ſi,cũ feciſſet, aliis nõ praedicauerit. nã ita demũ uidetur feciſſe eius cauſa cui tribuit: nõ autẽpropter aliud. De inimicitiis autẽ & odio,conſtat ex contrariis quaerenda eſſe argumenta. Efficientia autem inimicitiarum ſunt,ira,incommodatio,criminatio. Atque ira quidem exiſtit ex iis quae ad nos pertinent: at inimicitiae ex iis etiam quae ad nos non pertinent.Odimus enim,quem talem eſſe opinamur. Et ira ſemper eſt in ſingulos, vt in Calliam, aut Socratem: at odium etiam in totum aliquod hominum genus. nemo enim eſt qui furem,qui ſycophantam non oderit. Et ira quidem tempore ſanari poteſt:odium non poteſt. Et illa quidem moleſtiam inferre ſtudet: hoc vero malum dare potius. Nam iratus quidem ſentire vult eum, quẽ vlciſcitur: eius autem qui odit,nihil refert.

Moleſti

Moleſta autem omnia ſentiuntur: at e malis quae maxima ſunt, minime ſentiuntur, vt iniuſtitia, imprudentia. nullam enim moleſtiam vitij praeſentia inurit. Et alterum cum aegritudine coniunctum eſt, alterum ea vacat. aegre enim eſt ei, qui iraſcitur: at ei qui odit, non item. Et illum quidem, ſi multa mala eueniant ei cui iratus eſt, miſericordia ceperit: hunc vero flectere nihil poteſt. Nam ille quidem eum cui iraſcitur, uiciſſim moleſte aliquid perferre vult: at ille eum quem odit, prorſus extingui. Conſtat igitur, ex iis ſumi poſſe ea quibus tum eos qui inimici amiciue ſunt, tales eſſe doceamus, tum eos qui non ſunt, in eam opinionem adducamus, tum diſſoluamus ea, quibus nitentur ij, qui horum vtrumlibet dicent: tum ſi, ira ne an odio factum ſit aliquid, ambigatur, vtram in partem maluerimus, audientium animos impellamus. Quae autem, & quos, & quomodo affecti metuant, hac ratione intelligetur. Sit igitur metus moleſtia aut perturbatio quaedam ex obiecta ſpecie imminentis mali, in quo inſit vis aut interimendi, aut moleſtiae inferendae. Non enim omnia mala metuit quis: vt ne iniuſtus, neue tardo ingenio fiat. Sed quaecunque aut magnas moleſtias adferre, aut etiam interimere poſſunt. atque ea ipſa ita demum, ſi non longe diſtent, ſed propinqua ſint, ita ut immineant. Homines enim ea quae longe abſunt non timent. ſciunt enim omnes ſibi eſſe moriendum. Sed quia id

prope

prope eſſe non putant, non laborant. Quòd ſi haec metus natura eſt, neceſſe eſt terribilia eſſe, quaecunque videntur magnam vim habere interimendi, aut ita nocendi, vt magna aliqua moleſtia conſequatur. Quocirca talium & ſigna ipſa terribilia ſunt. Prope enim adeſſe videtur, quod terribile eſt. Nã & hoc ipſum periculum eſt, rei terribilis appropinquatio. Talia autem ſunt inimicitiae, & ira potẽtium. Conſtat enim eos & uelle, & poſſe: ita ut inibi iam ſit, vt faciãt. Et iniuſtitia viribus praedita. Nam iniuſtus, eo ipſo iniuſtus eſt, quod velit. *E*t uirtus cõtumelia affecta, uires habens. Cõſtat enim eam ſemper quidem cupere vlciſci ſe, nunc autem etiam poſſe. Terribile eſt etiam metui ab iis qui nocere poſſunt. paratos enim eſſe eos neceſſe eſt. Quando autem plaerique hominum improbi ſunt, & uinci ſe à lucro ſinunt, & in periculis timidi ſunt: plaerunque terribile eſt ex aliena poteſtate pendere. Itaque qui facinoris alicuius alij conſcij ſunt, metuendi ſunt, ne aut prodant, aut deferant. *E*t qui poſſunt iniuriam facere, terribiles iis qui poſſunt iniuria affici. Magnam enim partem homines iniuriam, cum poſſunt, faciunt. *E*t qui aut iniuriam acceperunt, aut accepiſſe ſe putant. ſemper enim captant occaſionem. Et qui iniuriam fecerunt, ſi vires habeant, metuendi ſunt. metuunt enim ne quod fecerunt ſibi referatur. poſitum autem eſt hoc terribile eſſe. *E*t competitores earum re-
rum,

rum, quas utrique ſimul conſequi non queunt: ſemper enim aduerſus tales quaſi bellum quoddam gerunt. Et qui terribiles ſunt potentioribus, etiam ipſis terribiles ſunt. Nam ſi potentioribus nocere poſſunt, multo magis ipſis. Eandemque ob cauſam ij quos timent qui potentiores ſunt. Et qui maioribus viribus praeditos ſuſtulerunt. Et qui non dubitant in potentiores impetum facere. aut enim iam metuendi ſunt, aut certe cum uiribus aucti erunt. Ex iis autem qui iniuria aſſecti ſunt, & ex inimicis, aut competitoribus, non ij qui ira maxime efferueſcũt, & libere loquuntur, ſed ſedati, & diſſimulatores, & callidi. Incertum enim eſt, an prope ſint. ita ut nunquam conſtet, eos longe abeſſe. Omnia autem terribilia, terribiliora ſunt, cũ, ſi quid in eis peccatum ſit, corrigi non poteſt: ſed aut omnino talia ſunt, ut corrigi non queant, aut eorum correctio in aduerſariorum poteſtate ſita eſt. Et aduerſus quae auxilium nullum eſt, aut non facile. Atque ut uniuerſe dicam, terribilia ſunt quaecunque cum alijs eueniunt, aut imminent, miſericordiam commouent. Terribilia igitur, & quae metuunt homines, haec fere praecipua ſunt. Quemadmodum autem affecti ipſi metuant, nũc explicemus. Si ergo metus eſt cum quadam expectatione excipiendi, ac perpetiendi aliquid, quod interitum adferre poſſit: conſtat eos non metuere, qui ſibi nihil tale euenire poſſe arbitrantur. Neque ea metuunt, quae ſibi

bi putant euenire non poſſe: neque eos, à quibus non putant, neque tunc cum euentura ea non putant. Neceſſario igitur ij demum timẽt, qui & ſibi euenire poſſe mali aliquid, & ab iis, & haec mala, & tunc euenire poſſe arbitrantur. Non putant autem ſibi tale quidquam accidere poſſe, neque ii qui in magnis proſperitatibus aut ſunt aut videntur, vnde & contumelioſi sũt, & contemptores, & audaces: tales autem efficit diuitiarum affluentia, robur, amicorum copia, potentia: neque ii qui omnia ſibi atrocia eueniſſe iam putant, ita ut obriguerint ad futurum: ut ij qui iam ad ſupplicium ducuntur: ſed oportet ſpem aliquam ſubeſſe, ſeruari ſe poſſe ab eo quod illos anxios, & ſollicitos habet. Cui rei hoc argumento eſt: quòd metus ad conſultandum homines excitat. de rebus autem deſperatis nemo conſultat. Itaque ſi quando cauſae noſtrae expediet, vt auditores metuant, tunc ita eos dicendo afficere conabimur, vt putent talia ſibi accidere poſſe: quod & maioribus ac potentioribus acciderint. Oſtendemus etiam eiuſdem ordinis aliquos, qui perpetiantur, perpeſſiue ſint, à quibus non putaſſent, & quae non putaſſent, & tum cum minime putaſſent. Quando igitur conſtat, quid ſit metus, & quae terribilia, & quomodo affecti ſinguli metuant: conſtat etiam quid ſit conſidere, & quibus in rebus, & quomodo affecti homines facile confidant. Nã, & fiducia metui aduerſatur, & id quod fiduciã

gignit,

gignit, ei quod terret. Itaque ſpes eſt,cum opinione, ea quae ſalutem adferre poſſint, praeſto eſſe: ea vero quae terrendi vim habeant,aut nulla eſſe,aut longe abeſſe. Fiduciae autem efficientia ſunt haec: ſi quae terrere poſſunt, procul ab ſint: quae ſaluti eſſe, praeſto ſint. & cum, ſi quid euenerit,non deſunt facultates corrigendi,ac reſarciendi: & auxilia aut multa, aut magna, aut vtraque. Et ſi iniuriam neque acceperint,neque intulerint: & ſi competitores aut omnino non ſint,aut uires non habeant,aut,ſi habeant, amici ſint. Et ſi beneficia aut tribuerint,aut acceperint. Aut ſi plures ſint,quibus eadem utilia ſint, aut potentiores, aut utrumque. Ipſi autem ita affecti facile confidunt: ſi multa ad eum quem volebãt exitum perduxiſſe ſe, neque quidquam ſibi incommode eueniſſe opinantur. Aut ſaepe in periculum adducti,incolumes euaſerint. Duobus enim modis terroris expertes homines fiũt: aut quod experti non ſint, aut quod auxilia parata habeant Vt in periculis quibus conflictantur in mari, firmo animo ſunt tum qui rudes ſunt tempeſtatum, tum qui uſu & experientia multas expediendae ſalutis ſuae rationes tenẽt. Confidunt etiam, cum uident ſui ſimiles non terreri,neque inferiores,& eos quibus ipſi ſe potentiores putant. Eos autem tales eſſe ducunt, quos uicerunt aut ipſos, aut alios potentiores, aut ſimiles. Et ſi putent adeſſe ſibi plura,& maiora eorum,quibus qui praeſtant,terribiles sũt.

Cuiuſ-

Cuiuſmodi ſunt pecuniae magnitudo, robur corporum, amicorum, regionis, apparatuum belli aut omnium, aut maximorum. Et ſi aut neminem iniuria affecerint, aut non multos, aut non tales, ut ab eis ſibi timere debeant. Omninoque ſi, quae ad Deos pertinent, proſpera ipſis ac ſecunda ſint, tum alia, tum ſigna atque oracula. Nam & ira fiduciam efficit, & iram opinio illa, cum quis non ſe iniuriam facere, ſed ſibi iniuriam fieri putat: & diuinum numen exiſtimatur iis quibus iniuria fit opitulari. Et cum, ſi priores impetum fecerint, nihil ſe incommodi accipere poſſe, aut accepturos eſſe, aut rem tamen bene geſturos arbitrantur. Ac de iis quidem quae metum aut fiduciam afferunt, dictum eſt. Quarum autem rerum homines pudeat, quarum non pudeat, & apud quos, & quomodo affecti ipſi pudore afficiantur, aut minus, ex his intelligetur. Sic igitur pudor moleſtia quaedã, & perturbatio animi orta ex iis malis quae ignominiam inurere uidentur aut praeſentibus, aut praeteritis, aut futuris. Impudentia autem contemptio quaedam, & firmitas animi aduerſus ea ipſa. Quod ſi haec pudoris natura eſt, neceſſe eſt ea mala cuique pudorem incutere, quae turpia videntur eſſe ipſi, aut iis quos curae habet. Talia autem ſunt quaecunque à vitio proficiſcuntur, vt abiicere clypeum, aut fugere: timiditatis enim eſt: & fraudare alium depoſito: iniuſtitiae enim eſt: & commiſcere corpus cum

quibus

quibus non oportet, aut quo loco, aut quo tempore non oportet: eſt enim intemperantiae: & lucrum facere ex rebus puſillis, aut turpibus, aut ex iis quae fieri non poſſe videãtur, ut a pauperibus, aut à mortuis. Vnde & prouerbium eſt, etiam à mortuo aliquid abradere. Hoc enim a turpis lucri cupiditate, & ab illiberalitate naſcitur. Et non ſubuenire pecunia, cum poſſis, aut reſtrictius ſubuenire. & tale auxilium petere ab iis qui minus habent: & mutuam pecuniam capere, cum quis à te periturus videtur: & petere, cum aliquem repetiturum, aut repetere, cum eum à te petiturum putas. Et laudare, vt petere videaris: & cum repulſus ſis, nihilominus petere. Omnia enim haec ſigna ſunt illiberalitatis: praeſentem autem laudare, adulationis. Et bona quae in eo inſint ſupra modum laudare, mala vero inducere, ac quaſi oblinere. Et immodice dolere alieno dolore. Et quaecunque alia eius generis ſunt. adulationis enim ſigna ſunt. Et imparem eſſe iis laboribus, quos ferant grandiores natu, aut delicati, aut in maiore dignitatis gradu collocati, omninoque ij qui minus videntur poſſe. omnia enim haec mollitiam arguunt. Et ab alio beneficium accipere, & ſaepe. Et quae benigne in alium feceris exprobrare. Haec enim omnia puſilli, & humilis animi ſigna ſunt. Et de ſe dicere ac praedicare. Et aliena ſibi vindicare. arrogantiae enim eſt. Itidemque in omnibus vitiis; nam & facta, & ſi-

gna,

gna,& talia turpia & pudenda ſunt. Et praeterea quorum bonorum omnes participes ſint, aut omnes ſimiles, aut plaerique, eorum expertem eſſe. ſimiles autem uoco, qui eiuſdē gentis ſunt, ciuitatis, aetatis, familiae, vno verbo, pares. Iam enim turpe eſt, eorum participem non eſſe: vt eruditionis, vſque ad aliquem modum, itidemque aliorum. Atque haec omnia eo turpiora, ſi in ipſo culpa haereat. Tunc enim magis intelligitur haec a vitio eſſe, cum quis ſibi cauſa eſt, vt ea in ſe aut extiterint, aut ſint, aut futura ſint. Verecundantur autē cum ſibi aut eueniunt, aut euenerūt aut euētura ſunt, quaecūq. ignominiā ac dedecus conciliant. Vt cum quis aut corpore, aut foedis factis alicui inſeruit, ac morigeratur. cuius generis eſt, flagitioſam alicuius libidinem explere. Ac quae quidem ad intemperantiam pertinent, tnrpia ſunt, ſiue ſponte. ſiue inuitus ea quis perferat: quae autem ad uim, ita demū ſi inuitus. Talis enim perpeſſio ab ignauia eſt, & timiditate. Et ea à ſe nō depellere, neque vlciſci. Quae igitur pudorē incutiunt, haec & talia ſunt. Quoniam autem pudor eſt ſpecies quaedam quae obuerſatur animo, amiſſae, amittendae ue exiſtimationis, idque ipſius exiſtimationis cauſa, non eorum quae inde proueniūt: & nemo de exiſtimatione laborat, niſi propter ipſos qui de ſe exiſtimāt: neceſſe eſt, eorū quemq. pudere, quorū rationem ſibi habendam putat. Rationem autem quiſq. habet eorum à quibus

colitur, & eorum quos colit ipſe, & eorum à quibus ſe coli vult: & eorum quibuſcum de honore concertat, & quorum opinionem non cõtemnit. Coli igitur ac ſuſpici ſe ab ijs volunt, eoſque ſuſpiciunt ipſi, qui bono aliquo praediti ſunt, eorum quae honore digna cenſentur. Aut à quibus vehementer cupiunt impetrare aliquid, quod in ipſorum poteſtate eſt, vt amantes. De honore autem concertant cum paribus. Laborant autem de opinione prudentium, vt qui uere opinentur. Tales autem ſunt ſenes, & eruditi. Et pudorẽ mouent quae in oculis ſunt, & in propatulo. Vnde & prouerbio dicitur, pudorem in oculis habitare. Quare eorum magis nos pudet, qui ſemper vna futuri ſunt, & qui attente obſeruant quid à nobis agatur. Vtrumque enim eſt in oculis. Et eorum qui ijſdem culpis obnoxij non ſunt. conſtat enim contra ipſis videri. Et eorũ qui quos peccare putant, faciles ad tribuendam eis veniam nõ ſunt. Aiunt enim quae quiſque facit, ea facientibus alijs eum non indignari: ex quo perſpicuum eſt, indignari, cũ ea faciunt, quae ipſe nõ facit. Et qui quae ſciũt, libenter in vulgus enuntiant. Nihil enim intereſt non videri peccaſſe, & peccatum non efferri foras. Libenter autem talia diſſeminant, tũ qui iniuriam acceperunt: obſeruant enim quid fiat ab ijs a quibus laeſi ſunt: tum maledici. nam ſi eos qui nulla in repeccant, traducunt tamẽ, multo magis eos qui peccant. Et ij qui aliena pec-

cata

cata inquirere ſibi ſtudio habent, vt deriſores, & comoediarum ſcriptores: nam hi quoque maledici ſunt, & ad aliena peccatà diuulganda propenſi. *E*os quoque verentur, a quibus nihil vnquam fruſtra petierunt: videntur enim eis admirationi eſſe. Quo fit vt etiam eos vereantur, qui tunc primum a ſe aliquid petunt, vt apud quos integra adhuc ſit exiſtimatio ſua. Tales autem ſunt, & qui recens amici nobis eſſe cupiunt: viderunt enim quae in nobis ſunt optima: vnde bene reſpondit *E*uripides Syracuſanis: & ex vetuſtis familiaribus, ij qui nullius turpitudinis conſcij ſunt. Pudorē autem commouent non ea modo ipſa quae diximus pudenda eſſe, ſed & eorum ſigna. *E*xempli cauſa, non tantum rebus venereis operam dantes verecundantur: ſed & eius rei ſigna pudorem incutiunt. neque tantum facientes ea quae turpia ſunt, ſed & dicentes. Eodemq. modo nō tantum eorum nos pudet, quos diximus, ſed & eorum qui ipſis indicaturi ſint. Itaq. ſeruos quoque, & amicos eorum veremur. Omnino autem neque eos veremur, quorum opinionem valde contemnimus: vt nemo veretur puerulos: aut beſtias: neque earundem rerum pudet apud familiares & apud ignotos: ſed apud familiares quidem, eorum quae ad veritatem, apud externos autem, eorum quae ad opinionem. Ipſi autem ita affecti, facile verecundantur: primum quidem ſi qui ſint ita er-

ga eos affecti, vt eos eſſe diximus, quos verentur Erāt autem ij aut qui admirationi ſunt, aut qui admirantur, aut quibus admirationi eſſe ſtudēt, aut a quibus egent re aliqua, quam, ſi exiſtimationem amiſerint, non conſequentur. Hique, ſi aut videāt: vt Cydias in oratione de diuidendo agro Samio dixit: petijt enim ab Atheniēſibus, vt exiſtimarent ſe cinctos eſſe corona Graecorum omnium, qui non tantum audituri eſſent, ſed viderent ea quae illi ſuffragiis ſuis ſciſcerēt: aut prope ſint, ſenſuriue ſint. Quo fit vt qui in malis ſunt, ſe tunc ab eis conſpici nolint, qui eos aliquando beatos eſſe ducebant. Quē enim quis beatum eſſe iudicat, eundem admiratur. Et ſi habeant ea quae pudorem incutiunt, ſiue res, ſiue actiones vel ſuas, vel maiorum, vel aliorum quibus cum aliqua eis intercedit neceſſitudo: omninoq. eorū pro quibus ipſi verecundantur. Tales autē ſunt tū ij quos diximus, tū ii qui aut magiſtris nobis aut conſiliariis uſi ſunt. Et ſi qui ſint eiuſdē ordinis, cū quibus de honore contendant. Multa enim & faciūt homines, & non faciunt, talium pudore commoti. Magis etiam eos pudet, qui ſciunt ſe viſum iri a conſcijs cōtractae illius maculae, & in illorum oculis fore. Vnde & Antipho poeta, cum Dionyſij iuſſu ad ſupplicium duceretur, videretq. eos quibus ſecum vna moriendum erat, cum e portis exirent, caput ſibi obuoluentes, Quid, inquit caput obnubitis? an ne quis vos horum

cras videat? Haec igitur de verecũdia dicta ſint. De inuerecundia autem, conſtat, e contrarijs magnam nobis enthymematum copiam fore. Quibus autem gratiam haheant,& quas ob res, aut quomodo ipſi affecti, perſpicuum erit, ſi prius,quid gratia ſit,definierimus.ſit igitur gratia, qua is qui quid habet, dicitur gratificari indigenti:nō vt aliquid referat:neque vt ad eum qui gratificatur aliquid propterea perueniat: ſed eius tantum cauſa, cui gratificatur. Magna autem,ſi aut valde egentibus, aut ſi magna tribuantur,aut difficilia, aut in eiuſmodi temporibus,aut ſi ſolus,aut primus,aut maxime. *E*gere autem dicuntur homines ijs quae appetunt, maximeq. ſi eis carcere ſine dolore nō poſſunt. Tales autem ſunt cupiditates: vt amor. Et qui male affecto ſunt corpore, & qui in periculis verſantur. Nam & qui periclitatur, & cui aegre eſt,concupiſcit. Quocirca & qui in paupertate, fugaue ſubueniunt, etiam ſi parua quaedam ac minuta ſuppeditauerint, propter magnitudinẽ indigentiae,& propter tempus ipſum,magnam gratiam ineunt. Vt is qui in Lyceo ſtoriã dedit. Neceſſe igitur eſt ad talia ſubuenire ijs, quos deuincire volumus: ſin id non liceat, ad aequalia, aut maiora. Itaque cum conſtet & quando, & quibus in rebus, & quomodo affectis hominibus tribuendo beneficio concilietur gratia: perſpicuũ eſt, ex ijs ſumenda eſſe,quibus oſtendamus, hos quidẽ aut eſſe aut fuiſſe in tali mo-

leſtia, & indigentia : illos autem in tali neceſſitate ſuppeditaſſe tale aliquid. Conſtat etiam, vnde ſumenda ſint, quibus remoueri poſſit gratia, & effici, vt nulla gratia deberi uideatur. Aut enim ſuum commodum illos in tribuendo ſequi, ſecutos ve eſſe : id autem beneficium non eſt : aut caſu feciſſe, aut coactos : aut reddidiſſe non dediſſe. ſeu ſcientes, ſeu neſcientes. Vtroq. enim modo aliquid pro aliquo redditur : vt ne ſic quidem gratia vlla debeatur. Ac perluſtrandae ſunt animo omnes categoriae. Spectatur enim beneficium re ipſa, magnitudine, qualitate, tempore, loco. Signum autem, ſi minus aliquid nobis tribuere noluerunt. Et ſi inimicis ſuis aut eadem, aut paria, aut maiora tribuerũt. Conſtat enim ne illa quidem tribuiſſe quod nobis bene cuperent. Aut ſi quis ea quae tribuit vilia eſſe norit. Nemo enim vilibus egere ſe cõfitetur. Quibus igitur rationibus gratia aut cõciliari aut detrahi poſſit, expoſitum eſt. Nunc autem dicamus, quae miſerabilia ſint, & quorũ miſericordia commoueri, & quomodo ipſi affecti, homines ſoleant. Sit igitur miſericordia aegritudo quaedam exorta ex eo quod malum eſſe videatur, aut interitus, aut moleſtiae adferẽdae vim habens, ei qui tali ſorte indignus ſit: quodque tale eſt, vt id nobis quoque, aut alicui noſtrorum euenire poſſe arbitremur : idque ſi eiuſmodi malum propinquũ eſſe videatur. Cõſtat enim neceſſario requiri, vt is, qui alium miſeraturus

ſeraturus eſt,talis ſit,vt putet aut ſibi,aut ſuorũ alicui euenire poſſe aliquid mali,idq. tale, quale in definitione dictum eſt,aut ſimile, aut propinquum, Quare neque ij qui funditus perijſſe ſe putant, miſerantur: nihil enim amplius ſibi putant diri euenire poſſe, vt quibus omnia iam euenenrit: neque qui ſibi ſupra modum beati videntur: immo vero contumelioſi ſunt. Nam ſi bona omnia ſibi adeſſe putant: illud quoque neceſſe eſt ſibi adeſſe exiſtiment, vt ne in vllum malum incidere poſſint: eſt enim hoc quoque in bonis. Contra vero tales ſunt, vt poſſe ſibi euenire aliquid putent, tum ij,qui iam in malũ aliquod inciderunt,ex eoque euaſerunt: tum ſenes & propter prudentiam,& propter experientiam. Et imbecilli, & timidiores magis. *E*t eruditi.bene enim ſecum rationẽ reputant. *E*t quibus ſunt parentes,aut liberi,aut vxores. Nam & eos in ſuis quiſque ducit: & obnoxij ſunt eiuſmodi caſibus. Non autem ij qui ſunt in motu animi ad adiuuandam fortitudinem apto, vt in ira,& confidantia. Haec enim, quid futurum ſit non cogitant. Neque ij quos contumelioſos ſecundae res fecere: nam nec hi quidem putant ſibi quidquam accidere poſſe. ſed qui inter hos interiecti ſunt. Neque rurſus qui ualde metuũt: neque enim qui perterrefactus eſt, miſeratur alios,ſed ipſe de ſe cogitat. *E*t ſi viros bonos eſſe aliquos putent. nam qui de nemine bene ſentit, omnes malo dignos eſſe arbitrabitur. Omnino

autem cum ita affectus aliquis eſt, vt aut ſibi aut ſuis talia uel iam eueniſſe meminerit, vel ne eueniant timet. Quemadmodum igitur affecti miſereantur, dictum eſt. Quae autem res miſericordiam concitent, ex definitione perſpicuum eſt. quaecumque enim moleſtiam ac dolorem inurunt, omnia miſerabilia ſunt. Et quaecumque interimendi vim habent. Et quorum malorum cauſa fortuna eſt, quae quidem alicuius põderis ſint. Dolorem autem adferunt, & interimendi vim habent mortes, uerbera, corporum uexationes, ſenectus, morbi, cibi penuria. Mala autem quae a fortuna inuehuntur, ut ſolitudo ab amicis, ut paucitas amicorum. Itaque etiam diuelli ab amicis, & familiaribus, miſerabile eſt. Et deformitas, imbecillitas, debilitatio. Et ſi unde boni quid expectari par erat, inde malũ aliquod proueniat. Et ſi ſaepe tale aliquid contingat. Et ſi boni quid tum demum euenit, cum is, cui euenit, perpeſſus eſt quicquid perpeti poterat. Vt Diopithi regia munera iã mortuo miſſa ſunt. Et ſi boni aut nihil euenerit, aut tum demũ euenerit, cum fructus iam nullus ex eo percipi poteſt. Haec igitur, & talia ſunt, quae miſericordiam commouent. Miſerantur autem & familiares: niſi ſi qui eis arcto admodum neceſſitudinis uinculo coniuncti ſint. nam in hos ita affecti ſunt, ut in ſe ipſos. Quocirca & Amaſis filium quidem ad ſupplicium duci uidens, non illacrimauit: ſed cum amicum mendicantem uideret.

deret. Nam hoc quidem miſerabile erat: illud autē atrox. Differt enim atrox a miſerabili: imo uero atrocitas miſericordiam exturbat: ſaepeque in contrarium vtiliter adhibetur. Miſerātur praeterea, cum id quod graue ac moleſtum eſt, appropinquat. Et quiſque ſimiles ſui, aut aetate, aut moribus, aut habitibus, aut dignitate aut genere. Nam haec omnia efficiunt, vt magis putet quiſque ſibi idem euenire poſſe. Omnino hic quoque intelligendum eſt, quaecumq; homines in ſemetipſis metuunt, ea cum alijs eueniunt, miſericordiam commouere. Quoniā autem quae perpeſſu acerba ſunt: ita demū miſerationem commouent, ſi prope eſſe uideātur: quae autem decem ab hinc millibus annorum fuerunt, futuraue ſunt, neque expectantes, neq. memoria repetentes miſerantur, aut omnino, aut non adaequae: neceſſe eſt, eos, qui ad miſericordiam commouendam conformati ſunt, & geſtu corporis, & uoce, & ueſte, & omnino actione miſerabiliores eſſe. Haec enim qui adhibent efficiunt vt res propinqua eſſe uideatur, conſtituentes malum ante oculos, aut ut futurum, aut ut praeteritum. & quae nuper fuere, aut breui futura ſunt, propter eam ipſam cauſam miſerabiliora ſunt. Et indicia, & actiones: ut ueſtes eorum qui graue aliquid pertulerunt, & quaecunque eius generis ſunt: & ſermones ab ijs habiti in ipſa calamitate, ut iam morientium: praecipueque ſi in eiuſmodi temporibus bonos uiros

ſe eſſe oſtenderint. Omnia enim haec, quia uicina uidentur, efficaciora ſunt ad miſericordiam commouendam: tum quod is cui talia obtigere, tali ſorte indignus ſit: tum quod ante oculos res ipſa ſtatuatur. Miſericordiae autem maxime quidem aduerſatur ea quae indignatio dicitur. Pugnant enim haec quodammodo, cum tamen ab iiſdem moribus proficiſcantur, dolere aduerſis rebus alicuius, quod eis indignus ſit: & proſperis, quod eis itẽ indignus ſit. Vterque autem horum animi motuum hominis eſt bonis moribus praediti. Nam & quibus res immerentibus male ſuccedunt, cum eis vna dolere, eosque miſerari: & quibus bene, praeter ipſorum dignitatem, eis indignari oportet. Iniuſtum enim eſt, quicquid eſt praeter dignitatem. Quocirca Diis quoque ipſis tribuimus indignationem. Videri autem poteſt, & inuidentia miſerationi eodem modo opponi, tamquam uicina, & eadem cum indignatione: ſed tamen alia eſt. Nam & inuidentia aegritudo quaedam eſt, quae animum pertubat ob res alterius ſecundas. Non tamen eius qui eis indignus ſit: ſed qui aequalis ac ſimilis. Hoc autem & in eis qui indignantur, & in eis qui inuident peraeque ineſſe oportet, vt ne doleant cauſa ſua, neque quòd ſibi aliquid aliud euenturum putent: ſed eius tantum ipſius cauſa, qui proſpera fortu na vtitur. Iam enim haec uon inuideutia, neque indignatio fuerit, ſed metus, ſi eo angatur quis

ac

ac perturbetur animo, quod ex aliena proſperitate mali ſibi aliquid euenturum ſit. Conſtat autem fore, vt ex his affectibus alii etiam affectus inter ſe contrarij conſequantur. Nam qui ex bonorum virorum calamitatibus dolorem capit, idem ſi malis male eſſe viderit, aut gaudebit, aut certe nullam ex ea re moleſtiam ſentiet. Nemo enim vir bonus parricidae aut ſicarij ſupplicio miſericordia commouetur. Gaudendum enim potius eſt, cum tale aliquid euenit: vt & cum proſpera fortuna vtuntur, qui ea digni ſunt. Vtraque enim iuſta ſunt, & viro bono gaudium adferunt. Neceſſario enim quae videt euenire ſui ſimili, ea ſperat etiã euẽtura ſibi. Eorumdẽque morum haec omnia ſunt: vt contraria contrariorum. Nam qui alienis malis laetatur, idẽ eſt etiam inuidus. Nam quae cuique res cum fit, cumque eſt, moleſtiam adfert: idem eius rei abſceſſu atque interitu gaudeat, neceſſe eſt. Quare ſunt haec quidem omnia apta ad impediendam miſericordiam: differunt autem inter ſe ob eas quas diximus cauſas. Itaque ſunt omnia eodem modo vtilia ad efficiẽdum ne res miſerabiles eſſe videãtur. Primũ igitur de indignatione dicamus, tum quibus indignentur, tum quas ob res, tum quomodo ipſi affecti: deinde cetera perſequemur. Hoc autẽ ex iis quae iã diximus, planum eſt. Si enim indignari eſt, aegre ferre, quòd alicui res proſpere ſuccedant praeter ipſius dignitatem: primum quidem conſtat, non

omni

omnia cuiuſque generis bona indignationem concitare. Nō enim ſi quis iuſtus aut fortis euadat, aut uirtutem denique aliquam cōſequatur, propterea ei quiſquam indignabitur. Neque enim contrariis rebus miſericordia commouetur. Sed ſi opes, ſi potentiam, & talia, quibus, vt vniuerſe loquar, digni ſunt viri boni: & ii qui habent ea quae natura bona ſunt, vt nobilitatē, dignitatem formae, & quae ſunt huius generis. Quoniam autem quod antiquum eſt, prope naturale videtur eſſe: neceſſe eſt ſi plures idem bonum habeant, maiorem in eos indignationem concitari, qui id nuper conſecuti ſint, atque ob id bene, ac feliciter uiuant. Maiorem enim dolorem inurunt ii, qui nuper ad diuitias peruenerunt, quàm ij, quibus illae veteres ſunt, & hereditariae. Eodemque modo qui ad imperia, ad potentiam, ad copiam amicorum, liberorum, & quaecunque alia ſunt eiuſdem generis. Itidemq. ſi horum ope aliquid aliud boni nanciſcantur. Nam & hic maiorem moleſtiam afferunt, qui repente diuites facti ſunt, ſi propter opes magiſtratum aliquem ceperint, quàm ii, quibus ve tuſtae ſunt diuitiae. Eademque in ceteris ratio. Cauſa autem eſt: quoniam hi quidem videntur ſua & propria habere: illi autem non ſua. Quod enim ſemper uidetur ita ſe habere, uerum uidetur. Quo fit, vt alij videantur habere non ſua. Ac quoniam non cuilibet bonum quodlibet conuenit: ſed eſt quaedam analogia, & aliud

alij

alij conuenit: vt pulchra arma non iuſto conue niunt,ſed forti : & matrimonia praeſtantia non iis qui nuper diuites eſſe coeperunt, ſed nobilibus: euenit vt interdum etſi vir bonus conſequatur aliquid boni, quia tamen id bonum ipſi nõ conuenit, commoueatur indignatio. Sed & ſi inferior cum ſuperiore contendat: maxime quidem,ſi ea ipſa in re in qua inferior eſt. Vnde & illud dictum eſt.

Aiacis autem declinabat pugnã Telamoniadae.
Iuppiter enim ei indignabatur, ſi quando fortiori viro contenderet.

Sin minus, etiam quacunque in re inferior cum ſuperiore contendat. Vt ſi muſicus cum viro iuſto. praeſtat enim iuſtitia muſicae. Quibus igitur & propter quae indignentur, ex his perſpicuum eſt. ſunt enim haec & talia. Propenſi autem ſunt ad indignationem qui & maximis bonis digni ſunt, & ea conſecuti. Neque enim iuſtum eſt, ſimilem eſſe eorum qui ſimiles non ſunt,dignitatem. Secundo autem loco,qui cum boni,graueſque viri ſint,ea non conſequuntur: nam & recte iudicant, & oderunt ea quae iniuſta ſunt. Et ſi honoris cupidi, ac talium actionum appetentes: praecipue ſi iis in rebus gloriae cupidi ſint,quas alij,cum indigni ſint,conſequuntur. Omninoque qui dignos eſſe ſe exiſtimant iis quibus indignos alios eſſe ducunt, eis, & ob illa,facile indignantur. Quo ſit,vt homines ſeruili ingenio praediti, & non magni pre-

tij, qui nullo ſtudio honoris tenentur, non ſint propenſi ad indignationem. Nihil enim tale eſt, quo ſe ipſi dignos exiſtiment. Conſtat autem ex iis, cuiuſmodi ſint homines, quibus aduerſa fortuna vtentibus, aut male rem gerẽtibus, aut ab eo quod cupiunt excidentibus, gaudere, aut certe nullam ex eo moleſtiam capere oportet. Ex iis enim quae diximus etiam contraria intelliguntur. Itaque ſi dicentis oratio iudices quidem tales effecerit, eos autem qui miſericordiã ſui commouere conantur, iis ipſis in rebus de quibus agitur, oſtendat eſſe indignos qui conſequantur quod uolunt, dignos autem qui non conſequantur, fieri non poteſt, ut miſeratio excitetur. Conſtat autem & quas ob res inuideant, & quibus & quomodo ipſi affecti. Si quidem inuidia eſt, moleſtia quaedam ex eo, quod in eo de quo diximus bonorum genere, alij ſimiles bene ac feliciter rem gerere videantur: idque nõ vt ne quid eueniat ei qui inuidet, ſed eorum ipſorum cauſa quibus inuidetur. Ergo inuidebunt ij, quorum aliqui ſimiles aut ſunt aut videntur. Similes autem dico, genere, cognatione, aetate, habitu, gloria, facultatibus. Et quibus parum abeſt, quin eadem omnia inſint. Quocirca qui magnas res gerunt, fortunaque proſpera vtuntur, inuidi ſunt. quicquid enim ad alios peruenit, id ſibi eripi arbitrantur. Et qui praeter ceteros in re aliqua magni fiunt: maximeque ſi ob ſapientiam, aut felicitatem. Et honoris cupidi

magis

magis inuidi, quàm qui honoris ſtudio uacant. Et qui opinionem ſapientiae aucupantur. Coli enim ob ſapientiam uolunt. Et omnino qui ex quaque re gloriam captant, vbi de ea re agitur, facile aliis inuident. Et qui anguſti, ac puſilli ſunt animi. omnia enim eis videntur magna. Quae autem bona ſint, ob quae inuidetur, iam dictum eſt. nam ex quibuſcunque rebus gloriam, & honorem ambiunt, hominumque opinionem aucupantur, & quaecunque in proſperitate fortunae poſita ſunt, iis fere omnibus inuidia concitatur. Maximeque ob ea quae ipſi appetunt, aut putant habere ſe oportere: aut quorum poſſeſſione ipſi uel paullo ſuperiores ſunt, uel paullo inferiores. Perſpicuum etiam eſt, quibus inuideant. nam eadem opera id quoque explicatum eſt. Proximis enim & tempore, & loco, & aetate, & gloria inuident. Vnde dictum eſt,

Namque inuidere nouit & cognatio.

Et iis, quibuſcum de honore contendunt. Si quidem & cum iis contendunt, quos diximus: neque inuidet quiſquam iis qui ab hinc decem millibus annorum aut fuerunt, aut erunt, aut mortuis. neque iis qui habitant ad columnas Herculis. neque ijs [illegible] quibus ſe longo interuallo, aut ſuo aut aliorum iudicio relinqui putant. neque iis, quibus ſe multo ſuperiores eſſe arbitrantur. talibus, & ob talia non inuident. Quoniam autem cum eorundem ſtudiorum

rum aemulis, & cum riualibus, omninoq́ue cum iis qui eadem quae ipſi, concupiſcunt, de honore concertant, eis maxime inuideant, neceſſe eſt. Vnde dictum eſt. & figulus figulo. Et iis qui cito aliquid conſecuti ſunt, ab iis qui uix, aut ne uix quidem idem conſequi potuerunt, inuidetur. Et iis quibus id quod volunt conſecutis, ac bene rem gerentibus aliquod nobis ex eo dedecus conflari uidetur. Tales autem ſunt, qui propinqui, ſimilesque ſunt. Conſtat enim, quòd nō idem bonum conſequamur, culpa id noſtra euenire: quare ea moleſtia animum vellicans inuidiam efficit. Et iis à quibus quae ſibi cōueniunt, quaeue ipſi olim obtinuerunt, haberi, atque obtineri uident. Quae cauſa eſt cur ſeniores iunioribus inuideant. Inuident etiam qui magnos ſumptus ad aliquid obtinendum fecerunt, iis qui paruo ſumptu idem ſunt conſecuti. Conſtat etiam, quas ob res, & quibus in perſonis, & quomodo affecti ii qui tales ſunt gaudeant. Nam quomodo affecti dolent alienis bonis, eodem modo affecti gaudebunt contrarijs. Itaque ſi iudices quidem ita oratione conformati fuerint: ij autem qui miſericordiam ſui excitare, aut boni quid conſequi uolunt, tales ſint, quales paullo ante diximus, conſtat eos ab iis quorum in manu, & arbitrio res eſt, miſericordiam non conſecuturos. Quomodo autem affecti, & qualia, & in quibus aemulentur, ex iis, quae ſtatim dicturi ſumus intelligetur.

tur. Nam ſi aemulatio dolor quidam eſt, cum iis qui nobis natura ſimiles ſunt, bona quaedam honorifica ſuppetant, quorum ipſi quoque capaces ſumus, non quod ea in illis inſint, ſed quod nobis quoque non inſint: (vnde & aemulatio bonum quiddam eſt, & bonis viris conueniens: at inuidere, improbum, & hominum improborum; nam qui aemulatur, talem efficere ſe ſtudet, vt ipſe quoque boni aliquid nanciſcatur: at qui inuidet, id ſtudet efficere, vt ne alter boni quid habeat) neceſſe eſt, propenſos eſſe eos ad aemulandum, qui dignos eſſe ſe putant bonis quibuſdam quibus carent: cum tamen eorum capaces ſint. Neque enim quiſquam ea poſtulat, quae capere ſe non poſſe intelligit. Quare tales ſunt adoleſcentes, & magnanimi: & quibus talia bona ſuppetunt, quae honoratis uiris digna ſunt. vt opes, amicitiae, magiſtratus, & eiuſdẽ generis alia. Bonos enim uiros eſſe ſe, par eſſe arbitrantur, quia tales eſſe par eſt eos, qui talibus bonis affluunt. Et quos ceteri tales putant. Et quorum maiores, aut cognati, aut propinqui, aut gens, aut ciuitas honorata eſt, faciles ſunt iiſdem in rebus ad aemulandum. Propria enim ſibi eſſe haec, ſeque eis dignos eſſe arbitrantur. Quod ſi ea bona quae honorem pariunt, aemulanda ſunt, neceſſe eſt, & virtutes eiuſmodi eſſe: & quaecũque aliis fructuoſa, ac benefica ſunt. honos enim tribuitur beneficis, ac probis viris. Et bona quorum fru-

 ctus

ctus ad propinquos pertinet? vt opes, ac pulchritudo magis quam bona valetudo. Cõſtat & qui ad aemulandum expoſiti ſint: haec enim & talia qui habent, facile aemulos inueniunt. Sunt autem haec quae diximus: vt fortitudo, ſapientia, imperium. Qui enim imperant, multis benefacere poſſunt: exercituum ductores, oratores, omnes denique, quibus talis aliqua potentia eſt. Et ij quorum ſimiles multi, aut familiares, aut amicos eſſe ſe ſtudent. Et quos multi mirantur, aut ij quos ipſi mirantur. Et quorum laudes, & encomia celebrantur vel a poetis, vel ab orationum ſcriptoribus. Contemnũt autem homines ijs quos diximus contrarios. aduerſantur enim haec inter ſe, aemulatio, & contemptus: aemulari, & contemnere. Neceſſe eſt autem eos qui tales ſunt, vt aut ipſi alios, aut ipſos alij aemulentur, contemptores eſſe eorum in quibus inſunt mala ijs bonis quae aemulationẽ commouent contraria, idque ob ea ipſa mala. Quo fit vt ſaepe contemnant homines fortunatos, ſi quando eis toto illo genere bonorum quod honore dignum eſt carentibus, fortuna tantum adſit. Quaenam igitur ea ſint, quibus animorum motus aut excitari. aut ſedari queãt, qui etiam fidem cõciliant, explicatum eſt. Nũc autem qui mores, aut animorum motus, aut habitus vnamquamque aetatem, ac fortunam cõſequi ſolent, explicemus. Dico autem animorũ motus, iram, cupiditatem, & talia, de quibus ante

te dictum eſt: habitus autem virtutes, & vitia. dictum eſt autem de ijs quoque in ſuperioribus: quae conſilia capere, & cuiuſmodi res gerere ſoleant, qui eis praediti ſunt. Aetates autem ſunt, iuuẽtus, aetas virilis, & ſenectus. Fortunas autem voco, nobilitatem, opes, potẽtiam, quaeque ijs aduerſantur, omninoq. proſperam, aduerſamque fortunam. Iuuenes igitur ijs moribus ſunt, vt facile concupiſcant, & quae concupiuerunt exequantur: & ex cupiditatibus corporis, maxime propenſi in Venerem, eiuſque impotentes. Facile autẽ mutantur, & faſtidiunt ea quae cõcupiuerunt. Et valde quidem cupiũt. ſed cito deſinunt. Acriter enim uolunt quod volunt, ſed non diu volunt. Quales eſſe fames ac ſitis aegrotantium ſolet. Et iracundi, & in ira celeres, taleſque, vt animi impetum ſequantur: & imperat eis ira. Nam prae honoris ſtudio non patiuntur ſe contẽni, ſed excandeſcunt ſi qua ſe iniuria affici putent. Et honoris cupidi ſunt, aut potius victoriae. Praeſtare enim alijs cupit iuuentus. Victoria autem, exuperantia quaedam eſt. Atque vtriuſque harum rerum ſtudioſiores ſunt quàm pecuniae: pecuniae autem minime omnium: propterea quia nondum experti ſunt egeſtatem. quale eſt illud Pittaci dictum de Amphiarao. Neque malitioſi ſunt, ſed boni ac ſimplices: quia nondum multa improbe facta cognorunt. Et creduli, quia non ſaepe deluſi ſunt. Et faciles ad ſperandum. Vt enim

ebrij, ſic & iuuenes calidi ſunt natura. ſimulque quia nondum eos ſua ſpes ſaepe fruſtrata eſt. Et magnam partem ſpe viuunt. Nam ſpes quidem futuri eſt, memoria autem praeteriti. Iuuenibus autem quod futurum eſt, multum eſt: quod praeterijt. breue primis enim temporibus aetatis, nihil ſe meminiſſe, omnia ſperare arbitrantur. Et tales vt nihil negotij ſit eos fallere: facile enim ſperant. Et fortiores. iracundi enim ſunt, & ſpei pleni. Quorum illo quidem fit, vt ne timeant: hoc autem, vt confidant. Nam neque quiſquam dum iraſcitur, timet, & concepta animo boni ſpes, confidentes facit. Et verecundi. Nondum enim percipiunt quae pulchra ſunt, expetenda eſſe: ſed a lege tantum inſtituti ſunt. Et magnanimi. nondum enim domiti ac compreſſi ſunt a vita; immo rudes ſunt rerum neceſſariarum. Et magnitudo animi eſt, dignũ ſe magnis rebus exiſtimare: id autem bene ſperantis eſt. Et in agendis ijs quae dignitatem habent potius verſari volunt, quàm in ijs quae vtilitatem adferunt. Mores enim magis, quàm ratiocinationem in viuendo ſequuntur. Eſt autem ratiocinatio quidem eius quod vtile eſt: virtus autem honeſti. Et amicorum ac ſodalium amantes magis quàm ceterae aetates: tum quia gaudent conuictu: tum quia nondum quidquam vtilitate metiuntur: quare ne amicos quidem. Et quicquid peccant, in eo peccant, quòd modum tranſeunt, ſuntque iuſto vehementiores:

aduerſus

aduerſus dictum Chilonis.nimis enim faciunt omnia.nam & nimis amant, & nimis oderunt, & adaeque cetera omnia. quin & ſcire ſe cuncta putant, & adſeuerant. nam & haec cauſa eſt, cur omnibus in rebus modum tranſeant. Et eas iniurias faciunt quae cum contumelia coniunctae ſunt, non quae a nocendi ſtudio proficiſcũtur. Et propenſi ſunt ad miſericordiam. omnes enim bonos, & meliores quàm ſint, arbitrãtur. ſua enim innocentia alios metiuntur: ita vt eos indigna pati putent. Et amantes riſus. quare etiã vrbani. Vrbanitas enim, erudita contumelia eſt. Mores igitur adoleſcentum quidem huiuſmodi ſunt. ſeniores autem, & ij, qui iam defloruerunt, fere contrarijs ſunt moribus. Nam quia diu uixerunt, pluribuſq. in rebus decepti ſunt. atque aberrarunt, quodque rerum humanarũ magna pars fluxa eſt, neque quidquam pro certo confirmant, & ſunt in omnibus rebus remiſſiores. Et putant: ſciunt autem nihil. Et dubitantes, ſemper addunt ad ea quae dicunt, fortaſſe, &, facile: & omnia ita dicunt, aſſeueranter autem nihil. Et malitioſi ſunt. malitia enim eſt, de omnibus in deteriorem partem ſuſpicari. Ac praeterea ſuſpicioſi, propter incredulitatem: increduli autem propter experientiam. Ac neque valde amant, neque valde oderunt, ob eas cauſas. Sed ex Biantis praecepto, & amant vt oſuri, & oderunt vt amaturi. Et parui animi: quia domuit, ac compreſſit eos vita. nullam

enim rem magnam, neque eximiam, ſed ea quae ad uitam neceſſaria ſunt, concupiſcunt. *Et* illiberales. nam vna quaedam rerum neceſſariarũ eſt, pecunia. ac ſimul vſu edocti ſciunt, quàm difficile ſit adquirere, & quàm facile amittere. *Et* timidi, ac cuncta praemetuentes: vt qui contra ndfecti ſint, quàm iuuenes: nam hi refrigerati ſunt, illi calidi. Itaque ſenectus viã munijt ad timiditatẽ. nam & metus refrigeratio quaedam eſt. Et vitae amantes, praeſertim extremo vitae tẽpore. eſt enim cupiditas eius quod abeſt. & qua quiſque re eget, eam maxime concupiſcit. Et plus ſatis queruli. nam & haec paruitas quaedam animi eſt. *Et* ad vtilitatem omnia plus quàm par eſt, in uiuendo dirigunt, non ad dignitatem. amant enim ſemetipſos. & quod vtile eſt, id cuiq. bonum eſt: quod autem pulchrũ, ſimpliciter. *Et* inuerecundi potius quàm verecundi. quia enim non aeque curant id quod pulchrũ eſt, & id quod vtile, de opinione aliorum non laborant. *Et* non facile adducuntur ad ſperandum, propter experientiam. plaeraeq. enim res hominum fluxae ſunt. & plaerunque in deteriorem partem cadunt. ac praeterea propter timiditatem. Et memoria viuunt potius quàm ſpe. vitae enim quod ipſis ſupereſt, parum eſt: quod praeteriit, multum. eſt autem ſpes quidẽ futuri: memoria autem praeteritorum. Quae etiam eis cauſa eſt loquacitatis. perpetuo enim narrant ea, quae temporibus ſuis facta ſunt: vt

qui ex eorum recordatione voluptatem capiãt. Irae autem eorum acres ſunt, ſed imbecillae. Et cupiditates aliae quidem deſeruerunt eos, aliae autem oblanguere. Itaque neque cupiditatibus agitantur, neque eas in agendo ſequuntur ſed lucrum. quare qui ea aetate ſunt, temperantes videntur. nam & remiſerunt ipſae cupiditates: & ſeruiunt lucro. *E*t magis vitam dirigunt ad ratiocinationem quàm ad mores. nam ratiocinatio id quod vtile eſt ſpectat, mores virtutẽ. *E*t iniurias faciunt non cum contumelia, ſed cũ ſtudio nocendi coniunctas. Miſericoedes autẽ ſunt etiam ſenes, ſed non eadem de cauſa qua iuuenes. Illi enim propter beneuolentiam erga homines: hi propter imbecillitatẽ. Omnia enim mala putant ſibi imminere. Hoc autem dicebamus eſſe miſericordis. Vnde & queruli ſunt, ac non vrbani: neque iocorum amantes. Querulũ enim eſſe, & iocorum amantem, aduerſantur. Iuuenum igitur, & ſenum mores hi ſunt. Itaque quando homines libenter accipiunt eas orationes quae moribus ſuis congruunt, ac ſimiles: non eſt obſcurum, quo modo ita vti oratione poſſimus, vt & ipſa oratio, & nos ipſi tales eſſe videamur. Qni autem corroborara, ac confirmata aetate ſunt, conſtat eos, quod ad mores attinet, inter illos de quibus diximus, medios fore: detracto eo quod in vtriſque nimium eſt. Ergo neque valde confidentes erunt, id enim audaciae eſt: neque valde meticuloſi. Sed recte ad

vtrumque affecti. Neque omnibus credentes, neque omnibus diffidentes: ſed omnia magis ex veritate pendentes. Neque tantum dignitate, neque tantum vtilitate, ſed vtraque uitam dirigentes: Neque ad parſimoniam, neque ad effuſionem propenſi, ſed ad id quod conuenit. Itidemque neque ad iram, neque ad cupiditatem: ſed & temperantes cum fortitudine, & fortes cum temperantia. nam in iuuenibus, & in ſenibus diuiſa ſunt haec. Siquidem iuuenes quidem fortes, & intemperantes ſunt: ſenes autem temperantes, & timidi. Atque vt uniuerſe loquar, quaecumque vtilia ſeorſum habent iuuentus & ſenectus, ea utraque habent. quibus autem in rebus illae modum aut tranſeunt, aut non attingunt, in eis a confirmata aetate moderatio, aequabilitaſque retinetur. Viget autem corpus quidem a trigeſimo aetatis anno uſque ad trigeſimum quintum. animus autem circa vndequinquageſimum. De iuuentute igitur, & ſenectute, & confirmata aetate, quibus vnaquaeque moribus ſit, haec dicta ſint. De bonis autem quae a fortuna eueniunt, qui quae eorum mores comitari ſoleant, deinceps explicemus. *E*rgo nobilitatis quidem mores hi ſunt, vt eum in quo eſt efficiat honoris ſtudioſiorem. Solent enim quibuſcumque bonum aliquod abeſt, illud augere, quaſique cumulare. Eſt autem nobilitas, dignitas maiorum. *E*t contemptorem

etiam

etiam eorum, qui ſimiles ſunt ipſorum maioribus. Propterea quod haec procul magis, quàm in propinquo poſita, honorificentiora, & glorioſiora habentur. Nobilitas autem in familiae virtute conſiſtit: at generoſus dicitur, qui a natura non degenerat. Quod plaerumque non contingit nobilibus: immo multi eorum ſunt haud magni pretij. Nam vt in agris, ijſque quae e terra gignuntur: ita in familijs prouentus quidam eſt: & interdum ſi bona familia fuerit, naſcuntur in éa ad aliquod tempus viri eximij: ac deinde rurſus ex interuallo alios emittit. Degenerant autem illae quidem familiae quae ingenio excellunt, in mores inſaniores: vt qui ab Alcibiade, & a Dionyſio ſuperiore orti ſunt. Quae autem ſtabili, & firmo ingenio praeditae ſunt, in ignauiam, & ſtoliditatem: vt qui à Cimone, & Pericle, & Socrate. Qui autem mores diuitias conſequantur, facile eſt videre. Contumelioſi enim ſunt diuites, & ſuperbi: quam quaſi labem contrahunt a poſſeſſione diuitiarum. ita enim affecti ſunt, quaſi alia omnia bona poſſideāt. Diuitijs enim, quanti ſint alia omnia, aeſtimari quodammodo videtur. quare videntur omnia diuitijs eſſe venalia. Et delicati, & Salacones: Delicati quidem ob mollitiam, & felicitatis oſtentationé. Salacones autem & inepti, quoniam omnes ſolent tempus conſumere ijs in rebus quarum amore capti ſunt, quaſque mirantur. & quia putant,

putant, quae a ſe, eadem a ceteris magni fieri. neque prorſus abs re ita affecti ſunt. multi enim ſunt, qui indigent iis qui rem habent. Vnde & illud dictum eſt à Simonide, de ſapientibus & opulentis: cum eum Hieronis vxor interrogaſſet, vtrum eſſe praeſtaret, ſapientem an diuitem: Diuitem, inquit, videre enim ſe ſapientes ad fores opulentorum praeſtolari. Et quia ſe dignos putant qui imperent. habere enim ea quae homines faciunt imperio dignos. Et ut ſummatim dicam, diuitiae mores efficiunt inſipientis fortunati. Longe autem alij ſunt mores eorum qui nuper partas diuitias poſſident, & eorum qui à maioribus traditas. quòd qui nuper diuites facti ſunt, magis laborant iis omnibus vitiis, iiſque deterioribus. Nam nuper ad diuitias perueniſſe, eſt quaſi neſcire diuitem eſſe. Imponunt autem iniurias non à nocendi ſtudio, ſed à contumelia, & ab intemperantia profectas: quales ſunt verbera, & adulterium. Mores quoque potentium fere maxima ex parte noti, apertique ſunt. alia enim habent potentes eadem quae diuites, alia meliora. ſunt enim potentes ſtudioſiores honoris, & erectiore animo quam diuites. Eiuſmodi enim res appetunt, quarum adminiſtrandarum ſibi facultas eſt propter potẽtiam. Et ſtudioſiores ſunt: propter diligẽtiam quam adhibere perpetuo coguntur, in iis quae ad conſeruandam potentiam pertinent. *Et* σεμνώτε

ροὶ potius quàm βαρύτεροι. ideſt, ita ſine arrogantia graues, ut aliis propterea graues, odioſique non ſint. Dignitas enim eos magis conſpicuos facit. quare modice ſe gerunt. σεμνότης autem eſt placida quaedam, & decora grauitas. Quod ſi quando iniuriam faciant, non paruas ſed plane magnas iniurias faciunt. Proſperitas autem fortunae eos mores per partes adfert, quos diximus. nam quae maximae proſperitates habentur, ad illa referuntur, & praeterea ad bonorum liberorum copiam, & ad corporis bona. Superbiores igitur, & minus conſideratos fortunae proſperitas facit. Vnum, quod ad mores attinet, optimum adfert: efficit enim homines diuini numinis amantes, & certo quodam modo ad cultum diuinum adfectos: cum credant, propter ea bona quae ſibi à fortuna proueniunt. Dictum eſt igitur de moribus per aetatum, ac fortunarum diſcrimina. nam quae iis de quibus dictum eſt contraria ſunt, e contrariis intelligi poſſunt. Vt qui ſint mores pauperis, infortunati, impotentis. Quoniam autem orationis ad perſuadendum comparatae vſus ad iudicium refertur: nam quae ſcimus, & de quibus iam iudicauimus, in eis nihil amplius opus eſt oratione: iudicium autem eſt, etiam ſi quis apud vnum oratione vtens hortetur, aut dehortetur: quemadmodum faciunt qui vnum aliquem verbis caſtigant, quiue ei aliquid ſuadent: nihilo enim minus ille vnus iudex eſt: ſi quidem

quidem iudex, vt ſummatim dicam, is eſt cui perſuadendum aliquid eſt: nec refert, vtrũ aduerſus quẽpiam qui cõtrariam ſententiã defendat, dicẽdum ſit, an aduerſus aliquã propoſitã ſentẽtiam: neceſſe eſt enim hic quoque oratione vti, & quae aduerſus nos faciunt, tollere, in quae tanquam in aduerſarium quempiam, inſtituitur oratio: eodemque modo in oſtentatiuis: nam in iis ad ſpectatorem tanquam ad iudicem habetur oratio: quanquam omnino is demum proprie iudex eſt qui in ciuilibus concertationibus iudicat id quod quaeritur: ſi quidem & in iis de quibus in foro lis eſt, & in iis de quibus deliberatur, quomodo ſe res habeat, quaeritur: de uariis autem pro rerum publicarum uarietate moribus dictum eſt prius, cum de genere deliberatiuo ageremus: ita vt definitum iam ſit, quomodo, & quibus viis moratas orationes efficere poſſimus: cumque vnicuique generi ſuus finis diuerſus à ceteris propoſitus ſit: de omnibus autem illis collectae à nobis ſint opiniones & propoſitiones, ex quibus argumenta ducunt, & qui conſilium dant, & qui facultatis in dicendo ſuae ſpecimen exhibent: & qui cauſas agunt: ac praeterea explicatum ſit de iis, quibus moratae orationes fieri poſſunt: reliquum eſt, vt de communibus diſſeramus. Omnibus enim neceſſe eſt, in orationibus, praeter ea quae cuiuſque generis propria ſunt, uti iis, quibus fieri poſſe, aut non poſ-

ſe aliquid oſtenditur: & alios quidem eniti ut doceant aliquid fore, alios autem ut aliquid fuiſſe. Communia ſunt etiam omnium orationum, ea quae de magnitudine traduntur. Vtuntur enim omnes extenuatione, & amplificatione, & ſuadentes, aut diſſuadentes, & laudantes, aut uituperantes, & accuſantes, aut defendentes. His autem explicatis, conemur aliquid communiter de enthymematis dicere, ſi quid habeamus: & de exemplis: ut iis quae reliqua ſunt additis, perficiamus id quod ab initio propoſuimus. Eſt autem ex communibus amplificatio quidem ad genus oſtentatiuum accommodatiſſima, vt dictum eſt. quod autem factũ eſt, ad iudiciale. Poſſibile autẽ, & id quod futurum eſt, ad deliberatiuum. Primum igitur dicamus de poſſibilibus, & impoſſibilibus. Si ergo contrarium poſſibile ſit aut eſſe, aut fieri: etiam contrarium videri poterit poſſibile. Vt ſi poſſibile eſt hominem bene valere, poſſibile eſt & aegrotare. Eadem enim poteſtas eſt contrariorum, contraria. Et ſi ſimile poſſibile eſt, alterum quoque ſimile. Et ſi quod difficilius eſt poſſibile eſt, & quod facilius. Et ſi bonum ac pulchrum fieri poſſibile eſt, & omnino fieri poſſibile. Difficilius enim eſt pulchram domum eſſe, quam domum. *Et* cuius principium poteſt eſſe, poteſt etiam finis. Nihil enim eorum quae impoſſibilia ſunt, aut fit, aut fieri incipit. *Exempli* cauſa, vt diametros communem aliquam

aliquam menſuram habeat. neque enim aut incipiet unquam fieri, aut fiet. Et cuius finis, etiam principium. Omnia enim ex principio fiunt. Et ſi quod poſterius eſt aut eſſentia aut ortu, poſſibile eſt fieri, etiam id quod prius. Vt ſi uirum fieri poſſibile eſt, & puerum. prius enim fit illud. Et ſi puerum, virum quoque. illud enim principium eſt. Et quorum amor aut cupiditas ineſt à natura. Nemo enim fere impoſſibilium amore capitur, eaue concupiſcit. Et quorũ ſcientiae ſunt atque artes, ea quoq. poſſibile eſt & eſſe & fieri. Et quorum ortus principium in eis eſt quae nos aut cogere aut in ſententiam noſtram adducere poſſumus. Sunt autem haec, quibus potentiores ſumus, quorumue aut domini aut amici. Et quorum partes poſſibiles ſunt, etiam totum. Et ſi totum poſſibile eſt, etiam partes. Nam ſi proſchiſma, & cephalis, quae calceam enti partes ſunt, fieri poſſunt, calcei quoque ſieri poſſunt. Et ſi calcei poſſunt, illa quoq. poſſunt. Et ſi genus eſt eorũ quae fieri poſſunt: etiã ſpecies, & ſi ſpecies etiã genus. Vt ſi nauigium fieri poſſibile eſt, etiam triremem: et ſi triremem, etiam nauigium. Et ſi alterum eorum quae eam naturam habent, ut inter ſe conferantur, poſſibile eſt, alterum quoque. Vt ſi duplum, etiam dimidium: & ſi dimidiũ, etiam duplũ. Et ſi ſine arte, aut apparatu poteſt aliquid fieri, magis etiã poterit arte, & diligentia adhibita. Vnde & ab Agathone di-ctum eſt.

Neceſſe

Neceſſe eſt alia quidem à fortuna fieri,
Alia autem à nobis, ad quae ars adhiberi ſolet.

Et ſi deterioribus aut inferioribus, aut imprudentioribus poſſibile eſt, magis erit iis, qui contrario modo affecti ſunt. Vt & Iſocrates aiebat, ferendum non eſſe, ſi Euthymus quidem didiciſſet, ipſe autem reperire non poſſet. De impoſſibilibus autem, conſtat, ex iis quae contraria ſunt eis quae modo diximus, argumenta ſumenda eſſe. Factum autem ſit, an non ſit, ex his conſiderandum eſt. Nam primum quidem ſi factum eſt id quod per naturam minus fieri poterat, factum fuerit & id quod magis. Et ſi factum eſt id quod poſtea fieri ſolet, factum eſt & id quod prius. Vt, ſi oblitus eſt, aliquando etiam didicit. Et ſi potuit ac voluit, fecit. omnes enim qui & poſſunt, & uolunt, agunt. nihil enim obſtat. Et ſi & voluit, & nulla res externa prohibebat. Et ſi potuit, & iratus erat. Et ſi potuit, & cupiebat. Plaerunque enim quae cupiunt homines, ea ſi poſſint, agunt. Improbi quidem per impotentiam: boni autem, quia quae bona ſunt cupiunt. Et ſi inibi erat, ut faceret. veriſimile eſt enim, qui iam in eo erat, etiam feciſſe. Et ſi facta ſunt quaecunque naturaliter fieri ſolent ante illud, aut propter illud. Vt, ſi fulſit, & tonuit. Er ſi tentauit, etiam fecit. Et ſi quae antea fieri ſolent. aut eius rei cauſa fieri ſolent, facta ſunt, ut ſi fulſit, tonuit etiam: & ſi ten,

tauit

tauit, fecit etiam. Et ſi quae poſtea fieri ſolent, aut id cuius cauſa cetera fiunt, factum eſt: etiam quod prius eſt, & quod eius cauſa fieri ſolet, factum eſt. Vt ſi tonuit, etiam fulſit. *E*t ſi fecit, tentauit etiam. Horum autem omnium alia quidem neceſſario, alia autem plaerunque ita ſe habent. Vnde autem doceamus aliquid factum non eſſe, conſtat. nempe ex iis quae contraria ſunt iis quae modo diximus. Conſtat etiam quomodo diſputandum ſit, aliquid futurum eſſe. Nam & quod in poteſtate ac uoluntate poſitum eſt, erit. Et quod cupiditas, quod ira, quod ratio ſuadet, ſi adſit poteſtas. Propterea etiam ſi quis iam iamque facere, aut facturus eſſe aliquid videatur, fore illud dicamus licet. Plaerunque enim fiunt potius futura, quam non futura. Et ſi antegreſſa ſunt, quaecunque natura prius fieri ſolent: vt ſi coactae ſunt nubes, veriſimile eſt fore ut pluat. Et ſi quod huius cauſa fit, factum eſt: ipſum quoque ueriſimile eſt factum iri. Vt ſi fundamentum, domus quoque. De magnitudine autem & paruitate rerum: & de maiori ac minori, omninoque de magnis, & paruis, ex iis quae iam diximus conſtat. Dictum eſt enim in praeceptis deliberatiui generis, & de magnitudine bonorum, & ſimpliciter de maiore, & minore. Itaque quando vnicuique orationum generi finis propoſitus eſt bonum quoddam, & utile, & pulchrum, & iuſtum, conſtat in quocumque

cumque genere dicentibus, amplificandi rationes ex iis eſſe ſumendas. Praeter haec autem quaerere aliquid ſimpliciter, & uniuerſe de magnitudine, & exuperantia, nugari eſt. Singularia enim potiora ſunt ad uſum iis quae uniuerſe diſputantur. Ergo de poſſibili quidem, & impoſſibili: & factum ſit aliquid nec ne ſit: & futurum ſit, an non ſit: itemque de magnitudine, & paruitate rerum haec à nobis diſputata ſint. Sequitur ut dicamus de communibus omnium rationibus faciendae fidei: quando de propriis dictum eſt. Sunt autem communia faciendae fidei inſtrumenta genere duo: exemplum & enthymema. ſententia enim pars eſt enthymematis. Quare primum quidem de exemplo dicamus. ſimile enim eſt exemplum inductioni. Inductio autem, principium. Exemplorum autem genera duo ſunt. vnum, cum ea, quae prius fuere, narrantur: alterum quae, qui dicit, ipſe confingit. Huius autem poſterioris vnum quidem genus eſt parabola: alterum autem fabulae, vt Aeſopeae, aut Libycae. Eſt autem exemplum tale quiddam. Vt ſi quis dicat, comparandas eſſe aduerſus regē copias. neque ferendum, Aegyptum ab eo in poteſtatem ſuam redigi. Nam & prius Dareus non ante traiecit, quàm cepiſſet Aegyptum, ea autem capta traiecit: Et rurſus. Xerxes non prius in nos quidquam molitus eſt, quam Aegypto capta. Ea autem capta traiecit. Itaque & hic, ſi ceperit,

traiiciet. Quare ferendum non eſt. Parabola autem, qualia erant Socratica. Vt ſi quis dicat, magiſtratus ſorte creandos non eſſe. Conſimile enim eſt, ac ſi quis athletas ſorte ducat, non qui pugnare ualeant, ſed quorum ſors exierit: aut ſi ſortiantur inter ſe nauigantes, quis nauem gubernare debeat. quaſi oporteat eam ab illo cui ſors obtigerit gubernari, nō ab eo qui ſciat. Fabulae autem, qualis eſt Steſichori aduerſus Phalarin, & Aeſopi pro oratore populari. Nam Steſichorus quidem, cum Imerenſes ducem copiarum ſuarum cum ſumma poteſtate feciſſent Phalarin, vellentque ei cuſtodes corporis dare, allatis in eandem ſententiam alijs, hanc fabulam eis narrauit. Equus pratum ſolus obtinebat: cum autem ueniſſet ceruus, pabulumque corrumperet: volens equus ceruum ulciſci, ex homine quaeſiit, poſſet ne ipſo adiutore coercere ceruum. At ille, etiam, inquit, ſi fraenum ſumpſeris, & ego te conſcendero, iacula manu geſtans. Cui rei cum equus adſenſus eſſet, eumque homo conſcendiſſet, pro vltione quam de ceruo ſperabat, ipſe iam homini ſeruiit. Sic & vos, inquit, videte, ne, dum hoſtes vlciſci vultis, idem vobis, quod ceruo eueniat. Nam fraenum quidem iam habetis, electo copiarum duce cum ſumma poteſtate. quod ſi dederitis cuſtodiam, & eum conſceudere patiamini, Phalaridi iam ſeruietis. Aeſopus autem in Samo cū cauſam tueretur popularis cuiuſdam oratoris,

ris, qui capitis poſtulabatur: narrauit vulpem in fluminis cuiſdam traiectu eiectam eſſe in quandam uoraginem: ex qua cum exire non poſſet, diu ibi miſere uixiſſe, ita ut multi ricini corpori ipſius haererent. Erinaceum uero illac uagantem, ea uiſa, miſertum eſſe, ac quaeſiiſſe, uellet ne ricinos illos e corpore ſuo auelli: at eam noluiſſe. cum autem ille cauſam eius rei quaereret: quoniam, inquit uulpes, hi pleni iam ſunt mei, & parum ſanguinis ducunt. quod ſi hos auulſeris, uenient alij famelici, qui quantum mihi ſanguinis reliquum eſt, exiugent. Eodem modo & vos, inquit, uiri Samij, hic quidem nihil amplius laedit: diues enim eſt: quod ſi eum interficiatis: uenient alij pauperes, qui pecunias publicas depeculantes diſſipabunt. Sunt autem fabulae aptae ad concionem: & hoc boni habent, quod res quidem geſtas ſimiles inuenire, difficile eſt, fabulas autem, facilius. fingere enim oportet, ut & parabolas: ſi quis modo poſſit, quid in rebus ſimile ſit, uidere: quod facilius redditur tractatione philoſophiae. Faciliores igitur inuentu ſunt fabulae. ſed utiliores ad deliberandum res geſtae. ſimilia enim plaerunque ſunt futura praeteritis. Vbi autem enthymematum copia non eſt, utendum eſt exemplis vt demonſtrationibus. per haec enim fit fides. At cum enthymemata non deſunt, utendum exemplis ut epilogis poſt enthymemata. Nam cum priore

loco ponuntur, ſimilia ſunt inductioni: inductio autem oratoribus accommodatá non eſt, niſi paucis in locis. cum autem poſteriore, ſimilia ſunt teſtimoniis: teſtis autem quocumque loco valet ad faciendam fidem. Quare & cum priore loco ponuntur, multa ponere neceſſe eſt: cum autem ſubiiciuntur, etiã unum ſatis eſt. Vtilis eſt enim teſtis fide dignus, etiam ſi unus ſit. Quot igitur ſint exemplorum genera, & quomodo ac quando eis uti oporteat, dictum eſt. Quod autem attinet ad ſententias orationi intexendas, ſi prius dixerimus quid ſit ſententia, ita maxime perſpicuum erit, quibus de rebus, & quando, & cui generi hominum conueniat in orationibus ſententioſe loqui. Eſt autem ſententia, enuntiatio, non tamen de rebus ſingulis: vt, qui uir ſit Iphicrates: ſed vniuerſe prolata: neque quibuslibet de rebus uniuerſe: vt, rectum curuo eſſe contrarium: ſed de rebus agendis: deque iis quae in agendo aut perſequenda, aut fugienda ſunt. Itaque cum enthymemata ſint ſyllogiſmi de illo rerum genere, fere & concluſiones, & principia enthymematum, ſententiae ſunt, detracto ſyllogiſmo. Qnale illud eſt.

Quiſquis ſapit, gnatos ita inſtituat ſuos,
Sapientiores vulgo haberi ne velit.

Haec igitur ſententia eſt: addita autem cauſa cur ita ſit, totum illud eſt enthymema. vt

Nam praeter eam, quam contrahunt ignauiam.

Inuidiam,

Inuidiam, & odium a ciuibus ferunt ſuis.

Et illud,

Nullus beatus vndique eſt mortalium.

Et,

Nemo omnium eſt, quem liberũ merito voces.

Sententia eſt, addito antem eo quod ſequitur' enthymema.

Fortunae enim aut eſt ſeruus, aut pecuniae.

Si igitur ſententia eſt id quod diximus, neceſſe eſt, quattuor eſſe genera ſententiarum. aut enim cum epilogo erit, aut ſine epilogo. Demonſtratione igitur egent, quaecunque admirabile aliquid dicunt, aut controuerſum. Quae autem nihil admirabile, ſine epilogo. Earum autem neceſſe eſt, alias quidem, quòd praecognitae ſint, nihil epilogo indigere. Vt, uiro autem bene valere optimum eſt, vt nobis quidem uidetur. Nam eadẽ eſt multorum opinio. Alias autem, propterea quod ſimul atque proferũtur, perſpicuae ſunt intuentibus. vt,

Non eſt amator, quiſquis ſemper non amat.

Earum autem quae cum epilogo proferuntur, aliae quidẽ ſunt partes enthymematis, vt, Quiſquis ſapit: aliae autem enthymematicae quidẽ, ſed non partes enthymematis: quae etiam omnium probatiſſimae ſunt. eae autem ſunt in quibus elucet cauſa eius quod dicitur. vt in hoc:

Ne ſerua immortalem iram, qui mortalis es.

Nam dicere, ſeruandam non eſſe iram, ſententia eſt: at quod additum eſt, qui mortalis es: etiã

cur id fieri non debeat, dicit. Simile eſt hoc quoque.

Mortalem mortalia oportet ſapere, haud immortalia.

Conſtat igitur ex iis quae diximus, & quot ſententiarum genera ſint, & quas ad res vnumquodque conueniat. nam de controuerſis quidem aut admirabilibus, non ſine epilogo: ſed aut propoſito epilogo, vti oportet ipſa ſententia tanquam concluſione: ut ſi quis dicat, Ego igitur, quod ad me quidem attinet, quando neque inuidiam ſibi colligere oportet, neque ignauum eſſe, aio, abſtinendum eſſe à ſtudiis ſapientiae: aut cum hoc quod poſteriore loco poſitum eſt, prius dixeris, illud alterum addere. Iis autem quae ſunt de rebus non illis quidem admirabilibus, ſed tamen obſcuris, apte & concinne addenda eſt cauſa cur ita ſit. Conueniunt autem hic quoq. apophthegmata Laconica: & ea quae aenigmatum ſpeciem habent, ut quod Steſichorus in Locrenſes dixit: Non oportet cõtumelioſos eſſe: ut ne cicadae humi canant. Conuenit autem ſententioſe loqui, aetate quidem, iis qui ſeniores ſunt: iis autem de rebus, quarum quiſque peritus eſt. Nam qui ad eam aetatem non peruenerit, eum ſententias fundere, indecorum eſt: vt & fabulas narrare: iis autem de rebus quarum peritus non ſit, ſtulti eſt, & ineruditi. Cui rei ſatis argumento eſt, quod ruſtici maxime omnium ſententias

cudunt,

cudunt, & facile pronuntiant. Vniuerſe autem dicere, quod tamen uniuerſe uerum non ſit, maxime conuenit in conqueſtione, & in exaggeratione: atque in his aut principio, aut poſt rem demonſtratam. Vtendum autē etiam peruulgatis, communibusque ſententiis, ſi utiles ſint. Nam quia communes ſunt, rectae etiam ac uerae videntur, vt conſenſu omnium comprobatae. Vt exhortanti ad ſubeundum proelij periculum eos qui litare non potuerint.

Pro patria pugnare, ea demum auis optima ſola eſt.

Et hortanti eos qui inferiores ſunt: Communis Mauors. Et ad interficiendos inimicorum liberos, etiam ſi nullam iniuriam faciant.

Stultus qui natos occiſo patre relinquit.

Sunt & prouerbia quaedam, ſententiae. Vt illud, Atticus vicinus. Proferendae ſunt etiam ſententiae, aduerſus ea quae publice probata ſunt: dico autem publice probata, ut Noſce te ipſum: &, Ne quid nimis: ſi quid contra dici poſſit, quo aut mores meliores indicentur, aut quod aptum ſit ad aliquem animi motum exprimendum. Exprimitur autem motus animi, vt ſi quis iratus dicat, falſum eſſe, debere vnumquemque ſe noſſe. Certe enim hic ſi ſe ipſe nouiſſet, nunquam ſe dignum eſſe duxiſſet, qui ductaret exercitum. Mores autem me-

liores indicantur, vt hoc modo. Non oportet, vt vulgo dicitur, amare tanquam oſurus ſis: ſed potius odiſſe, tanquam amaturus ſis. Oportet autem ipſo dicendi genere animi ſui propenſionem declarare: ſin minus, cauſam ſubiungere: aut ita dicentem, Oportet amare, non, vt vulgo dicunt, ſed ut ſi ſemper amaturus ſis. alterum enim inſidiatoris eſt. aut hoc modo: Nou placet mihi quod vulgo dicitur: Veri enim amici eſt, ita amare, vt ſemper amaturum. ac ne illud quidem, Ne quid nimis. improbos enim immodice odiſſe oportet. Multum autem adiumenti adferunt in dicendo: primum quidem propter ſtultam quandam vanitatem audientium: gaudent enim, ſi quis vniuerſe loquens incurrat in eas opiniones, quas ipſi in parte habent. Quod autem dico: ita magis intelligetur: ſimulque quomodo ſententias venari oporteat. Sententia enim, vt dictum eſt, enuntiatio quaedam eſt de toto genere. gaudent autem, cum uniuerſe dici vident id, quod ipſi iam in parte aliqua prius animo conceperant. Vt ſi cui mali vicini, aut mali liberi obtigerint, facile adſentietur dicenti: Nihil eſt odioſius vicinia: aut, Nihil ſtultius eſt, quàm liberos procreare. Itaque danda opera eſt, vt coniectura quodammodo conſequamur, quas quaque de re anticipatas opiniones habeant: tum deinde de illis vniuerſe pronuntiare. Hunc igitur vnum vſum habet

ſenten-

ſententioſum dicendi genus, & alium praeterea potiorem. moratas enim orationes facit. Mores autem habet oratio, quae declarat, quid cui anteponat, quidque expetat is qui dicit, in ratione viuendi. omnes autem ſententiae id praeſtant. nam qui ſententiam profert, is vniuerſe pronuntiat aliquid de rebus in vita eligendis. Itaque ſi bonae fuerint ſententiae, probitatis opinionem conciliabunt etiam ei qui dicit. Ergo de ſententia quidem, & quid ſit, & quot genera, & quomodo eis vtendum, & quem fructum adferant, haec a nobis dicta ſint. De enthymematis autem dicamus aliquid vniuerſe, quomodo ea quaerere oporteat: ac deinde tradamus locos. alia enim horum vtriuſque ratio eſt. Enthymema igitur ſyllogiſmum quendam eſſe, prius diximus: & quomodo ſit ſyllogiſmus: & quomodo differat a dialecticis. neque enim longe repetentem, neq. omnia ſumentem cōcludere oportet. Illud enim obſcurū eſt propter longitudinē: hoc autē, inanis quaedam loquacitas, quia perſpicua & aperta dicuntur. Nā & haec cauſa eſt, cur apud imperitam multitudinem aptiores ſint ad perſuadendum ineruditi quam eruditi. quemadmodum aiunt poetae, indoctos in vulgus magis ad dicendum muſicos eſſe. Etenim illi quidem communia quaedam, & vniuerſa dicunt: hi vero, ex ijs quae ſciunt auditores, quaeque rei propinqua ſunt. Itaque non ex omnibus quae videntur, ſed e

definitis

definitis quibuſdam dicendum eſt: vt aut ijs qui iudicant, aut ijs quorum ipſi iudicio acquieſcunt. Atque hoc ipſum, ita eis videri, conſtare oportet aut ipſis omnibus, aut plurimis. Neque tantum ex neceſſarijs argumentandum: ſed etiam ex ijs quae plaerunq. fiunt. Primum igitur intelligendum eſt, quicumque de re aliqua dicturus vel diſputaturus eſt, ſiue ſyllogiſmo politico, ſiue quolibet alio, ei neceſſario, quae in ea rę inſunt, aut omnia, aut plaeraque nota eſſe oportere. Si enim nihil habeas nihil erit vnde poſſis argumenta ducere. Quod autem dico, huiuſmodi eſt. Quomodo fieri poteſt vt conſilium demus Athenienſibus, bellare an non debeant, neſcientes, quibus illi copijs inſtructi ſint, naualibus, an terreſtribus, an vtriſque: & eae ipſae quantae ſint: & quae vectigalia, qui amìci, aut inimici: ac praeterea, quae bella geſſerint, & quomodo, & eiuſdem generis alia? aut quomodo eos laudare, niſi teneamus naualem pugnam in Salamine, aut proelium Marathonium, aut quae pro Herculis ſtirpe geſſerunt, aut aliquid eiuſmodi? omnes enim qui laudant, ex ijs quae in quoque pulchra aut inſunt, aut ineſſe videntur, laudandi argumenta ducunt: eodemque modo vituperat ex contrarijs, intuentes quid in eis tale aut inſit, aut ineſſe videatur. Vt quod Graecos in ſeruitutem redegerunt, quodque eos etiam a quibus adiuti erant in bello aduerſus

barbaros,

barbaros, quique ſe in eo bello ſtrenue, fortiterque geſſerant, in captiuitatem abduxerunt: Aeginetas, & Potideatas: eiuſdemque generis alia. Et ſi quid aliud ab eis tale peccatum eſt. Eodemque modo qui accuſant, quique defendunt: in ea quae inſunt intuentes accuſant, atque defendunt. Nihil autem intereſt, de Athenienſibus, an de Lacedaemonijs, de homine, an de deo dicendum ſit. Nam & ſi Achilli conſilium date velimus, & ſi eum laudare aut vituperare, & ſi accuſare aut defendere: ſumenda ſunt quae in eo aut inſunt, aut videntur: vt ex eis dicendi materiam petamus: laudantes quidem aut vituperantes, ſi quid pulchrum ineſt aut turpe: accuſantes autem, aut defendentes, ſi quid iuſtum aut iniuſtum: conſilium autem dantes, ſi quid vtile aut noxium. Eademq; ratio eſt, ſi quis de re qualibet orationem inſtituat. Vt, de iuſtitia, bonum ne ſit an minus: ex ijs quae iuſtitiae aut bono. Itaque, quando omnes hanc argumentandi viam ſequi videntur, ſiue id accuratius, ſiue molliori, vt dicitur, brachio faciant: neque enim vndecumque argumenta ducunt, ſed ex iis quae in quaque re inſunt: nam & ratio ipſa peruincit, fieri non poſſe vt quiſquam aliter id quod vult probet: conſtat, neceſſe eſſe, vt in topicis, habere ſelectas propoſitiones de rebus quae uſuvenire poſſunt, maximeque opportunae ſunt: de iis autem quae repente eueniunt, eodem modo quaerere,

rere, intuentem non in incerta, & indefinita, ſed in ea quae inſunt in eis rebus, de quibus dicendum eſt: & circumſcribentem quamplurima, & cum eo quod agitur maxime cohaerentia. Quanto enim plura eorum quae inſunt, tenebuntur a dicente: tanto erit facilius argumentari: quanto autem propinquiora, tanto magis propria erunt, minuſque communia. Voco autem communia quidem, vt laudare Achillem, quod homo fuerit, & quod vnus e ſemideis, & quod ad Troiā ordines duxerit. haec enim & aliis multis inſunt. quare hic nihilo magis Achillem laudat, quàm Diomedem. Propria autem, quae nulli alij, quàm Achilli, contigere. Vt quod fortiſſimum Troianorum Hectorem interfecerit: quodque Cygnum qui omnes e nauibus exire prohibebat, cum vulnerari nequiret: quodque omnium natu minimus, neque iureiurando adſtrictus, in eam expeditionem profectus ſit: & quaecunque alia eiuſmodi ſunt. Vnus igitur & primus hic ſeligendi modus eſt. Nunc elementa enthymematum explicemus. Elementum autem, & locum enthymematis idem voco. Primum ergo dicamus ea quae neceſſario in primis dicenda ſunt. Sunt enim enthymematum genera duo: quòd alia quidem eo adhibentur, vt rem aut eſſe aut non eſſe demonſtrent, alia autem ad redarguēdum. Et differunt, vt in dialecticis elēchus & ſyllogiſmus. Eſt autem demonſtratiuum enthymema, colligere

colligere ac concludere aliquid ex ijs quibus aduerſarius ipſe adſentitur. Redarguit autem illud, quo concluditur aliquid eorum quae aduerſarius negat. Species igitur vtiles & neceſſariae fere a nobis expoſitae iam ſunt. Selegimus enim propoſitiones ex quibus ducenda ſunt enthymemata de bono & malo: de honeſto, & turpi: de iuſto, & iniuſto. De motibus etiam animi, & de habitibus qui in ſingulis hominum generibus reperiri ſolent, itidem loci ſunt a nobis in ſuperioribus traditi. Nunc autem alio modo vniuerſe eos omnes complectamur, deque eis dicamus, ita vt quaſi aliqua nota appoſita, indicemus qui ad demonſtrandum valeant, qui ad redarguendum: atque eos quoque vnde ducuntur ea quae videntur enthymemata, ſed non ſunt, quando ne ſyllogiſmi quidem ſunt. Quibus explicatis, quomodo argumenta aut diſſoluendo, aut obijciendo debilitari queant enucleabimus. Eſt autem locus quidem vnus aptus ad demonſtrandum, ex contrarijs. Inſpiciendum enim eſt ei quidem qui negat, num contrarium in contrario non inſit: ei autem qui confirmat, num contrarium in contrario inſit. Exempli cauſa, temperate viuere bonum eſt: intemperanter enim viuere, noxium eſt. aut vt in Meſſeniaca. Si enim bellum cauſa eſt praeſentium malorum: pace nimirum corrigentur.

Quando etenim ſi quis fecit inuitus male,

Iniuſtum

Iniuſtum fuerit illi idcirco iraſcier:
Neque ſi coactus quiſquam alij faxit bene,
Putandum eſt illi vllam deberi gratiam,

Et illud,

At ſi inter homines falſa reperiunt fidem:
Putandum eſt etiam contra, multa obtingere,
Quae, vera cum ſint, non tamen accipiant fidẽ.

Alius e ſimilibus caſibus. ſimiliter enim oportet ineſſe, aut non in eſſe. Vt ſi quis probare inſtituat, non omne iuſtum bonum eſſe: nam & quicquid iuſte euenit, bonum eſſet. nunc autem expetendum non eſt, iuſte mori. Alius ex ijs quae inter ſe conferũtur. Si enim alteri ineſt, vt honeſte aut iuſte fecerit: alter quoque honeſte ac iuſte perpeſſus eſſe dicetur: & ſi honeſte fecit, qui mandauit, honeſte etiam qui exſecutus eſt. Vt Diomedon publicanus de vectigalibus: ſi enim vobis turpe non eſt ne nobis quidem redimere. Et ſi quid in quempiam iuſte atque honeſte factum eſt: iuſte etiam fecit, qui fecit: & contra. Fallit tamen interdum haec concludendi ratio. Si enim quis iuſte mortuus eſt, iuſte etiam paſſus eſt. at fortaſſis a te interfici non debuit. Quare ſeorſum haec conſiderare oportet; num qui quid pertulit, dignus fuerit, qui perferret: & num is qui fecit, dignus qui faceret: deinde vtrum a nobis facit, eo vti. Interdum enim nihil vetat quin haec diſſideãt: vt in Alcmaeone Theodectis.

Matrem tuam nemo oderat mortalium?

Re-

Reſpondens autem ait, haec ſeorſum ſpectanda eſſe. Cumque quaeſijſſet Alpheſiboea, quomodo: excipiens ille, ita ait:

Mori quidem illam debuiſſe ſtatuerunt:
Sed non manibus illi necem adferri meis.

Et vt iudicium de Demoſthene deque ijs qui interfecerant Nicanorem. quia enim iudicati ſunt eum iuſte occidiſſe, iuſte etiam mortuus viſus eſt. Et de eo qui Thebis occiſus fuerat. de quo dati ſunt iudices, num dignus fuiſſet qui interficeretur. tamquam iniuſtum non ſit eum occidere, qui iuſte interfici poſſit. Alius ex eo quod magis, & eo quod minus. Vt, ſi ne dij quidem norũt omnia, multo minus homines. Hoc enim eſt, Si cui magis ineſſe videtur, non ineſt, ne illi quidem, cui minus. Illud autem, Qui patrem verberat, multo magis propinquos verberarit: ex eo pendet: ſi quod minus ineſſe videtur, ineſt, & quod magis. Licet igitur vtro opus eſt, id confirmare: ſiue ineſſe, ſiue non ineſſe. Praeterea: ſi neque magis neque minus. Vnde dictum eſt.

Ergo tuus quidem miſerandus eſt pater,
Amiſſis gnatis: Oeneus autem non erit,
Orbatus tali tamque illuſtri filio?

Et quod ſi Theſeus iniuſte non fecit, ne Alexander quidem. Et ſi non Tyndaridae, neque Alexander. Et ſi Patroclum Hector, & Achillem Alexander. Et, ſi ne alij quidem artifices parui pretij ſunt, neque philoſophi. Et ſi ne imperatores

tores quidem eo mali ſunt, quia ſaepe vincuntur: neque ſophiſtae. Et, ſi priuatum hominē exiſtimationis veſtrae rationē habere oportet: vos quoque exiſtimationis Graecorum rationem habere debetis. Alius locus eſt, inſpicere nū ex ipſo tempore aliquid erui poſſit. Vt Iphicrates in oratione aduerſus. Harmodium. Si antequam haec gererem ſtatuam mihi poſtulaſſem, ſi ea geſſiſſem: certe decreuiſſetis: nunc, confectis rebus, eam denegabitis? Nolite igitur committere, vt quod facile polliciti eſſetis, cum a me beneficium expectabatis, id nunc beneficio affecti denegetis. Et rurſus, ſi quis ſuadeat Thebanis, vt Philippo per fines ſuos iter in Atricam concedant. Nam ſi hoc petijſſet, prius quam eis aduerſus Phocenſes auxilium ferret, certe promiſiſſent. Abſurdum igitur eſt, quia prior eos beneficio prouocauit, fidemque eorum ſecutus eſt, ſi nunc iter ei denegabunt. Alius, ex eis quae in nos dicta ſunt, aduerſus eum ipſum qui dixit, argumentari. Excellit autem hic locus. Vt in Teucro. Et id quo vſus eſt Iphicrates aduerſus Ariſtophontem: cum interrogaſſet eum, nunquid ipſe naues accepta pecunia proditurus eſſet: iſq. id negaſſet: Quod igitur, inquit, tu, qui Ariſtophon es, non feciſſes, ego, qui ſum Iphicrates, feci? Oportet autem adeſſe hoc, vt ille alter facilius adduci poſſe videatur ad flagitium: alioqui enim ridiculum videbitur, vt ſi aduerſus Ariſtidem accuſantem

cuſantem ita quiſpiam loquatur. Hoc igitur redarguere oportet. Vniuerſe autem hic locus eſt: cum quis obijcit alijs ea quae ipſemet facit aut faceret: aut exhortatur eos ad ea facienda, quae ipſe neque facit neque faceret. Alius, ex definitione. Vt, Daemonium nihil aliud eſt, quam aut deus, aut dei opus. Et vero qui dei opus eſſe aliquod putat, eum neceſſe eſt putare etiam deos eſſe. *Et* vt Iphicrates generoſiſſimum eſſe qui optimus ſit. Nam & Harmodio, & Ariſtogitoni nihil prius generoſum inerat, quam generoſum aliquid perpretraſſent. *Et* ſe illis coniunctiorem eſſe. Coniunctiores certe ſunt res a me geſtae rebus Harmodij, & Ariſtogitonis, quam tuae. *Et* vt in Alexandro. Omnium ſententia, homines intemperantes vnius corporis fructu non eſſe contentos. Et cauſa quam adferebat Socrates, cur ad Archelaum ire nollet. Contumeliam enim eſſe dicebat, vt in iniurijs, ita in beneficijs acceptis, ſi quis ea compenſare non poſſet. Nam hi omnes definientes, & ſumentes quid quaeque res ſit, concludunt id quod agitur. Alius, ex varia, & multiplici vocis alicuius ſignificatione, vt in topicis. Alius, ex partitione. Vt, ſi omnes ad iniuſte faciendum aliquo horum trium impelluntur: vel ob hoc, vel propter hoc alterum, vel propter illud: & horum duo ſunt, propter quae feciſſe non poteſt; ob tertium autem, ne ipſi quidem accu-

ſatores dicunt. Alius, ex inductione. vt ex Peparethia. Quod de filijs mulieres omnibus in locis definiunt, quid verum ſit. Nam & de hoc Athenis Mantiae oratori aduerſus filium contendenti mater pronuntiauit. & Thebis cum Iſmenias & Stilbo inter ſe contenderent, Dodonis mater filium eſſe Iſmeniae declarauit: & ex eo habitus eſt Theſſaliſcus Iſmeniae filius. Et rurſus ex lege Theodectis. Si ijs qui male alienos equos curarunt, non committunt ſuos: neque ijs qui aliorum naues euerterunt: idque in omnibus rebus eodem modo ſe habet: ijs quoque qui male aliorum ſalutem cuſtodierunt, ad tuendam ſuam vti nemo debet. Et Alcidamas vt oſtenderet eruditos viros nuſquam non magni fieri. Ergo, inquit, Parij Archilochum, quamuis maledicum, honorarunt. Et Chij Homerũ quamuis ciuis non eſſet: & Mitylenaei Sapphonẽ, quamuis mulier eſſet: & Lacedaemonij Chilonem in ſenum ordinem adlegerunt, qui tamen eruditionis minime ſtudioſi ſunt. Et Italiotae Pythagoram: & Lampſaceni Anaxagoram peregrinum hominem honorarunt ſepulchro, eumque etiam nunc honore afficiunt. Et Athenienſes quandiu Solonis legibus vſi ſunt, beate vixerunt: & Lacedemonij, quamdiu legibus Lycurgi: & Thebana ciuitas tamdiu felix fuit, quamdiu ei philoſophi praefuerunt. Alius, ex iudicio de eadem re aut ſimili, aut

li, aut contraria. maxime quidem, ſi omnes & ſemper: ſin minus, at plurimi ſaltem, aut ſapientes, aut omnes aut plurimi, aut boni: aut ſi illi ipſi qui iudicant, aut quorum iudicio illi acquieſcunt: aut a quibus diſſentire in iudicando non oportet, vt a dominis: aut aduerſus quorum ſententiam iudicare honeſtum non eſt: vt aduerſus deos, aut patrem, aut magiſtros. Quale eſt quod Autocles dixit in Mixidemidem. An venerandae quidem deae honeſtum ſibi putarunt in Areopago cauſam dicere: Mixidemides autem id recuſabit? Aut, vt Sappho, mori malum quiddam eſſe. dei enim ita iudicarunt: alioqui mori voluiſſent & ipſi. Aut vt Ariſtippus aduerſus Platonem, qui quiddam adſeuerantius protulerat, vt ipſi quidem Ariſtippo videbatur: At vero, ſodalis ille, inquit, noſter, Socratem autem dicebat, nihil vnquam tale. Et Ageſipolis Delphis interrogabat Deum, cum prius oraculum accepiſſet Olympiae nunquid ipſi eadem quae patri viderentur: quaſi turpe ſit, contra patris iudicium dicere. Et de Helena, vt Iſocrates ſcripſit, eam ſtudio dignam fuiſſe. Siquidem Theſeus ita iudicauit. Et de Alexandro, quem deae ceteris antepoſuerunt. Et de Euagora, inſigni virtute virum fuiſſe, vt Iſocrates dicit. Nam & Conon aduerſa fortuna vſus, alijs omnibus praetermiſſis, ad Euagoram venit. Alius, ex partibus. vt in Topicis: cuiuſmodi motio ſit

anima.aut enim haec,aut illa.Exemplum ex Socrate Theodectis. In quod templum impius fuit? quos eorum veneratus non eſt, quos ciuitas in deorum numero habet? Alius. quandoquidem pluribus in rebus vſuuenit, vt ex eis & boni, & mali aliquid conſequatur: ex eo quod conſequitur, aut hortari, aut dehortari: aut accuſare, aut defendere: aut laudare, aut vituperare. Exempli cauſa. Eruditionem conſequitur inuidia,quae malum eſt: & ſapientia, quae bonum eſt. Erudiri ergo non oportet: neque enim colligenda inuidia eſt. Erudiri ergo oportet. Sapientem enim eſſe oportet. Hic locus eſt ars Callippi, ſi quis addiderit diſputationem de eo quod fieri poteſt, & alia vt dictum eſt. Alius. Si quando de duobus inter ſe oppoſitis, aut ſuadere, aut diſſuadere oporteat, etiam eo, quem prius diximus, loco in ambobus vti. Intereſt autem, quod illic quidem qualiacunque opponuntur: hic autem contraria. Vt ſacerdos quaedam vetabat filium ſuum popularem oratorem fieri. nam ſi, inquiebat, iuſta dices, in odium hominum incurres: ſi iniuſta, in deorum. Ergo popularem oratorem fieri oportet: ſi enim iuſta dixeris, dii te amabunt, ſin iniuſta, homines. Hoc autem eſt idem cum eo quod vulgo dicitur, ſtagnum emere, & ſales. Et haec eſt praeuaricatio: cum e duorum contrariorum vtroque & bonum, & malum aliquod ſequitur, vtraque

vtriſque

vtriſque contraria. Alius. quando homines non eadem palam & in occulto probant: ſed palam quidem iuſta et honeſta maxime laudant: priuatim autem praeoptant vtilia: ex his alterum colligere conari. Nam in admirabilibus locus hic maxime dominatur. Sumendum autem eſt vtrum vtile fuerit. Alius. ex eo quod eadem proportione colligantur. Vt Iphicrates ad eos qui volebant filium ipſius, quãuis ad legitimã aetatem non perueniſſet, quia procero corpore erat, cogi ad obeunda munera publica: Si, inquit, proceros pueros pro uiris habetis, etiam eos viros qui puſillo corpore ſunt pueros eſſe decernetis. Et Theodectes in lege. Ciuitate, inquit, donatis mercenarios milites probitatis ergo, vt Strabacem & Charidemum: qui autem ex illis nefaria facinora fecerunt, eis exilium non irrogabitis? Alius. ſi quod conſequitur, idem ſit: etiam ea ex quibus conſequitur, eadem eſſe. Vt Xenophanes dicebat, aeque impios eſſe qui deos ortos eſſe dicerent, & qui dicerent eos mori. Vtroque enim modo euenire vt dij aliquando non ſint. Omninoque quod ex vtroque euenit, ſemper vt idem ſumere. Iudicaturi autem eſtis non de Socrate: ſed de hoc tuto inſtituto, nunquid oporteat philoſophari. Et quod terram & aquam dare, ſeruire eſt. Et in commune foedus adſcribi, leges accipere. Alius, ex eo quod homines non eadem ſequantur antea & poſtea, ſed contra.

quale eſt hoc enthymema. An cum fugeremus, pugnauimus, vt rediremus: nunc autem cum redijmus, fugiemus, ne pugnandum ſit? Tunc enim pugnare volebant potius, quàm in patria non manere: nunc autem malunt non pugnare quàm manere. Alius. cuius rei cauſa aliquid eſſe aut fieri poteſt, eius rei cauſa dicere id eſſe aut factum eſſe. Vt ſi quis cui quid det, vt poſtea idem illi auferens, dolorem inurat. Vnde & illud dictum eſt.

Fortuna multos ſaepe in altum prouehit,
Non quod bene illis eſſe conſultum velit:
Sed vt inde caſu inſigniore corruant.

Et illud ex Meleagro Antiphontis.

Non vt feram conficiant, ſed teſtatior
Meleagri virtus tota vt eſſet Graecia.

Et illud ex Aiace Theodectis. Quod Diomedes Vlixem ſibi prae ceteris comitem elegerit: non quia eum magni faceret: ſed vt comitem inferiorem haberet. Euenire enim poteſt, vt id aliquis propterea faciat. Alius communis & iudiciorum & deliberationum. inſpicere ea quae impellunt, & ea quae reuocant: & quorum cauſa faciunt homines aut fugiunt. haec enim ſunt, quae ſi quidem inſint, agere oportet. Vt ſi poſſibile eſt, ſi facile, ſi vtile aut ipſi aut amicis: aut damnum ac detrimentum importat inimicis. aut ſi poena minor eſt quàm pro re. Et hortantur autem ex his & reuocant ex contrarijs: & ex his ipſis tum accuſant, tum defendunt.

defendunt. Et his quidem quae reuocant, vtuntur ad defendendum: ijs autem quae impellunt, ad accuſandum. Eſt autem hic locus tota ars Pamphili, & Callippi. Alius in ijs quae videntur quidem fieri, ſed tamen incredibilia ſunt: quòd non uiderentur, niſi aut eſſent, aut propemodum eſſent. Aut etiam amplius. aut enim ea quae ſunt, aut ea quae veriſimilitudinem habent, opinantur homines. ſi igitur hoc incredibile eſt ac non veriſimile: verum ſit oportet. non enim ita videtur, quia ueriſimi le ac credibile ſit. Quemadmodum Androcles Pittheus, cum in lege quadam accuſanda dixiſſet, Egent leges lege quae ipſas corrigat: eique populus obſtreperet: Quippe, inquit, & piſces egent ſale. quod tamen ueriſimile non eſt, neque credibile: cum in ſalſo alantur, ſale egere: Et oleae oleo. & ſi incredibile eſt, ex quibus oleum naſcitur, ea ipſa oleo egere. Alius, ad redarguendum aptus. uidere ea quae diſſident. ſi quid in omnibus & temporibus, & actionibus, & ſermonibus diſſideat. Separatim quidem in aduerſario, hoc modo: Atque ait quidem ſe ueſtri amantem ac ſtudioſum eſſe: coniurauit autem cum triginta uiris. Separatim autem in ſeipſo, hoc modo. Et ait quidem me ſectatorem eſſe litium; non poteſt autem oſtendere, mihi unquam cum quoquam litem in iudicio fuiſſe. ſeparatim autem in ſe & in aduerſario.

Et hic quidem nullum vnquam ſumptum fecit: ego autem etiam veſtrum multos redemi. Alius, allata cauſa, calumniam diſſoluere. Vt, cum quaedam mulier corpus ſuum corpori filij ſuppoſuiſſet, vt eum amplexaretur, videbatur cum eo corpus commiſcere: expoſita autem cauſa cur id faceret, diſſoluta eſt calumnia. Et in Aiace Theodectis, Vlixes aduerſus Aiacem cauſam exponit, cur cum ſit Aiace fortior, non tamen talis eſſe videatur. Alius, ex cauſa: vt ſiue cauſa ſit, rem eſſe, ſiue cauſa non ſit, ne rem quidem eſſe dicamus. Nam & cauſam vna comitatur id quod ex ea efficitur: & ſine cauſa nihil eſt. Vt, Leodamas cum ſe defenderet accuſante Thraſybulo, quod nomen ipſius in columna quae in arce erat, ignominiae cauſa inſcriptum fuiſſet: ſed eraſum ab eo ſub triginta viris: fieri hoc non poſſe reſpondit: tanto enim plus fidei ſibi habituros fuiſſe xxx. viros, ſi inimicitias ipſius cum populo illa inſcriptione teſtatas vidiſſent. Alius, ſi alia ratione commodius fieri poterat, poteſtue. Conſtat enim, ſi ita eſt, factum non eſſe. Nemo enim ſponte eligit ea quae minus commoda ſunt, talia eſſe cognoſcens. Eſt autem hoc captioſum. Saepe enim re iam confecta, cognoſcit aliquis, quomodo ea commodius confici potuerit. cum id ei antea obſcurum eſſet. Alius, conſiderare, num quid agendũ ſit, quod aduerſetur ijs quae cũ maxime fiunt.

ſiunt. Vt Xenophanes interrogantibus Elaeatis deberentne Leucotheae ſacra facere, eamque lugere, an non: auctor fuit, ſi eam deam putarent, ne lugerent: ſi hominem, ne ſacra facerent. Alius, ab iis in quibus erratum eſt, accuſare, aut defendere. Vt in Medea Carcini, alij quidem eam accuſant, tamquam filios interfecerit: cui rei argumento eſſe dicunt, quod pueri non compareant. Errauerat enim Medea in filiis amandandis. Ipſa autem ita ſe defendit: quod non filios, ſed ipſum Iaſonem interfectura fuerit. nam ſi alterum perpetraſſet, erraſſet ſane, ſi hoc alterũ omiſiſſet. Eſt aũt hic locus, & haec ſpecies enthymematis, tota prior ars Theodori. Alius, ex nomine. Vt Sophocles,

Vere Sidero nomen ex merito gerit.

Et ut ſolent in deorum laudibus dicere. Et ut Conon Thraſybulum Thraſybulum vocabat. Et Herodicus Thraſymacho, ſemper Thraſimachus es. & Polo, Semper Polus es. Et in Draconem legislatorem: non hominis eſſe leges ipſius, ſed Draconis: aſperae enim erant. Et Euripidis Hecuba in Venerem:

Merito eius nomen ab imprudentia incipit.

Et ut Chaeremon.

Pentheus futuro nomen a luctu gerens.

Ex enthymematis autem magis cõmendantur, quae ad refellendum, quam quae ad demonſtrãdum valent. Enthymema enim quod redarguit, concluſio eſt cõtrariorum in anguſtum locum

Comp

a

Comparata autem inter ſe contraria, audienti magis perſpicua fiunt. omnium autem & quae redarguendi, & quae demonſtrandi vim habent, maxime conturbant animos audientium ea, quae ipſi ſimul ac proferri incipiunt, prouident: ita tamen vt ne hoc eueniat, quòd illa leuia, & minus altis radicibus fixa ſint. Vna enim ſecum ipſi quoque in animo gaudent, quòd ea praeſenſerint. *E*t ea quae ipſi ita ſubſequuntur, vt ſtatim expoſita intelligant. Cum autem in ſyllogiſmis eueniat, vt alij uere ſyllogiſmi ſint, alij non ſint quidem, ſed tamen eſſe videantur: neceſſe eſt & in enthymematis idem euenire: quandoquidem enthymema ſyllogiſmus quidam eſt. loci autem fallacium enthymematum hi ſunt. Vnus quidem ex ipſo dicendi genere. Cuius vna pars eſt, vt in dialecticis, cum ratione nihil concluſeris, ita tamen orationem in extremo conformare, ut aliquid concluſiſſe videaris. Non ergo & hoc & illud. Neceſſe igitur eſt hoc & illud. Nam & contortum, & tanquam ex contrariis concluſum dicendi genus ſpeciem aliquam enthymematis efficit. talis enim dictio quaſi ſedes eſt, & regio ipſius enthymematis. *E*t uidetur haec fallacia ex ipſa orationis conformatione proficiſci. Eſt autem vtile ad hoc vt ſyllogiſtice dicere videaris, multorum ſyllogiſmorum capita coaceruare: vt, Alios quidem ſeruauit,

alios

alios autem vltus eſt, Graecos autem in libertatem uindicauit. Etenim haec ſingula quidem ex aliis demonſtrata ſunt: cum autem ita conglobata proponuntur, uidetur ex ipſis quoque aliquid effici. Altera autem pars, ex homonymia. Vt dicere, murem eſſe animal magni pretij, à quo ſacra omnium auguſtiſſima nomen habeant. Mys enim graece mus eſt: & myſteria ſacra ſunt omnium auguſtiſſima. Aut, ſi quis canem laudans, adſumat vna canem caeleſtem, aut deum Pana: quia in eum ita cecinit Pindarus. O beate, quem & magnae deae canem omnifarium vocant Olympij. Aut quia turpiſſimum eſt, ne canem quidem vllum reliquum eſſe, ex eo concludat honeſtum eſſe, ſi ſit canis. Aut dicere Mercurium maxime ex omnibus dijs ad communicanda ſua propenſum eſſe: ſolus enim communis Mercurius uocatur. Et, logon eſſe rem omnium praeſtantiſſimam: nam & praeſtantes uiri, non pecuniis, ſed logo digni ſunt. Logo enim dignum non uno tantum modo dicitur. Alius id, quod ſeparatim uerum eſt, coniunctim dicere: aut quod coniungendum erat, diuidere. Quoniam enim idem uidetur eſſe, & ſaepe tamen non idem eſt: utrum ex uſu noſtro fuerit, id facere oportet. Hinc autem nata eſt Euthydemi fallax concluſiuncula: vt, Scis triremes in Piraeo eſſe? ſeparatim enim nouit. Et eum qui elementa ſcit, ſci-

re etiam carmen. etenim carmen idem eſt. Et, quoniam bis tantum valetudini nocet, dicere, ne vnum quidem ſalubre eſſe. abſurdum enim eſt ex duobus bonis conflari unum malum: Ac ſic quidem ad redarguendum ualet: ad demonſtrandum autem hoc modo: Non enim bonum vnum e duobus malis conflatum eſt. Omnino autem locus fallax, & captioſus eſt. Rurſusq. illud Polycratis in Thraſybulum, quod triginta tyrannos ſuſtulerit. cōiungit enim. Aut illud in Oreſte Theodectis: ex diuiſione enim eſt:

Num quaeſo, iuſtum eſt, ſi qua ſuſtulerit virum,
Et ipſam mori?
Sed & paternam filio vlciſci necem.

Atqui haec ipſa geſta ſunt. Etenim ſi quis haec coniungat, non amplius fortaſſe iuſtum fuerit. Poteſt autem hoc referri ad fallaciā mancae ac mutilae orationis. non enim explanatum eſt, à quo. Alius autem locus, exaggeratione confirmare aliquid aut refellere. Id autem eſt, cum qui reum aliquid feciſſe non docuit, rem ipſam amplificat, & extollit. Efficit enim haec ratio, ut de duobus alterum uideatur, aut non feciſſe eum, qui accuſatur, ſi ipſemet eam rem in maius attollat: aut feciſſe, ſi accuſator excandeſcat. Enthymema igitur non eſt: decipitur enim auditor, factum aut non factum id putans, de quo nihil tale demonſtratum eſt. Alius, e ſigno. Vt ſi quis dicat, ciuitatibus utiles eſſe amores. Nam Harmodi,

dij & Ariſtogitonis amor Hipparchum tyrannum ſuſtulit. Et ſi quis dicat, furem eſſe Dionyſium: improbum enim eſſe. Nam ſic quoque nihil concluditur. Non enim quicumque improbus eſt, fur eſt: ſed quicumque fur, improbus. Alius, ob id quod caſu accidit. Vt quod ait Polycrates in mures, eos auxilio fuiſſe, corroſis arcuum neruis. Aut ſi quis dicat, ad coenam uocari, honorificentiſſimum eſſe. Achilles enim in Tenedo, quòd vocatus non fuiſſet, grauiter Achiuis ſuſcenſuit. At ille ſuſcenſuit, tanquam ignominia affectus. contigit autem hoc eo ipſo tempore, quo uocatus non eſt. Alius, ex eo quod ſequitur. Vt in Alexandro, eum magnanimum fuiſſe. cum enim aliorum conſuetudinem contemneret, in Ida ſolum egiſſe. Quod enim magnanimi tales ſunt, hic quoque magnanimus uideri queat. Et quando formam colit, & nocte vagatur, adulter eſt: nam & adulteri tales ſunt. Simile autem eſt, vt ſi quis dicat mendicos in ſacris & canere, & ſaltare: & exſulibus habitare licere vbicumque uoluerint. Quod enim iis qui beate uiuere uidentur, haec inſunt, ii quoque quibus ea inſunt, beati uideri queant. Intereſt autem quomodo. quare hoc quoque incidit in uitium mancae, ac mutilae orationis. Alius, quae cauſa non eſt, eam vt cauſam ponere. Vt quia ſimul, aut poſtea factum ſit. quod enim poſtea euenit, quaſi propterea eue-

euenerit, accipiunt. Et maxime in reipublicae tractatione. Vt, quod Demades Demoſthenis reipublicae curationem malorum omnium cauſam extitiſſe. poſtea enim contigit, vt bellum excitaretur. Alius ab omiſſione temporis, & modi. Quale hoc fuerit. Iuſte abduxit Alexander Helenam. ipſi enim Helenae data erat à patre eligendi poteſtas. Fortaſſis enim non ſemper. ſed principio. nam & uſque ad eum finem hoc facere poterat pater. Aut ſi quis contumeliam eſſe dicat, pulſare homines liberos. non enim omnino ita eſt: ſed ita demum, ſi quis eos prior iniuria laceſſat. Praeterea quemadmodum in contentioſis ex eo quod ſimpliciter, & eo quod non ſimpliciter, ſed adiuncto aliquo uerum eſt, exiſtit adumbratus ſyllogiſmus: exempli cauſa, in dialecticis, non ens eſſe: certe enim non ens eſt non ens: & id quod cognoſci non poteſt, ſciri poſſe: certe enim quod cognoſci non poteſt, ſciri poteſt cognoſci non poſſe: ſic & in rhetoricis exiſtit adumbratum enthymema ex eo quod non ſimpliciter uериſimile eſt, ſed adiuncto aliquo, ueriſimile. Eſt autem hoc non uniuerſe: ut & Agatho dixit.

Credibile hoc aliquis non immerito dixerit,
Multa hominibus euenire non credibilia.

Euenit enim aliquid praeter id quod ueriſimile erat. Ita ut ueriſimile ſit etiã id quod eſt praeter ueriſimile. Hoc autem poſito, etiam id quod

quod uериſimile non eſt, ueriſimile erit. non tamen ſimpliciter. Immo uero, vt in contentioſis, eo fraus fit, quia non additur qua ex parte, aut cum quo collatum, aut ubi: ita & hic. quia quod praeter ueriſimile eſt, non eſt ſimpliciter ueriſimile, ſed tantum aliqua ex parte. Eſt autem ars Coracis compoſita ex hoc loco. Nam ſiue quis non ſit obnoxius crimini: ut ſi qui imbecillo corpore eſt, cauſam dicat quod alium uerberarit, parata defenſio eſt: Non enim veriſimile eſt: ſiue obnoxius, ut ſi robuſtus: itidem parata: Non eſt ueriſimile eum id feciſſe: facile enim intelligebat, id in ſe ueriſimile uiſum iri. Itidemque in ceteris. neceſſe eſt enim, aut talem eſſe, ut in eum cadat ſuſpicio, aut talem, ut non cadat. Ergo uidentur quidem utraque ueriſimilia: eſt autem illud quidem ueriſimile: hoc autem nō ſimpliciter, ſed ut dictum eſt. Atq. hoc eſt quod dicitur, efficere, vt cauſa inferior ſuperior fiat. Vnde merito auerſabantur homines id quod Protagoras profitebatur. nam & mēdacium eſt: neque uerū ſed adumbratum ueriſimile: neque in ulla arte, praeterquam in rhetorica, & in contentioſa. Ac de enthymematis quidem, tum de iis quae ſunt, tum de iis quae uidentur, dictum eſt. Conſequens autem eſt iis quae diximus, vt de ſolutionibus diſſeramus. Duplex igitur eſt ratio ſoluendi: una contrario ſyllogiſmo afferendo: altera, aliquid obiiciendo quod obſtet.

obſtet. Ac contrarij quidem ſyllogiſmi iiſdem illis ex locis duci queunt. Etenim ex iis quae in opinione hominum ſita ſunt, ſyllogiſmi eruuntur: multis autem de rebus homines contraria opinantur. Obiectiones autem quattuor modis fiunt, vt & in topicis. aut enim ex re ipſa, aut ex contrario, aut ex ſimili, aut ex rebus iudicatis. A re ipſa, ut ſi de amore enthymema ſit, eum bonum eſſe: duobus modis reſiſtere licebit: aut enim uniuerſe: ita ut dicamus, omnem indigentiam malum eſſe: aut in parte: neque enim diceretur amor Caunius, niſi eſſent & mali amores. Ex contrario autem, vt ſi enthymema ſit, virum bonum amicis omnibus benefacere: At ne improbus quidem male. E ſimilibus autem, ut ſi enthymema ſit, Omnes ij quibus mali aliquid factum eſt, ſemper oderunt. At neque ij qui beneficium acceperunt, ſemper amant. Iudicia autem ea demum quae ab illuſtribus uiris facta ſunt. Vt ſi quis enthymemate confirmarit, ignoſcendum eſſe temulentis: ignorantes enim eos peccare: obſiſti poteſt hoc modo. Non igitur laudandus eſſet Pittacus: neque enim legibus conſtituiſſet maiores poenas, ſi quis ebrius deliquiſſet. Quando igitur enthymemata ducuntur ex quattuor, nempe ex ueriſimili, exemplo, tecmerio, & ſigno: atque illa quidem enthymemata quae concluſa ſunt ex iis quae plaerunque aut ſunt aut uidentur,

dentur,

dentur, ex uериſimilibus ſunt: quae autem per vnum ſimile, aut plura, per exemplum: atque per neceſſarium, quodque ſit: per tecmerium: quae uero per aliquid quod in vniuerſo, aut in parte ſit, ſeu uerum ſit, ſeu minus, per ſigna: uerіſimile autem eſt, non quod ſemper, ſed quod plaerunque: conſtat talia entaymemata ſemper diſſolui poſſe, adferendo aliquid, quod eis obſiſtat. Diſſolutio autem videtur quidem, ſed non ſemper eſt vera. Non enim, qui occurrit argumento, ita ſoluit, vt veriſimile eſſe neget, ſed vt dicat non eſſe neceſſarium. Quo fit, vt propter hanc fallaciam, ſemper plura inuenire liceat ad defendendum, quàm ad accuſandum. Quando enim accuſator ſemper uerіſimilibus ad probandum vtitur: neque idem eſt ita ſoluere, vt dicas veriſimile non eſſe, & vt neges eſſe neceſſarium: ac quod plaerunque tantum verum eſt, ſemper ei aliquid obiici poteſt: neque enim veriſimile eſſet, ſed ſemper verum, & neceſſarium: ſtatim arbitratur iudex, vbi ita diſſolutum eſt, aut veriſimile non eſſe, aut non ex eo iudicandum: in quo fallitur, vt dicebamus: non enim ex neceſſariis tantum iudicare eum oportet, ſed etiam ex veriſimilibus. nam & hoc eſt optima mente ac ſententia iudicare. non igitur ſatis eſt, ſi ita ſoluat, ut neget neceſſarium eſſe: ſed ita ſoluendum eſt, vt oſten-

dat non eſſe veriſimile. Quod ita demum conſequi poterit, ſi id quod contra adfertur, tale erit, vt ipſum potius dicatur plaerumque euenire. Atque hoc duobus modis: aut tempore, aut rebus ipſis: maxime autem ſi vtroque. Si enim & plura & ſaepius ita eueniunt, hoc veriſimile magis eſt. Soluuntur autem & ſigna, & quae ex eis ducuntur enthymemata, etiam ſi ſigna ipſa vera fuerint, vt in ſuperioribus diximus. Omne enim ſignum ineptum eſſe ad conficiendum ſyllogiſmum, conſtat ex analyticis. Eorum autem quae ab exemplis ducuntur, eadem ſolutio eſt, quae ueriſimilium. Nam & ſi diſſimile aliquod exemplum adferamus, oſtendemus non eſſe neceſſarium: & multo magis, ſi plura ac ſaepius aliter euenire doceamus. Quod ſi & plura & ſaepius ita euenire conſtet, vt aduerſarij uolunt, pugnandum eſt, vt oſtendamus id quod agitur non eſſe ſimile, aut non ſimiliter, aut omnino diſcriminis aliquid eſſe. Tecmeria autem, & enthymemata, quae ex eis conficiuntur, non poſſumus quidem ita diſſoluere, ut negemus neceſſariam eſſe argumenti concluſionem. conſtat autem hoc quoque ex analyticis. quare alia diſſoluendi via nulla relinquitur, quam vt oſtendamus verum non eſſe id quod dicitur. Sin autem conſtet & verum eſſe, & tecmerium eſſe: hoc iam inſolubile

lubile euadit. Omnia enim eo perducta ſunt, vt certa & perſpicua demonſtratio ſit. Augere autem & extenuare, non eſt elementum enthymematis. idem autem voco elementum & locum. Eſt enim elementum ſeu locus, in quem multa enthymemata incidunt. Augere autem & extenuare, eſt quodammodo oſtendere aliquid magnum aut paruum eſſe, vt & bonum, aut malum, iuſtum aut iniuſtum, & quidlibet aliud. Haec autem omnia ſunt circa quae verſantur ſyllogiſmi, & enthymemata. quare ſi horum vnumquodque locus enthymematis non eſt, ne augere quidem, & extenuare loci fuerint. Neque ea enthymemata quorum in diſſoluendo vſus eſt, ad aliud genus pertinent, quam quae ad confirmandum valent. Certe enim ſoluit is, qui aut demonſtrat, aut aliquid obiicit. demonſtrat autem contra, id quod aduerſatur ei quod concluſit aduerſarius. Vt ſi ille docuit factum eſſe, hic docet factum non eſſe: ſi ille factum non eſſe, hic factum eſſe. Itaque hac quidem ratione nihil eſt diſcriminis: cum iiſdem vtrique vtantur. adferunt enim enthymemata, quibus aut non eſſe, aut eſſe confirment. Obiectio autem non eſt enthymema: ſed, vt in topicis, opinionem aliquam adferre, qua planum fiat, aut ſyllogiſmum non recte concluſum, aut falſum aliquid pro vero ſumptum eſſe. Ac de exemplis quidem,

& ſententiis, & enthymematis, omninoque de iis quae ad ſententiam pertinent, tum vnde eorum copiam parare, tum quomodo ea diſſoluere oporteat, haec à nobis diſputata ſint. Reliquum eſt vt de elocutione, & de collocatione dicamus.

FINIS.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M.

Omnes ſunt Quaterniones,

† M Duerniones.

ROMAE,

Excudebat Franciſcus Zanettus.

MDLXXXV.

PETRI PITHOEI.
I. C.
ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM LIBRI II.

Auctorum Veterum loci qui in iis libris aut explicantur aut emendantur, proximo indice notati ſunt.

PARISIIS,
Apud Ioan. Borellum, vico Bellouaco.
M. D. LXV.

PETRVS PITHOEVS
ANTONIO LOISELO
I. C. S.

CVi dono illepidum meũ libellum,
Burras, quiſquilias, ineptiáſque?
Antoni, tibi. Nanque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas.

Et verò, eorum quæ te maximè impulſore atque etiam adiutore auſus ſum, quem alius potius auctorem laudem? Ac vt id quidem mihi liceat, quod ego per amicitiæ religionem nefas duco, Quis tandem iniuriam ſibi fieri non cenſeat, ſi tam incerti nominis pręs rogetur, cuius tu nihilominus in te periculum vltro recipere non dubitaſti?

Quare habe tibi quicquid eſt libelli.
Qualecunque quidem,

Sit ſacroſanctæ amicitiæ noſtræ & communium ſtudiorum pignus, quandiu quidem extare poterit, ſempiternum. Bene vale. Tricaſsib. III. Kal. Octob. M. D. LXIIII.

BREVIS CAPITVM LIBRI PRIMI,

Ad Anto. Loiſelum. I. C.

De variis adoptionum formis, Per arma, Per Comam ſiue per capillos, Per ſacras preces ſiue per baptiſma. Caput 1.
Rei amiſſæ perquirendæ antiqua ratio, & lancis vſus in furto concipiendo ex Petronij Arbitri Satyrico explicatur. Gellij Spartianíq; loci delicio emendantur. Cap.ij.
De Diis veterum Gallorum, & eorum nominibus antiquis: Itémque de Apolline Beleno, Pateris, Druidibus Auſonij verſus ordinati & reſtituti. Deque Eubagibus & Semnotheis. Cap.iij.
De Beleno. Tertylliani in Apologetico: De Cœleſti Vlpiani, Saluiani Maſsilienſis & Capitolini. De Beſſa Amm. Marcellini loci emendati. Cap.iiij.
Cor. Taciti & Marcellini de Druidis loci expenſi & de Carpēti iure & Baſternis Hieronimi locus expoſitus. Cap.v.
De vere ſacro Iuſtini & Solini loci emendati: & de Berna Adamantij Martyrij verba prolata & reſtituta. Cap.vj.
Adorationis rit⁹, & de iis Plinij, Plauti, Lucretij & aliorū auctorū veterū loci annotati: Itémq; de voti adſignatione. Cap.vij.

Baronis nomen apud Perſium reſtitutũ: Quid ſit Baro, Quid Dux: Et de Duce Annalium loci prolati & reſtituti. Cap.viij.

M. Varronis de Compitalibus & Liberalibus verba explicata ex lib.v.de ling.Latina & Macrobij Ambroſij Theodoſij locus de Compitaliũ pronunciatione emendatus. Cap.ix.

Spinturniciorum appellatio reſtituta apud Amm.Marcellinũ: Et quid ſit apud eundem auctorem, Reſecrare. Plauti ex Perſa & Aulularia loci explicati & emendati. Cap.x.

Q. Ennii de Africano verſus expenſus & emendatus apud An.Senecam & Lactantium Firmianum. Itémq;. C.Plinij de creta Circenſi, & Petronii de incretatione Gallorum loci notati. Cap.xi.

Locus M. Terentii Varronis de Ornithone ex lib. iii. de Re Ruſtica, peruerſa notarum interpretatione corruptus, reſtituitur: Et quid ſit in eo Plumula. Cap.xii.

Auſonii verſus plures emendati: & de lega ſeu Leuua Gallorum. Cap.xiii.

De Cluſuris, Vallo, Burgis & Luſoriis, Iulii Capitolini loci prolati & expenſi. Cap.xiiii.

De vitis & vittæ inſignibus, Mamertini Caſſiodori & Valerii Maximi loci emendati. Itémque de Præconis iure. Cap.xv.

Burra, Beri, Bera, Byrri, Colobum ſiue Colobium, Campagus Regius, Calcei aurati, Calcei ſericei Romani, & de his Capitolini & Caſsiodori loci reſtituti. Cap.xvi.

Catulli, Suetonii, Lampridii, Capitolini, Apuleii, Petronii, Macrobii, Simmachi loci emẽdati, in quibus Mimi appellatio corrupta eſt. Itémque Plauti locus ex Milite de Cinædis malacis. Cap.xvii.

De Veterum Sacramento in litibus, & Sponſione, eorûmque formulis & de vadimonio Macrobii, Ciceronis, Valerii Max. Plinii, Acronis, & Flori loci reſtituti. Cap.xviii.

Ex Q. Sereni libro medicinali delibata quædam & reſtituta. Nicolai, Stanchare, Multos-dum, Reduuia. Cap.xix.

De Tarquitianis libris Amm. Marcellini locus expoſitus, & Eiuſdem Tarquitii nomen apud Macrobium duobus locis reſtitutum. Cap.xx.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

INCIPIT BREVIS CAPITVM LIBRI SECVNDI.

Ad Claud. Sennetonum. I. C.

De Tricaſsibus, Tricaſsinis & Cāpania. Amm. Marcellini, Panegiricorum veterũ, & Antonini loci reſtituti, & antiquæ duæ inſcriptiones proditæ. Cap. j.

M. Tullij Ciceronis ex lib. ij. de legib. loci de lege Toria ſiue Turia, T. Liuij ex lib. x. A. V. C. de lege Valeria emendati. Itemque Macrobij Theodoſij de C. Titio. Auſonij Epigrāma de Iuriſcōſulto expoſitũ. ca. ij.

Veteres gentiles Chreſtum & Chreſtianos non Chriſtum aut Chriſtianos dixiſſe, & de Iudæis quędam Suetonij & Tertulliani loci expoſiti: Itemq; Caſsiodori ex libris Diuinar. & Humanar. Inſtit. de Achreſto & Chreſimo, & Sidonij de Theta. Cap. iij.

Mos veterum in pecunia credita relegēda, & vectigalibus P.R. agríſque priuatis locandis. Kalendarii & Iduarij qui dicãtur. Relegere Ciceronis & Horatij loci explicati: Alpheni Vari, A. Perſij & M. Catonis reſtituti & emendati. Cap. iiij.

Sidonij Apollinaris verſus plures emendati. Cloio ſiue Chlogio, Atax. Nicer. Rhetus.

Theudoris. Aſiagenes. Scaldis nomen apud C. Cæſarem redintegratum, Et de Aëtio & Carpilione Renati Frigeridi & Caſsiodori loci inter ſe conlati. Cap.v.
De leuatione Imperatoris loci plures adnotati. Capitolini verba de Gordianis expenſa. Optati Afri Mileuitani Epiſcopi de leuatione nouarum nuptarum locus excuſſus: Itemq; Sidonij Apollinaris de rititibus nuptiarum verba quędam emendata ex lib.j. Epiſtolar. Cap.vj.
Maiorum vel minorum gentium Patricij qui dicãtur. Suetonij Tranquilli locus ęx lib. ij. emendatus. Eiuſdem de ſtipendio Galliæ à Cęſare Dictatore impoſito defectus notatus ſuppletúſque lib.j. Cap.vij.
Dicis cauſſa vnde dictum ſit. M. Tullij Ciceronis Ex lib.j. Epiſtolar. ad Atticum loci quidam emendati. Eiurare, Periurare, Deierare, Obiurare, Adiurare, Præiurare. Hieronimi & Tertulliani vetus lectio defenſa. Cap.viij.
Seruorũ gradus tres Deligati Delicatiue qui fuerint. Suetonij Trãquilli & Ælii Spartiani loci notati: Et de lege Ælia Sentia & vinctis manumiſsis. Cap.ix.
De L. Apuleio Madaurenſi quo tempore vixerit: Et ex eius diſputatione de Dæmonio Socratis nonnulla emendata. Cap.x.
Ex eiuſdem L. Apuleii Apologiis duabus loci

plures expenſi & reſtituti. Cap.xi.
Cancellarij & Secretarij vnde dicti. Et de iis auctorum loci notati, & Caſsiodori emẽdati. Cap.xii.
Metonis Attici nomen apud Ammianũ Marcellinum, Vitruuium, & Auſonium reſtitutum. Eudæmon. Solo, Solon. Cap.xiii.
Gromatica diſciplina quæ fuerit, & de ea Caſſiodori locus emendatus ex lib.iii. Variar. Formular. Combinatus. Terminorum defigendorum ritus ex Siculo Flacco deſcripti, & de iis Apuleij & Aurelij Prudentij loci adnotati. Vnctus lapis Lucretio quis dicatur, Coronatus Virgilio in Scopa. Cap.xiiii.
Notantur errores quidam apud Frontinum, Vlpianum, Ciceronem, ex peruerſa notarum interpretatione cõflati: Eiuſdémque Ciceronis ex libris de RP. apud Auguſtinum locus emendatur. Cap.xv.
De Rota, Tympano, Tellenone, Hauſtro, Antlia, Columellæ in Hortulo, & Suetonii in Tiberio loci reſtituti. Quid ſit in Antliam damnare, Quid ad triremis publicæ remum. Cap.xvi.
M. Fabii Quintiliani locus notatus ex lib.iii. Inſtit. in quo Populi Romani & Orchiſtræ appellatio corrupta videtur. Velleii Paterculi de Lege Roſcia Theatrali, Caſſiodori de Orcheſtra ſiue de ſcænicis &

mimis, Suetonii de productis loci emendati, Et Tertulliani de perductoribus expenſus. Cap. xvii.
M. Tullii Ciceronis ex lib. ii. Epiſtolar. ad Atticum loci ex vetere ſcriptura reſtituti, in quibus viridiorum & Duumuiri nomina corrupta ſunt. Sulpitii Seueri ex lib. ii. Sacræ Hiſtor. & Suetonii Tranquilli in Tiberio verba emendata: Et de Conſulibus Capitoliíſque Gallicis & municipalibus. Cap. xviii.
C. Plinii ex lib. xxix. Natur. Hiſtor. de Medicis locus difficilis expenſus & emendatus. De inquiſitione furti, & partibus Cẽtumuiralium: Itemque de Quinqueuiris & Quinqueuiralis iudicii forma. Cap. xix.
De Banno, Bando, Heribanno auctorum loci adnotati. Item de aduocationis neceſsitate & iudiciis. Rerum iudicandarum vacatio quæ dicatur apud Senecam in ludo de morte Claudii. Res proferre. Res redire. Annus litium quid, apud Iuuenalem Saty. vltima. Cap. xx.

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM IN QVIBVS VETERIS cuiuſque auctoris loci aut explicantur aut emendantur.

lib. librum c. caput libri ſignificat.

ACronis lib.i.cap.18
Adonis lib.i.cap.14.lib.ii.cap.1.6
Aggeni Vrbici lib.ii.cap.14
Aimonij monachi lib.i.c.8.lib.ii.cap.1
Alpheni Vari I.C. lib.ii.cap.4
Ammiani Marcellini lib.i.cap.3.4.5.10.14.16.20.lib.ii.cap.1.6.12.13
Annalium Pipini lib.i.cap.8
Antonini lib.ii.cap.1
Appiani lib.ii.cap.2
Apuleii lib.i.c.2.4.7.15.17.19.lib.ii.cap.9.10.11.14.18
Arnobii lib.i.cap.18.19.lib.ii.cap.11
Artemidori lib.i.cap.5
Aſconii Pædiani lib.i. cap.18. lib.ii.cap.17.19
Athenei lib.ii.cap.2
Auguſtini lib.i. cap.1.lib.ii.cap.15
Aurelii Victoris lib.ii.cap.3
Auſonii lib.i.cap.3.9.13.16.lib.ii. cap.1.2.3.11.13.17.18
BEdæ lib.i.cap.6.lib.ii.cap.1
Bibliorum lib.i.c.7.lib.ii.c.3

C.Cæſaris lib.i.cap.3.8.lib.ii.cap.5
C.Iul.Capitolini lib.i.cap.4.5.14. 16. 17. lib, ii.cap.3.6
Caſsiodori lib.i. cap.1. 11.14.15.16.lib. ii.cap, 3.5.12.14.16.17.19
Catonis lib.i.cap.9.lib.ii.cap.4
Ciceronis lib.i.cap.11.18. lib. ii. c.2.4.7.8.15.18
Claudiani lib.ii.cap.6
Columellæ lib.ii.cap.9.16
Curii Fortunatiani I.C. lib.i.cap.2.18
Cypriani lib.ii.c.18. 20
DIodori Siculi lib.i.cap.3
D.Donati lib.ii.cap.8
ENnii lib.i. cap.1.11
E.Errici monachi lib.ii. cap.12
Euceriæ lib.i.cap.16
Eutropii lib.ii.cap.7
F
Frontini lib.ii.cap.15.16
G
A.Gellii lib.i.cap.2.lib.ii.cap.18
H.Herodiani lib.i.cap.14.lib.ii.cap.6
H.Hieronimi lib.i.c.5. 7.15.lib.ii.cap.8.11
Horatii lib.ii.cap.4
Hygini lib.ii.cap.14
IOannis Salisberien.lib.ii.cap.10
I.Iordani epiſcopi lib.i.cap.13
Ioſephi lib.ii.cap.9.16
Iſidori lib.i.cap.5.18.lib.ii.cap.1.16
Iuſtini lib.i.cap.6

Iuuenalis lib.ii.cap.17.20
LActantii Firmiani lib.i.cap.3.11.20
Laertii lib.i.cap.3
Lampridii lib.i.cap.5.7.17.lib.ii.cap.16
Latini Pacati Drepanii lib.i.cap.7
Legum Langobard. Sal. &c. lib.i. cap.8.lib.ii. cap.20
T.Liuii.lib.i.cap.5.6.lib.ii.cap.2.7
Luitprandii Diaconi lib.i.cap.14.16
Lucani lib.i.cap.3
Lucilii lib.ii.cap.10
Luciani lib.i.cap.3
Lucretii lib.ii.cap.14
MAcrobii lib.i.cap.9.17.18.20.lib.ii. c.2.4
Mamertini lib.i.cap.15
Marcelli I.C. lib.ii.cap.11
Marcellini Comitis lib.i.cap.1.lib.ii.cap.1
Martyrii Adamantii lib.i.cap.6
Val.Martialis.lib.i.cap.16.lib.ii.cap.16
Minucii Fœlicis lib.i.cap.7.lib.ii.cap.14
NIcetæ lib.ii.cap.12
Nonii Marcelli libro i.cap. 6. 17. lib. ii. cap.14.16
Notitiæ Imperii Rom.lib.ii.cap.1
OPtati lib.ii.cap.6
Ouidii lib.i.cap.9
PAnegiricorum lib.i.cap.8 11.14.lib.ii.c.1
Pauli Diaconi lib.i.cap.1.14.16
Pauli I.C.lib.i.cap.18
Perſii lib.i.cap.8.10.11.16.lib.ii.cap.4

Petronii Arbitri lib.i. cap.2.11.17. lib. ii. cap. 10.19
Pii Rom.Epiſc.lib.i.cap.16
C.Plinii lib.i.cap.2.3.7.11.18.19.20.lib.ii.cap. 13.19
Plinii Nepotis lib.ii.cap.20
Philaſtrii lib.i.cap.4
Plauti lib.i.cap.2.7.10.17.lib.ii.cap.20
Platonis lib.ii.cap.19
Pomponii Melæ lib.i.cap.3
Pontii Diaconi lib.i.cap.16
Procopii lib.i.cap.1
Prudentii lib.i.cap.5.10.lib.ii.cap.14
Ptolemæi lib.ii.cap.1
Q.Veroli lib.i.cap.3
Quintiliani lib.ii.cap.17.19
Renati Frigeridi lib.ii.cap.5
Rutilii Claudii Numatiani lib.ii.cap.3
Saluiani epiſcopi Maſsillien.lib.i.cap.4
Senecæ lib.i.cap.11.lib.ii.cap.11.20
Q.Sereni lib.i.cap.19
Seruii Mauri.lib.i.cap.5.15.16.lib.ii.cap.8.12. 19.20
Sex.Pompeii lib.i.cap.2.5.6.8.10.14.18.19 lib.ii.cap.8.14
Siculi Flacci lib.ii.cap.14
Sidonii Apollinaris lib.i.cap.3.14,lib.ii.cap.1. 3.5.6.12.18
Sigeberti lib.i.cap.14.lib.ii.cap.1
Simmachi lib.i.cap.15.17

Solini lib.i.cap.6.19
Spartiani lib.i.cap.2.4.14.lib.ii.cap.9
Stephani lib.ii.cap.20
Suetonii Trāquilli lib.i.cap.17.lib.ii.cap.2.3.
7.16.17.18.20
Suidæ lib.ii.cap.20.18
Sulpitij Seueri.lil.ij.cap.3.18
COrn.Taciti lib.i.cap.3,5.lib.ii.cap.6.7
Terentii lib.i.cap.10.lib.ii.cap.20
Tertulliani lib.i.cap.4.7.9.11.17. lib.ii. cap.2.
3.8.14.17
Theodori Balſamonis lib.i.cap.1
Theodoriti lib.ii.cap.16
Theodoſiani Codicis lib.i.cap.2.16.li.ii.c.19
VAlerii Maximi lib.i.cap.15.18
Valerii Probi. lib.i.cap.18
Varronis lib.i.cap.9.12.18.lib.ii.cap.8.10
Velleii Paterculi lib.ii.cap.17
Vindiciani lib.i.cap.19
Virgilii lib.i.cap.5.9.lib.ii.cap.14
Vitruuii lib.ii.cap.13.18
Vlpiani lib.i.cap.3.4.lib.ii.cap.11.15.17
Fl.Vopiſci lib.i.cap.2.lib.ii.cap.12
ZOnaræ lib.ii.cap.6.9.16.17

PETRI PITHEI
ADVERSARIORVM
SVBSECIVORVM
LIBER PRIMVS.

Ad Antonium Loiſelum. I. C.

Filius per arma, per capillos, per ſacras preces.

CAP. I.

NOn ſtatui miſcellis iſtis quicquam inſerere quòd ad ius noſtrum propriè pertineat. Volo enim hæc eſſe eorum quæ de iure molimur parerga quædam & veluti ſubſeciua. Itaque de adoptione ea hîc à me annotabũtur, quæ Iuriſcõſulti noſtri ex iure Quiritium ſua eſſe nunquam dicturi ſunt. Igitur vt formularij olim Romani per Populum & Prætorem adoptabant, ita cæteræ ferè bellicoſæ gentes per arma filios ſibi adſciſcebant, id eſt, armorum traditione: cuius adoptionis formula extat apud Caſsiodorum lib. iiij. Variar. qua Theodoricus Herulorũ Regẽ filium ſibi procreat. Sic Iuſtinianus noſter Athalarici patrem adoptauit, vt hic ipſe apud eũdem

auctorẽ gloriatur lib. viij. Deſiderio (inquit)
„ concordiæ factus eſt per arma filius, quia vnis
nobis penè videbatur æquæuus. Vbi pro, vnis
nobis, libri ſcripti habent nimis vobis: vnde
coniicio ſcribendum qui, annis vobis. Idem
auctor lib. viij. in mandatis Athalarici ad To-
lum ſiue Tholuit Patricium (ſic enim & in al-
„ tero eiuſdem libri loco appellatur) Extat, in-
„ quit, gentis Gothicę huius probitatis exẽplũ.
„ Genſimundus ille toto orbe cantabilis, ſolũ
„ armis filius factus, tanta ſe Amalis deuotione
„ coniunxit, vt hæredibus eorum curioſum ex-
„ hibuerit famulatũ. Ex quo illud animaduer-
ſione dignum eſt, hoc genus adoptionis per
arma nõ perinde ius ſui, id eſt, hęredis & ſuc-
ceſſoris tribuiſſe atque eam quę legibus Ro-
manis facta eſſet. Qua de re elegans profectò
locus eſt apud Procopium lib. j. Belli Perſici,
cuius quia longiorem hiſtoriam ſuis verbis
non licet hîc adſcribere, ſenſum tantũ, quàm
potero, breuiſsimè referam. Cabades Perſarũ
rex, belli quod cum Romanis gerebat anſas
præcidere cupiẽs, eadémque opera, Coſroem
ex ſorore filiũ regni ſucceſſorem relinquere,
excluſo Cabade maiore natu, quem naturæ
ius cęteris pręferebat, pacem Iuſtino Impera-
tori ita obtulit, ſi Coſroem adoptaret. Acce-
pit ſtatim conditionem Iuſtinus, paratúſque
erat Coſroem Romano ritu adoptare, & ado-
ptionis inſtrumenta conſcribere, ni Proclus

Quęſtor prohibuiſſet, dictitans, hoc modo & Iuſtinum Romanorũ vltimum Imperatorem, & Iuſtinianum, quem is antea nobiliſsimum deſignatum principem regníque ſui ſucceſſo rem creauit (ſic legendum apud Marcellinũ Comitem) in Imperij ſuccesſione magno ſibi impedimento futurum: quandoquidem hac adoptione, legibus Romanis, Coſroes ad imperium, vt filius, vocaretur. Ex conſilio igitur Procli, Cabadis legatis tandem reſpõſum eſt, Paratum quidem Iuſtinũ Coſroem adoptare, & filium ſibi facere, ſed ita vt barbarũ decet, id eſt, per arma, non per literarum inſtrumenta. Quo reſponſo, Perſę eluſos ſe eſſe ſentientes (hoc enim genere adoptionis Coſroes Iuſtino ita adnaſci non poterat, vt ei in imperio ſuus hęres ſuccederet, quod Cabadis votum & conſilium erat) re infecta, diſceſſerunt. Fiebat etiam adoptio per comam, ſiue per capillos. Paulus Monachus lib. vj. de geſtis Langobardorum, Circa hæc tempora, Karolus « Francorum princeps, filium ſuum ad Liuth- « prandum miſit, vt eius iuxta morem capillum « ſuſciperet: Qui eius cæſariem incidens, ei pa- « ter effectus eſt. Memini etiam Theodorum Balſamonem alicubi notare, ex No. xxiiij. Leonis Philoſophi, per ſacras preces, ſiue per Baptiſmum adoptionem fieri: Idque etiam probare ex libello quodam & reſcripto Imperatoris ex Chartophilacio, vt ipſe ait, ſum-

pto. Quod apud nos iampridem in vſu eſt. Sed quæ huius adoptionis vis fuerit, alterius erit loci exponere. Sane priſcis Eccleſiæ ritibus, vt iam adulta ætate tingendi, quamuis ipſimet in ſacramenti verba reſponderent (vt Tertullianus loquitur,) primùm tamen à prępoſitis eccleſiæ offerebantur. Ita à parentibus ipſis paruulos offerri ſolitos, Auguſtinus epiſtola quadam ad Bonifacium oſtendit, ex qua hæc tantum ſubiungam. Sicut (inquit) ſcribens dicis, vt ſicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum identidem iuſtificentur: cùm videas multos non offerri à parentibus, ſed etiam à quibuſlibet extraneis, ſicut à dominis ſeruuli aliquãdo offeruntur, & nonnunquam mortuis parentibus ſuis, paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiuſmodi miſericordiam præbere potuerunt: aliquando etiam, quos crudeliter parentes expoſuerunt nutriendos, à quibuſlibet, nonnunquam à ſacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptiſmũ, quæ certè filios non habuerunt vllos, nec habere diſponunt.

Furtum per lancem & licium conceptum. Cap. II.

A. Gellio pridem reſpõſum eſt à quodam, quem ego Apiciani potius, quàm Appiani iuris peritum fuiſſe crediderim, furtorum

quæſtiones cũ lance & licio euanuiſſe. Quæſitum tamen eſt poſtea anxiè & diligenter à multis, quodnam fuiſſet hoc genus furti, per lancẽ & licium concepti. Qua de re, non tantùm à noſtris Iureconſultis, ſed etiã à Grãmaticis frequens Senatus indictus eſt. Quamobrẽ & hîc à me locus in ſubſeciuum refertur. Primùm, rectè quidam cenſuerunt, furtũ per lancem & & licium non fieri, ſed perquiri & cõcipi. Deinde verò ſeruos & miniſtros publicos licio tranſuerſo præcingi ſolitos cùm Magiſtratibus præminiſtrarẽt, aut quid aliud publica, id eſt, Magiſtratuũ auctoritate facerent. Quòd ex Tirone Tullio Gelli⁹ notat lib. xij. cap. iij. Apud quem tamen lino, & linum, pro limo & limũ perperã & corruptè legitur. Limum enim antiquo verbo trãſuerſum ſignificat, vnde & limites & limũ cinctum dixerunt, quod purpurã tranſuerſam haberet, vt ab Iſidoro & auctorib. limitum ſcriptum eſt. Itémque obliquitatum curatores Deos limos vt Arnobius teſtatur lib. iij. Limes etiã pro tranſuerſo dixit Ammianus Marcell. lib. xvij. eo loco: limibúſque oculis eos ad vſque me- « tum contuens mortis. Sic habet calamo deſcriptus liber, excuſi limis. Idem lib. xvij. Aut « climatiæ qui limes ruentes & obliqui. Sed vt « ad rem redeamus, de lance quid iidem ſenſerint non modo refellere piget, ſed etiam pudet referre. Nam quòd ſiue ex Sexto Põpeio,

ſeu potius ex Paulo adferri ſolet, etſi auctoritate aliqua fortaſſe nititur, exemplo tamen & ratione caret. Itaq;, de hac re ego neque manũ porrigã, neq; pedibus in ſententias iturus ſum, neque verbo conſenſurus, ſed ex tabella potius, quando adſum, loco & modò ſententiam dicam: furtum quod à lictore aut viatore licio præcincto, ipſo aut alio quolibet comite indicium & fidem in lance præferente, ſiue hæc priuata fuerit, ſiue publica (quòd magis credo) ex auctoritate magiſtratus perquiſitũ inuentúmque eſt, per lancem & licium conceptum videri. Indicij autem nomine hîc intelligo καὶ τὰ μήνυθρα, καὶ τὰ ἕυρετρα. Hoc quia ſpecie & ratione non caret, exemplis potius & auctoritate firmãdum eſt. Petronius Arbiter in Satyrico. Dum Eumolpus cum Bar-
» gate in ſecreto loquitur, intrat ſtabulum Præ-
» co cum ſeruo publico aliáque ſanè non mo-
» dica frequentia, facémque fumoſam magis
» quàm lucidam quaſſans, hæc proclamauit:
» Puer in balneo paulò antè aberrauit, anno-
» rum circiter xvj. criſpus, mollis, formoſus,
» nomine Gyton: ſi quis eũ reddere aut com-
» monſtrare voluerit, accipiet nummos mille.
» Nec longè à præcone Aſcyltos ſtabat, ami-
» ctus diſcoloria veſte, atque in lance indicium
» & fidem præferebat. Imperaui Gytoni vt ra-
» ptim grabbatum ſubiret, annecterétque pedes
» & manus inſtitis, quibus ſpondam culcita fe-

rebat. Et paulò pòſt. Interim Aſcyltos vt “
pererrauit omnes cum viatore cellas, venit ad “
meam: Et hoc quidem pleniorẽ ſpem conce- “
pit, quòd diligẽti’ oppeſſulatas inuenit fores. “
Publicus verò ſeruus inſertans commiſſuris “
ſecures, clauſtrorũ firmitatem laxauit. Ego ad “
genua Aſcylti procubui, & per memoriam a- “
micitiæ, pérque ſocietatem miſeriarum, petij, “
vt ſaltem oſtenderet fratrem: immo, vt fidem “
haberent fictæ preces, Scio te, inquam, Aſcyl- “
te, ad occidendum me veniſſe. Quò enim ſe- “
cures attuliſti? Itaque ſatia iracundiam tuam, “
Præbeo ecce ceruicem, funde ſanguinẽ quem “
ſub prętextu quęſtionis petiiſti. Amolitur A- “
ſcyltos inuidiam, &, Se verò nihil aliud quam “
fugitiuum ſuum dixit quærere, mortem nec “
hominis cõcupiiſſe, nec ſupplicis, vtique eius, “
quem poſt fatalem rixam habuit cariſsimum. “
At non ſeruus publicus tam languidè agit, ſed “
raptam cauponis hyrundinem ſubter lectum “
mittit, omniáque etiam foramina parietum “
ſcrutatur. Adſcripſi locum paulò latius, tum “
quòd totam quæſtionis rationẽ accuratè exprimit, tum quòd in vulgatis Petronij exemplaribus non extat. Extat autem, cum magna eius Satyrici parte, in meo libro, cuius ego procacitatem, petulantiã, & laſciuiam priuato carcere ita damnaui, vt tamen eius copiam viris optimis & amiciſsimis non negem, quam non ita dudum feci Errico Meſmio, V. C. & bo-

narum artium (verè dixerim) patrono. Cæterùm, diſcoloriam veſtem dixit Arbiter, vt iuris noſtri auctores verſicolariam, Vopiſcus coloriam. Diſcoloria autẽ veſte vti ſolitos, qui quid publica auctoritate facerent, teſtimonio ſunt Imperatoriꝫ conſtitutionis verba, in Codice Theodoſiano, ſub titulo, De habitu quo intra vrbem vti oportet: quæ quia ad rem maximè pertinẽt, à me hîc referentur. Officiales (inquiunt) per quos ſtatuta complentur, ac neceſſaria peraguntur, vti quidem penulis iubemus, verùm interiorem veſtem admodum cingulis obſeruare: ita tamen vt diſcoloribus quoque palliis pectora contegentes, conditionis ſuę neceſsitatẽ ex huiuſmodi agnitione teſtentur. Id vero hodiéque in vſu eſſe nõ deſiit. Sed ne quis nouam quandam rei amiſſæ perquirendæ & concipiendæ rationem à Petronio deſcriptam putet, ſubiiciam & Euthychi apud Plautum in Mercatore verba,

Certùm eſt (inquit) præconium iubere iam quantum eſt conducier,
Qui illam inueſtigent, qui inueniãt: Poſt, ad Pretorẽ illico
Ibo, orabo, vt conquiſitores det mihi in vicis omnibus.

Extat & aliud præconij huius exẽplum apud Apuleium lib. vj. Aſini aurei, ſane quàm elegans, in quo mirum videri non debet, Mercurium prædicatorẽ in lance indicium & fidem non præferre, qui indicaturæ (vt idem loquitur) nomine, nihil præter Veneris ſuauia &

linguæ adpulſum polliceatur. Curius Fortunatianus iuriſconſul. lib. j. Rhetoricæ ſcholaſticæ. Cuius ſeruus fugerat, libello propoſito, " vel per præconem nuncians, dixit daturum ſe " denarios mille ei, qui ad ſe ſeruũ perduxiſſet. " Addam hîc illud, quando liciorum mentio incidit, videri mihi apud Spartianũ in Quieto pro (delitiis) duobus diſtinctíſque verbis, De liciis, ſcribendum. Locus hic eſt. Alexandrum " Magnum Macedonem viri in auro & argẽto, " mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & in an- " nulis, & in omni ornamentorũ genere exſcul- " ptum ſemper habuerunt, eoúſque, vt tunicæ, " & limbi, & penulæ matronales in familia eius " hodiéque ſint, quæ Alexandri effigiem liciis " variantibus monſtrent. Significat tunicas & " penulas multitias & polimitas, id eſt, verſicoloribus liciis textas, quod genus Alexandriam inſtituiſſe Plinus ſcribit.

Belenus, & de Diis veterum Gallorum.

Cap. III.

GAllorum veterum Dij, hi maximè ſuis nominibus ex Lucano & Lactantio referuntur: Teutates, quẽ plerique omnes Mercurium credunt, cui humanis hoſtiis litari ſolitum Cæſar & Tertullianus auctores ſunt; quémq; auctor Queroli, quiſquis ille fuerit, Gallus,

Anubim latrantem deum appellare videtur: Heſus, ſiue Heus, quem Martem hunc & hæredem inſtituere conceſſum, Vlpianus noſter ſcribit, Taranis, ſiue Taramis, quem Iouem. Herculem etiam Ogmij nomine coluiſſe, auctor eſt Lucianus in Hercule Gallico: Sed & eũ qui à Græcis Sarrapis, à Latinis Serapis dicitur, hoc quoque nomine à Gallis cultũ, non immerito quis colligat ex Ammiani Marcellini verbis, quę ex libro ipſi⁹ xvi. adiectur⁹ ſum.

„ Latus dextrum Serapio agebat, etiam tum a-
„ dultæ lanuginis iuuenis, efficacia præcurrens
„ ætatem, Mederici fratris Chonodomarij (hoc
„ fuit tum Alemãnorum regis nomen) filius, ho
„ minis quoad vixerat perfidiſsimi: Ideo ſic ap-
„ pellatus, quòd pater eiusdiu obſidatus pigno-
„ re tentus in Gallis, doctúſque Gręca quædam
„ arcana, hunc filium ſuum, Agarenichum ge-
„ nitali vocabulo dictitatũ, ad Serapionis tranſtulit nomen.

Hæc myſteria ſiue à Græcis & Ægyptiis Galli didicerint, vt Marcellinus ſignificat, ſeu potius ipſi Græcos cum philoſophia ſua docuerint, conſtat ſanè Cæſaris teſtimonio, Gallos ſe omnes à Dite patre, id eſt, Serapi ſiue Plutone prognatos prædicaſſe. Idem quoque tradit Gallos poſt Mercurium, Apollinem colere. Sed quo nomine hactenus proditum non eſt. Et verò planè ignotum id eſſet, niſi ex Auſonij verſibus opera Lud. Miræi viri optimi (qui nuper magno literarũ

incommodo deceſsit) ex Charpini libro editis, didiciſſemus, Apollinem Belenum (credo, à iactu ſiue emiſsione radiorũ, vnde Apollinis quoque nomen deductum Plato ſcripſit) eius verò miniſtros ſiue ſacerdotes Pateras Gallis dictos. Auſonij locos ex Burdegalẽſium profeſſorum monimentis adſcribam, & quia obſcuri corruptíque ſunt, tẽtabo ſi quid poſſum iis lucis adferre. Ac primùm de Attio Patera Rhetore, Delphidij Tyronis patre, Phœbicij filio, & Phœbicij alterius fratre (hoc enim ad eius quoque loci intellectum pertinet) ſic ſcribit,

Tuba Gocaſsi ſtirpe Druidarum ſatus, "
Si fama non fallit fidem, "
Beleni ſacratum ducis è templo genus, "
Et inde vobis nomina: "
Tibi, Patera (ſic miniſtros nuncupant "
Appollinaris myſtici) "
Fratri patríque nomen, à Phæbo datum, "
Natóque de Delphis tuo. "

Idem de Phœbicio Attij Pateræ patre,

Nec reticebo ſenem "
Nomine Phœbicium, "
Qui Beleni æditmus, "
Stirpe ſatus Druidum "
Gentis Aremoricæ, "
Burdigalæ cathedram "
Nati opera obtinuit. "

Mirabitur fortaſſe aliquis, qui modò librum Auſonij viderit, me hos vno ordine verſus recitare, inter quos tum multi in impreſſo interiecti ſunt. Sed is profectò ſciat, iam pro cer

to habere me, in eo Auſonij epigrammate, itémque in aliis quibuſdam, quæ breuiori huiuſmodi carmine concepta ſunt, vt hinc inde duabus vel pluribus (vt vocant) columellis in vna facie ſcribi potuerint, multos eſſe verſus nõ ſuo ordine deſcriptos, quoſdam etiam deeſſe videri. Non immorabor exemplis, præſertim cùm difficillimum ſit, átque etiam interdum planè ἀδύνατον, ſine veteris exemplaris, quo caremus, beneficio peruerſa ſuo loco reponere. Hoc lectorem monuiſſe ſatis ſit, & his de Phœbicio verſibus à me ſuo ordini (vt opto ſperóque) reſtitutis, ad paria tentanda prouocaſſe. Sed quid eſt quòd ait Auſonius,

Tuba Gocaſsi ſtirpe?

Hoc, manifeſto, opinor, errore corruptum eſt, & emendatione indiget. Cùm autem Phœbiciũ Pateræ ipſius de quo loquitur patrẽ, ſtirpe Druidum gentis Aremoricæ ſatum dicat, ſuſpicor hunc verſum non infœliciter ita reſtitui poſſe ſi legamus,

Tu Baiocaſsi ſtirpe Druidarum ſatus.

Baiocaſſes & Baiocaſsimi qui dicantur hodie vel ſola nominis exauditione notum eſſe poteſt, eóſque Aremoricæ gentis eſſe nemo pudens inficias iuerit, cùm in vltimis Galliæ finibus poſiti, Occeanum penè digito attingãt. Et vt Baiocaſſes eos eſſe concedamus, qui apud Cæſarem Velocaſſes, Veliocaſſes, & Bel-

locaſſes in veteribus libris ſcribuntur, quamuis ab eo lib. vij. Belli Gallici, ab Aremoricis ciuitatibus ſeparari videantur: Cùm tamen & de delectibus tantùm Gallorũ loquatur, quorum ita faciendorum varia ratio eſſe potuit, & res ipſa ita Baiocaſſes, Gallorum conſuetudine ab eodem Cæſare tradita, Aremoricos eſſe clamet, non ita facilè muto ſententiam. Si quis autem Baiocaſsium & Baiocaſsinorum appellationem recentiorem eſſe exiſtimet, quàm vt Auſonij ſæculo conueniat, monendus eſt, non ſolùm Sidonium Baiocaſſina prædia dixiſſe, ſed & in aliis eius ætatis ſcriptoribus hoc nomen reperiri. Enimuero ex his Auſonij locis illud etiam annotandum cenſeo, fuiſſe in Gallia diuerſas Druidarum familias, eorúmque nomen etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus celebre admodum fuiſſe. Sane Plinius ſcribit, Tiberij principatum ſuſtuliſſe Druidas Gallorum & id genus vatum medicorúmque: Suetonius etiam, Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus ſub Auguſto interdictam penitùs Claudium aboleuiſſe auctor eſt. Sed vt voluerint, certè omnino ſuſtuliſſe non potuerunt. Suſtulerunt quidem fortaſſe ritum illum ſacrorũ deteſtabilẽ à Britannis acceptũ, quo Mercurio humanis litabãt hoſtiis (quòd & eundem ipſum Tiberium in proconſulatu ſuo penes Africam in Saturni ſacris feciſſe

Tertullianus ſcribit) ita tamen vt feritatis abolitæ manerent apud Gallos veſtigia, in eo, quòd deuotam hoſtiam, id eſt hominem, altaribus admotam delitabant, vt Mela auctor eſt: Druidas verò penitus non ſuſtulerunt: Nam & eorum ſub Vitellio Tacitus meminit lib.xx. & Auſonij loci ita eſſe cõfirmãt. Sed & ad Druidas neſcio quomodo multa pertinent ex Pſeudoplauti Aulularia, quæ nuper P. Danielis viri doctiſsimi & diligentiſs. opera edita eſt. Meminit & Gallicanarũ Druidũ Lampridius in Alexãdro, meminit & Vopiſcus in Aureliani & in Taciti vita, à quibus eas quoque religiosè conſultas ſcribit, & ab hoc quidem apud Tũgros. Atqui Germanos Druidas non habuiſſe Cæſar teſtatur: ſed habuerunt tamen non omnino diſsimiles à Gallicanis Druidibus Velledas & Aurinias, quarum Cor. Tacitus meminit. Præter Druidas fuerunt etiam in Gallia Bardi, fuerunt & Vates ſiue Vaties, ita Strabo lib. iiij. appellare videtur eos qui à Marcellino libro xv. Eubages, à Diogene Laertio σεμνόθεοι, à Diodoro Saronidæ dicũtur. Ex quo genere philoſophorum fuiſſe veriſimile eſt eum quẽ Lucianus in Hercule Gallico picturæ ſibi ænigma explicaſſe fingit. Non deſunt tamen qui hęc religioſius diſtinguãt, quorum ego auctoribus tam propensé credulus eſſe non poſſum.

De Beleno Tertulliani locus emendatus, itémque de Cælesti & de Beſſa. Cap. IIII.

CVm hos Auſonij locos iterum atque iterum relegerem, memoria repetēti, ecquid de Beleno ab aliis auctoribus proditum eſſet, venit tandem in mentem Tertulliani locus, in quo variarum gentium deos enumerās, Tibilenem etiam Norici deum facit: vbi Beleni nomen corruptū ſtatim ſuſpicatus ſum. Et quia impreſſi libri copia tum nō fuit, veterem manuſcriptum conſului quem tum fortè ad manum habere contigit, in quo, bono euentu, non iam coniecturam meam, ſed veram & genuinam Tertulliani ſcripturā reperi. Adſcribam locum integrū ex Apologetico, vti quidem in veteri libro exaratus eſt. « Vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati ſuus deus eſt, vt « Syriæ Adſtartes, vt Arabiæ Dyſares, vt Nori- « ci Belenus, vt Africæ Cœleſtis, vt Mauritaniæ « Reguli ſui. Romanas, vt opinor, prouincias « edidi, nec tamen Romanos deos earum, quia « Romæ non magis coluntur, quàm qui per « ipſam quoque Italiam municipali conſecra- « tione cenſentur: Caſianenſium Deluentinus, « Narnenſium Viſidiarius, Æſculanorum An- « charia, Volciniēſium Nortia, Ocriculanorum « Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliſcorum in « honore patris, Curris, & accepit cognomen « Iuno. Ex quo apparet Belenum deum in Aremorico & in Norico cultū. Niſi fortè quis

ad hæc quoq; ſuſpicetur, apud Tertullianum Armorici pro Norici reponendum: Sic enim tum Aremoricum neutro etiam genere appel labant. Sed hanc ego, ſiue coniecturam, ſiue diuinationem, temerè probare non auſim, vt illud omni aſſeueratione contendo, Africæ Cœleſtem in veteri libro rectiſsimè ſcriptum non Cœleſtum: quomodo & in Vlpiani fragmentis, & apud Capitolinum reponẽdum cen ſeo. Cœleſtis non eſt, vt opinor, Saturni pater Cælius, aut qui ab eodem Tertulliano Afrorum Saturnus dicitur, ſed Cœleſtis dea.
„ Spartianus in xxx. Tyrannis. Afri Celſum im-
„ peratorem appellarũt peplo deæ Cœleſtis or-
„ natũ. Am. Marcell. lib. xxij. Aſclepiades phi-
„ loſophus cum viſendi gratia Iuliani peregrè
„ ad id ſuburbanum veniſſet, deæ Cœleſtis ar-
„ genteum breue figmentum quocunque ibat,
„ ſecum ſolitus efferre, ante pedes ſtatuit ſimu-
„ lachri ſublime, accencíſque cereis ex vſu ceſ-
„ ſit. Philaſtrius Brixienſis in catalogo hæreſ.
„ Alia (inquit) hęreſis in Iudæis quæ Reginam,
„ quam & Fortunam cœli nuncupant, quam &
„ Cœleſtem vocãt in Africa. Idem ipſe Tertul-
„ lianus in eodem Apolegetico. Iſta ipſa virgo
„ Cœleſtis pluuiarum pollicitatrix, iſte ipſe Æ-
„ ſculapius medicinarum demonſtrator, alia de
„ morituris Socordio, & Denatio, & Aſclepio-
„ doto ſubminiſtratur, niſi ſe dęmones confeſsi
„ fuerint Chriſtiano mentiri non audentes, ibi-
dem

dem illius Chriſtiani procaciſsimi ſanguinem "
fundite. Hæc eſt manuſcripti codicis lectio.
Sanè & in vetuſtiſsimo & optimo exemplari librorum Saluiani de gubernatione Dei ad S. Salonium Epiſcopum (ex quo, domino faciente, auctorem optimũ multò integriorem quàm nunc eſt, aliquando fortaſſe editurus ſum) quibus locis Cœleſtis mentionem facit, cõſtanter vbique ſcriptum eſt, Cœleſtem illam, non illum. Ad Cœleſtem etiam reſpexiſſe videtur Apuleius lib. iiij. Floridorum his verbis: Carthago prouinciæ noſtræ magiſtra "
venerabilis, Carthago Africæ muſa Cœleſtis. "
Vereor etiam ne apud Tertullianum in libro de virginib. velandis, Cereri Africanæ ſcriptũ ſit pro Cœleſti, vt & in exhortatione ad caſtitatem. Sed nihil temere affirmo. Habeat verò Si deo Si deæ hanc hoſtiam. Et quia veternoſis iſtis dæmoniis neſcio quo malo hodie operari contigit, libemus etiam aliquid Beſæ deo, cuius Amm. Marceliinus ſic meminit lib. xix. Oppidum eſt Abydũ in Thebaidis parte "
ſitum extrema. Hic Beſæ dei localiter appel- "
lati, oraculum quondam futura pandebat. "
Huius dei aut oraculi nomen, alibi legiſſe me nunc non nemini. Sed nec illud quidem ſatis percipio quòd ait, Beſam deum localiter appellatum: niſi fortè intelligamus ab incolis loci ſic appellari, & hoc nouum loquendi genus in Græculo milite feramus. Quid autem

„ ſi legamus potius hîc Beſſæ dei à loco (vel „ à luco) taliter appellati? Strabo de Abydo Thebaidis loquens, ait ibi foſſam eſſe, & circa eam Ægiptiarum achantorum lucum Apollini ſacrum. A foſſa illa & luco, Beſſa deus appellari potuit, vt Beſſam campum à ſylua vicina dictum idem ſcribit lib. ix. vbi ait gemino ſſ. ſcribendum, vt à Beſa Attici agri tribu diſtingatur. Sed hæ coniecturæ tantùm ſunt hominis otio abutentis, quæ ἐποχὴν & ἀπορίαν ferunt.

Marcellini & Taciti de Druidibus loci. Cap. V.

NON abſre forſitan ſuſpicetur aliquis Druidarum nomen reponendum eſſe apud Amm. Marcellinum lib. xv. Vbi vulgò ſic legitur, Draſidæ memorant reuera fuiſſe „ populi partem indigenam. Nec id ſanè omnino alienum eſt ab eo quòd Cęſar ſcribit, Gallos ſe à Dite patre prognatos prædicare, idq́; à Druidibus proditum dicere. Verùm, vt hoc nomen eo loco redintegrari vltro patiar, apud Cor. Tacitum lib. xij. facilè hoc idem recipi non ſinam. Ecquãdo enim tandẽ Druides Romæ recepti & eo honore habiti ſunt, vt iis carpento Capitolium ingredi permitteretur? cùm & ſub Auguſto Druidarum religio ciuibus penitùs interdicta ſit, vt Sueto. in Claudio ſcribit, & à Tiberio Claudio-

que etiam apud Gallos penè abolita ? Sed locum ipſum Taciti adſcribam, Suum quo- " que faſtigium Agrippina tollere altius, car- " pento Capitolium ingredi: Qui mos ſacer- " dotibus & ſacris Druidibus antiquitus con- " ceſſus, venerationem augebat fœminæ. Vul- " nus quidem, vt videtur, non recens dete- ctum eſt, in quo ſanando, vt verum fatear, mihi ipſi planè ſatisfacere non poſſum. Equi- dem Sex. Pompeium ſcribere ſcio, Pilentis & carpentis per vrbem vehi matronis con- ceſſum eſſe, quod cum aurum deeſſet ex voto quod Camillus vouerat Apollini del- phico, contulerunt. Id Liuius quoque lib. v. ſic expreſsit. Honorem ob eam munifi- " centiam ferunt matronis habitum vt pilen- " to ad ſacra ludóſque, carpentis feſto pro- " feſtóque vterentur. Virgilius lib. viij. Æneid. " de Pilentis ſic canit. "

Caſta ducebant ſacra per vrbem "
Pilentis matres in mollibus.

vbi Seruius, Pilenta (inquit) ſunt vehicula, Sicut nunc Baſternas videmus. Erant autẽ tunc veneti coloris, non vt nunc, ruſſati: quibus niſi caſtæ matronæ vti non poterant. Quòd & ab Iſidoro refertur lib. xx. Ethimolog. vbi & carpentum ab Horatio petoritum (non prætorium) appellatum ſcribit. Ex quibus vt id quoq; obiter admoneam, interpretationem accipit Hieronimi ad Euſtochiũ

locus, in quo vir doctiſsimus humano vitio lapſus eſt Baſtarnas pro baſternis ob neſcio
„ quomodo exaudiēs. Pręcedit (inquit Hiero.)
„ caueas baſternarum ordo ſemiuirorum. De
„ matronis autē loquitur de quib. Amm. quo-
„ que Marcellinus lib. xiiij. Eo comitatis (ait) matronæ complures opertis capitibus & ba-
„ ſternis per latera ciuitatis cuncta diſcurrunt,
„ vtque præliorum periti rectores primò cater-
„ uas denſas opponunt. Baſternæ etiam nomen eodem penitus ſenſu vſurpant Lampridius in Heliogabalo, & Gregorius Turon. in libris hiſtor. Sed his crudeſcit potius vulnus quàm ſanatur. Nam vt carpenti ius matronæ habuerint, quid habet earum nomē commune cum ſacris Druidibus? Deinde carpento eas Capitolium ingreſſas quî conſtat? Et verò vt conſtet, quanam tandem prærogatiua Agrippinæ venerationem id auxit, quòd cum cæteris honeſtioribus matronis commune habuit? Itaque quando huic ſanando nihil nunc quidem adhibere poſſumus, præſtat deſperatum nobis locum in medio deponere, quàm ei præmaturè manus violentas inferre. Sed quid ſi tamen interim vulnus deligemus, aut etiam ἀνοδυνὸν prius adhibeamus, & quòd medicos paſsim in dubiis deſperatíſque morbis facere videmus, in hoc quoque adblandientibus medicamentis, id eſt, fuco & (vt ipſi vocant) palliatione vtamur? Legamúſque, interim

dum quid aptius occurret, Qui mos ſacerdo- "
tibus & ſacris virginibus antiquitus conceſ- "
ſus. Artemidorus lib. j. de Somm. interpret. "
φημὶ δὲ ἀγαθὸν ἐλευθέραις γυναιξὶν ἅμα καὶ παρθένοις πλουσίαις, τὸ διὰ πόλεως ἅρμα ἐλαμήνειν. ἀγαθὰς γὰρ ἱεροσύνας αὐταῖς περιποιεῖται loquitur autem de carpento & petorito, id eſt, περὶ ἅρματος τετρώρου. Hoc verò Agrippinæ venerationem auxiſſe intelligemus, quòd quamuis honeſtiores etiam matronæ carpentis per vrbem veherentur, eis tamen carpento Capitoliũ ingredi ius non erat, quòd ſacerdotibus tantùm & ſacris virginibus conceſſum à maioribus fuit. Cuius priuilegij vt ſtatim authenticum inſtrumentum à nobis non proferatur, rationis tamen ſpecie coniectura & interpretatio noſtra non caret, qua ſępe in cœcis huiuſmodi morbis par eſt nos eſſe contentos. Diuerſum porro fuit à carpento & petorito pilentum, vtpote mollius, quo & interdum per vrbem cum ſacris vehi ſolitas Veſtales Prudentius lib. ij. In Symmach. teſtatur. Ideoque Capitolinus ſcribit Zenobiam virilis ſpiritus fœminam vehiculo carpentario vſam, raro pilento, equo ſæpius. Sed longius proceſsiſſe me ſentio quàm res poſtulabat. Verùm quid faciam? Omnis profectò ſcientia (vt ille ait) naturæ facilitate verboſa eſt.

Ver ſacrum. *Cap. VI.*

VEr ſacrum quid ſit Paulus ex Feſto ſic „ explicat. Ver ſacrum vouendi mos fuit „ Italis. Magnis enim periculis adducti vo- „ uebant quæcunque vere proximo nata eſ- „ ſent apud ſe animalia immolaturos. Sed cùm „ crudele videretur pueros ac puellas inno- „ centes interficere, perductos in adultam æta- „ tem velabant, atque ita extra fines ſuos exi- „ gebant. Idem Sex. Pompeius in Mamer- „ tin. vt ſi vellent (inquit) eo malo liberari „ ver ſacrum vouerent, id eſt, quæcunque ve- „ re proximo nata eſſent immolaturos. Quem locum librariorum incuria in Auguſtiniana editione corruptum arbitror. In aliis verò auctorum locis quos adſcripturus ſum, igno- rantia & audacia potius quàm oſcitantia. Apud Iuſtinum lib. xxiiij. Galli abundanti „ multitudine dum eos terræ non caperent „ quæ genuerant, trecenta hominum milia ad „ ſedes nouas quærendas veluti peregrinatum „ miſerunt. Legendum auctoritate veterum librorum, velut Ver ſacrum miſerunt. In collectaneis rerum memorabilium Iulij So- lini vbi ſcriptum eſt, Catillus Amphiarai fi- „ lius poſt prodigialem patris apud Thebas „ interitum, Oeclei aui iuſſu cum omni fœtu „ vel ſacro miſſus tres, liberos in Italia pro- „ creauit. Emendandum cum omni fœtu ver ſacrum miſſus. Quòd & veterum librorum

& excuſsi cuiuſdam fide mihi compertum eſt, & miror à doctiſsimo & diligentiſsimo homine prætermiſſum, cui ſtudioſi omnes vel vnius Solini nomine plurimùm meritò debent. Sed nemo vnquam iure reprehenſus qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam. Porro autem veris ſacri vouendi, faciendíque ritus peti poſſunt ex Liuio lib. xxij. & xxxiiij. hiſt. A. V C. cuius huc verba transferre nihil opus eſſe duxi. Inde vero ab antiquis vernarum nomen pro conuitio & maledicto habitum Nonius ſcribit, quòd eos etiam Bernas appellarent qui vere ſacro nati eſſent tanquam deuotos, ſacróſque & deteſtabiles. Quòd ſi verũ eſt, vt certe veri ſpeciem habet, ſimul etiam quòd de eadem voce Feſtus ſcripſit, ſubruitur planè quorundam grammaticorũ traditio quæ non ſolum Bedã in libello de orthographia, ſed & Martyrium Adamantium auctorem habet, ex cuius tractatu de V. & B. hęc Caſsiodorus excerpſit, quę ex veteri Danielis noſtri quamlibet hac in parte corrupto peruerſóq; exemplari adſcripturus ſum, ſed vti ea tãdem ex ingenio reſtituenda putaui. Berna (inquit) licet " ego inuenerim per V. ſcriptum, tamen Men- " nam in luſtris memorię audiui, Mennonium " hominẽ, omnis facũdiæ iudicẽ, ſe dicẽtem de " hoc, reprehenſum à Romano quodam diſer- " tiſsimo, quòd per hanc enuntiaret literam. "

„ Nos quoque notamus,ac temptamus rationẽ
„ reddere quaſi diuerſitatis cauſa. Si enim Ber-
„ na domi genitus ſignificet,id eſt οἰκογενὴς,com
„ mune eſt duum generum ſecundum veteres,
„ Trium verò ſecundum meam ſententiam, &
„ per, B, mutam ſcribitur: Si verò temporale
„ quiddam denunciet, erit mobile. Quare?
„ Namque vernus,verna, vernum fit, vt ſi quis
„ dicat vernus ſol, verna hirũdo,vernum tem-
„ pus, &,V, ſicut primitiuum eius in ſcriptura
„ tenebit. His ita ſe habentibꝰ,poſſumus etiam
„ intelligere Bernam dictum eſſe eum qui in bo
„ nis hereditatis natus eſt. Bona vero per,B,
„ literam ſcribi ſupradicta ratio demonſtrat.
Sed hæc cùm audio Græculorum mihi lite-
ratorum de aliena lingua ſomnia audire vi-
deor.

Adorationis ritus. Cap. VII.

ADorationis vetus hic non apud Roma-
nos modò, ſed & apud alias pleráſque
gentes ritus fuit,vt dextra manu labris admo-
ta& ad oſculũ relata,capite ſubmiſſo,corpus
dextrouorſum circũagerent.Quòd in adora-
tione ciuili(ſic enim vocare liceat dum lubet)
neſcio quomodo nuper tãdẽ à nobis ſimiolis
„ receptũ eſt. Plinius lib.xxviij.ca.ij. In adorã-
„ do,dextrã ad oſculum referimus,totũ corpus
„ circumagimus:quòd in lęuũ feciſſe Gallię re-

ligioſius credunt. Fulgetras popyſmis adorare conſenſus gentium eſt. Plautus in Curculione.

PH. Quo me vortam neſcio.

PA. Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo.

Apuleius Afer Apolog. I. Nam, vt audio percẽſentibus iis qui nouere, nulli deo ad hoc æui ſupplicauit, nullum templum frequentauit: Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere. Minutius Fœlix Octauio, Cæcilius ſimulachro Serapidis viſo (vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admouens oſculum labiis preſsit. Hieronymus Apolog. j. in Ruffinum de expoſitione illius loci, Apprehẽdite diſciplinã. Naſcu (inquit) vt verbum de verbo interpreter, καταφιλίσατε, id eſt, deoſculamini dicitur, Quod ego nolens transferre putidè, ſenſum magis ſecutus ſum vt dicerẽ, Adorate. Quia enim qui adorãt ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere (quod ſe B. Iob elementis feciſſe negat, dicens, Si vidi ſolem cùm fulgeret & Lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcõdito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima eſt & negatio contra Deum altiſsimum) Et hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem deoſculationem pro veneratione ponunt, id tranſtuli quòd ipſi intelligunt quorum verbum eſt. Bar autem &c. Sic totius ille locus

legendus diſtinguendúſque eſt. Malè autem, quantùm intelligo, quidam eum Iobi locum ita interpretantur ex cap.xxx. vt ſe tacuiſſe ſignificet. Nam ſanè aliud longè eſt manum oſculari, aliud manum ori opponere, & quaſi digito labellum compeſcere. Ad hunc quoque morem reſpiciens vetus interpres quiſquis ille eſt, locum alterum in lib. iij. ΒΑΣΙ-
„ ΛΕΙΩΝ cap.xix. ſic reddidit. Quoruum genua
„ nõ ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod
„ non adorauit eum oſculans manum. Ex quo
etiam illud Eccleſiaſtici cap.xxix. Ἑως ὅυ λάβῃ, καταφιλεῖ χεῖρας ἄυτου nõ ineptè forta ſe ita quis
„ interpretetur, Eſt qui dũ accipiat manũ deoſ-
„ culatur ſuã, id eſt, adoret eum à quo accipit.
At ego receptam eius loci interpretationem magis probem, quæ & ratione nititur & exem
„ plis non caret. Macrob. lib. j. Satur. Inuenies
„ Dominum ſpe lucri oſcula alienorum ſeruo-
„ rum manibus infigentem. Apul. Apolog. ij.
„ Põtianus ante pedes noſtros aduolutus, flens,
„ & manus noſtras oſculabundus. Sed eſto ſanè ſuum cuíque iudicium & mihi meum, dum id tandem bono modo fiat. Porro ab hac manus ad os relatione non immerito aliquis ſuſpicetur adorandi, quod ab ador Nonius deducere tentat, vt à capitis ſubmiſsione ſupplicandi verbum deductum: Quanquam & hoc genua, & illud orationem magis ſpectare videatur. Quòd autem Hieronymis adiicit,

Adoraturos capita ſubmittere,pertinet maximè ad hæc Lampridij de Alexãdro verba: Salutabatur nomine hoc, Haue Alexander, ſi "
quis caput flexiſſet, aut blandius aliquid di- "
xiſſet,vel abiiciebatur,ſi loci eius qualitas pa- "
teretur,vel ridebatur ingenti cachinno,ſi eius "
dignitas grauiori nõ poſſet ſubiacere iniuriæ, "
hoc eſt, quod idem paulò pòſt ſcribit, Alexandrum adorari ſe vetuiſſe. Non eſt illud omittendum, Adoraturos etiam plerunque ad ſolis ortum labia vibrare ſolitos, vt Tertull.loquitur,cuius hęc ſunt ex Apologetico verba.
Deinde ſuſpicio Solem nos adorare,quòd in- «
notuerit ad orientis regionem precari. Sed & «
pleriq;veſtrũ,affectatione aliquãdo & cœleſtia «
adorãdi,ad ſolis ortũ labia vibratis. Vbi in vet. «
li.ſcriptũ eſt affectatione aliquãdo & cœleſtia adoriendi. Latin⁹ Pacatus Drepani⁹ Gall⁹, in Panegy. Theod. A dicto. Nã vt diuinis rebus «
operantes,in eam cœli plagã ora conuertimus «
à qua lucis exortiũ eſt,ſic ego vota verborum «
quę olim nuncupauerã,ſoluturus,id oratione «
tempus afficiã quo Romana lux capit: Cæterùm veteres etiã Chriſtianos ſiue ſtantes Paſchæ & quinquageſimæ diebus, ſiue aliis de geniculis adorarẽt,ad Solis exortum conuerti ſolitos, vulgatius eſt quàm vt adnotari debeat. Illud potius de voti adſignatione ex Apuleij Apolog. priore huc congeratur. Quip- "
pe omnibus (inquit) ſi cui fortè negotiũ ma- "

„ giæ faceſsitur quicquid omnino egerint ob-
„ iicietur. Votum in alicuius ſtatuæ fœmore ad-
„ ſignaſti. Igitur magus es, aut cur ſignaſti? Ta-
„ citas preces in tẽplo Diis allegaſti. Igitur ma-
„ gus es, aut quid optaſti?

Baro, Dux. Cap. VIII.

BAronis nomen vltrò tandem pro ſtupido, bardo, ſtolidóque receptum eſt, & apud Ciceronẽ pluribus in locis quaſi interdicto ſedẽ retinuit, retineat & apud Perſium Satyr. vj. vel libris veteribus vindicias ſecundum ipſum dicẽtibus. Nam quo loco impreſſi vulgò habent,

„ *Verte aliquid, iura, ſed Iupiter audiet. eheu*
„ *Vare reguſtatum digito terebrare ſalinum*
„ *Contentus perages, ſi cum Ioue viuere tendis*
„ *Iam pueris pellem ſuccinctus, &c.*

Illi rectius multò

„ *Baro reguſtatum digito terebrare ſalinum*
„ *Contentus perages, ſi cum Ioue viuere tendis*
„ *Iam puer, is pellem ſuccinctus, &c.*

Scio vari vitium ad animnm quoque tranſferri, cui non diſsimili loquendi forma recto talo viuere idem dixit: Sed quiſquis Baronis nomen ei loco magis conguere non videt, is ipſe, meo quidem iudicio, Baro eſt. In manuſcripto autem libro adſcripta eſt veteris grammatici gloſa hæc. Baro vel varo, id eſt, fatue, ſtulte, lingua Gallorum. Varones dicuntur ſerui militũ, qui vtiq; ſtultiſsimi ſunt. Quòd

ego nõ ſtatim reſpuendũ arbitor. Nam quãuis hodie apud nos, nomẽ hoc nobiliũ & generoſorum hominum ſit, quis tamẽ miretur modò duriora, interdum etiam molliora verba efficere vetuſtatẽ? Sed & cùm ignauos inertéſque & nihili homines in nõnullis Galliæ partibus hodiéque Barones appellari audimus, cur ab hac potius quàm ab illa ſignificatione trahamus & deducamus? Sanè verò, ne quid diſsimulem, & in veteribus quæ extant Saliorum, Langobardorum, Alamannorum & Ripuariorum legibus, Baronis nomen pro viro paſſim poſitum videtur vt ab altero ſexu diſtinguatur, & in veteri Lexico Latino-Græco Baro ἀνὴρ vertitur. Apud auctorem Panegyrici Maximiano A dicti ſic ſcriptum eſt eo loco quẽ de Tricaſsino agro citauimus. Quicquid « infrequens Ambiano & Bellouaco & Tricaſ- « ſino ſolo Lingonicóq; reſtabat, Baro cultore « reuireſcit. Vbi quis Baro vel Barus ſit planè « ignorare me fateor, putóque emendandum Vario cultore reuireſcit: niſi quis malit Ambarro reponere, cùm & Liuius lib. v. Senones Ambarros & Heduos coniungat, & Cæſar libro j. Bell. Gall. Ambarros Heduorum cõſanguineos appellet. Videtur tamen auctor, quiſquis ille eſt, ſignificare voluiſſe ex Britannica victoria Lingonas & Tricaſsinos cultores accepiſſe, quòd & ſequentia indicant. Vt autem Barones ſiue Varones, ita & Ambactos apud

Ennium lingua Gallica ſeruos dictos ex Sex. Pompeio, Paulus ſcripſit: Quo verbo, ſanè, vt mihi quidem videtur, merè Romano, Cæſar etiam vtitur de Gallis equitibus loquẽs. Vt vt autem Gallicum eſſe fateamur, amplius videtur fuiſſe Varonis appellatione, quæ ad militum tantùm ſeruos pertinuit. Pueri autem nomine Perſius ſeruulũ ſignificat, vt & pòſt paulò: dum ait,

Solea, puer, obiurgabere rubra.

Antea male ita legebatur, Iam pueris, pro, puer is: quod iterũ monere voluimus, ne cuiuſquã aures oculóſque ea emendatio leuius præterueheretur. Sed quoniam in Baronum noſtrorum mẽtionem incidimus, placet hîc adnotare, Karoli magni temporibus Ducem ſub ſe xij. Comitatus habuiſſe. Itaque in Annalibus
„ Pipini ſic ſcriptum legimus, Domum reuerſus Grifonem more Ducum xij. Comitatibus donauit: quod poſtea ad Aimonij Monachi hiſtoriam additum eſt lib. iiij. cap. lxj. Ex quo
„ emendandus videtur alter eiuſdem appendi-
„ cis locus lib. v. cap. xj. de Ludouico. Baldrico
„ (inquit) Duci Foroiulienſi, dum obiiceretur, & probatum eſſet eius ignauia & incuria vaſtatam à Barbaris regionem noſtram, pulſus eſt Ducatu, & inter quatuor Comitatus eſt eiuſdem poteſtas diuiſa. Legendum diſtinctè in ter quatuor, id eſt, xij. Quod & tibi Ant. Loiſele aliquando viſum memini.

M. Varronis de Compitalibus & liberalibus, loci expoſiti. CAP. IX.

VArro lib. v. de ling. Lat. ad M. Tullium Ciceronem, Compitalia (inquit) dies adtributus Laribus, vt alibi, ideo vbi viæ competunt, tum in compitis ſacrificatur. Quotannis is dies concipitur. Quid eſt quod ait Varro, Vt alibi? Hoc enim obſcurum eſſe video. Sic verò interpretor vt ſignificet, Compitalia dicta à compitis ſiue compitorũ viis, in quibus Cõpitalibus ſacrificabatur: quòd & Macrobius ad ludos refert. Vt alibi, ſcilicet, ſacrificetur, id eſt, quãuis & alibi quàm in compitis Compitalibus ſacrificetur, nempe in foco. M. Cato de Re ruſtica, Rem diuinã niſi Compitalibus in cõpito aut in foco ne faciat. Martial. lib. v.

Cingunt ſerenum lactei focum vernæ,
Et larga feſtos lucet ad lares ſylua.

Quo & Virgilius reſpexiſſe videtur in Daphnide, cui tanquam Lari ſe ſacrificaturum Menalcas vouet. (Animas enim hominum in numerum deorum relatas veteres, Lares eſſe putauerunt, quẽadmodum ex Sex. Pompeio Paulus notat. Ait igitur Menalcas,

Pocula bina nouo ſpumantia lacte quotannis
Craterâſque duos ſtatuam tibi pinguis oliui,
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho
Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in vmbra.

Vt compita, ita & focũ ſedem eſſe & quaſi domiciliũ Larũ nemini hodie ignotũ eſt, quãuis

ab itinerib' & vicis, quos Greci Lauras vocāt, Lares potius appellare vulgus putauerit, vt Arnob. ſcribit lib. iij. Cæterùm, Compitalia non certo ſed incerto die concipi ſolita Varronis Macrobiíque euincit auctoritas. Sed & Auſonij verſus,

Et nunquam certis redeuntia feſta diebus
Cùm ſua per vicos compita quiſque colit.

Nam quòd apud Macrob. lib. j. Saturn. verba Prætoris more maiorum Compitalia pronunciantis ſic concepta ſunt, Die noni poſt Kal. Ian. Quiritibus Compitalia erunt, & veterum librorū & Gelliani codicis fide ita emendandum eſt, Die noni P. R. Quiritibus Compitalia erunt. Quid in contrarium proferri poſsit cùm ex Dion. Hallicarnaſ. & Macrobio, tum ex Ouidio & veteri Kalendario à Manutio prodito ſat ſcio, nec tamen ſententiam muto. Qua de re alibi fortaſſe amplius diſſeretur. Nunc alterum ex eodem Varronis libro de Literalibus locum interpretari conſtitui, qui ſic
„ habet, Liberalia dicta, quòd per totum oppi-
„ dum eo die ſedent ſacerdotes Liberi, hedera
„ coronatæ anus, cū libis & foculo pro empto-
„ re ſacrificantes. Hæc eſt vetus ſcriptura quæ ita nullum ſenſum quibuſdam habere viſa eſt, vt Oedippo coniectore opus eſſe dixerint, & horum verborum pro emptore, loco, Compotores, repoſuerint. Ego quoque aliquādo pro tempore legi poſſe putaui, quàm nūc ſenten-

tiam

tiam vltro muto, & vero capite damno : vt erunt proculdubio multa in his nugis opinionum commēta, quæ tandem delebit dies cùm naturæ iudicia cõfirmabit. Varronis autē ver- "
ba ſic exaudio: Liberalium die anus libero pa- "
tre dignæ antiſtitę & ſacerdotes vtpote vnio- "
ſiores, hedera & ipſa Libero ſacra coronatæ, "
paſsim per oppidum ſedebant cum foculo & "
libis mellitis quæ ipſæ confecerant, ad quæ etiam populos vocabāt, vt Ouid. lib. iij. Faſt. ſcribit : id eſt, vt ego interpretor, tranſeuntes quoſlibet ad liborum emptionem inuitabāt, & pro emptore ſacrificabant. Libi empti parte foculo indita. Hunc ego Varroniani loci ſenſum aliqua ex parte debere me fateor Nicolao Vignerio medico doctiſsimo & mihi amiciſsimo, qui eius primùm eruendi quaſi anſam præbuit. Porro ſi cui viſum ſit anus à Liberi ſacerdotibus diſtinguere, intelligat ſanè liba mellita ſiue Liberi bellaria ab anu confici ſolita & vendi. Sacerdotes autem pro emptore ſacrificare ſolitos libi empti parte foco aſperſa. Liberalibus etiam veteres in publico diſcumbere ſolitos teſtis eſt Sep. Tertullianus in Apologetico.

Spinturnicia, Reſecro, apud Plautum & Marcellinum. CAP. X.

AMmianus Marcellinus lib. xxij. Exuberat "
Ægyptus pecudibus multis, inter quas "

„ terreſtres ſunt & aquatiles,aliǽque humi & in
„ humoribus viuunt,vnde amphibia nominan-
„ tur.Et in aridis quidem capreoli veſcuntur,&
„ buculi, & biſturnitatia omni deformitate ri-
„ dicula, aliáque monſtra quæ enumerare non
„ refert.Vbi quidam codices habēt Piſturnitia.
Ego vero nō dubito ab auctore Græculo ſcri
ptum Spinturnicia pro ſpinturnicibus græca-
nica etiam forma,queēadmodum & apud Plau
tum in Milite ſcriptum eſt,

PVR. *Aedepol hæc quidem*
Bellula eſt. PA. *Pithecium hæc eſt*
præ illa & ſpinturnicium.

Prudentius etiam lib.ij.in Simmach.Inter Æ-
gyptios deos Simiam refert his verſibus.

„ *Iſis enim eſt Serapis & grandi Simia cauda*
„ *Et crocodillus,idem quod Iuno,Lauerna,Priapus.*
„ *Hos tu Nile colis,hos & tu Tybris adoras.*

Libet & alterius verbi vim apud vtrunque au
ctorem adnotare quæ vulgò non ſatis nota
eſt. Sic igitur Marcellinus lib.vigeſimoquar-
„ to ſcribit: Exclamauit indignatus acriter Iu-
„ lianus, Iouémq; teſtatus eſt nulla Marti iam
ſacra facturum: Nec reſecrauit celeri morte
præceptus. Vidi qui eo loco emēdaret reſera-
„ uit quòd omnino explodendum eſt.Reſecra-
„ re ex feſto,Paulus ſic exponit.Reſecrare ſol-
„ uere religione. Vt cùm reus populum comi-
„ mitiis orauerat per Deos, vt eo periculo libe-
„ raretur,iubebat Magiſtratus eum reſecrare,id

eſt, populum religione abſoluere: ſcilicet, vt ita demum populus religione teneretur, ſi is qui per Deos orauerat inſons innocénſque eſſet. Ita Feſtum ſenſiſſe Farneſiani libri veſtigia indicant. Niſi ita reſecraſſet reus, & ſi ex iuſta cauſa à populo damnatus eſſet, populus ipſe religione obſtrictus manſiſſet. Significat igitur Marcellinus, Iuliano morte celeri præuēto non licuiſſe obteſtationis quā fecerat religione ſe abſoluere. Plautus in Aulularia,

Nunc te obſecro
Fac mentionem cum auunculo mater mea
Reſeróque mater quòd dudum obſecraueram.

Sic vulgò legitur etiam in libris à doctiſsimo Camerario editis, ſed reſecro omnino legendum Pauli locus indicat, hoc ſenſu. Obteſtatus erat matrem Lyconides, ne eorum quæ ipſi de Euclionis filia aliquādo dixerat apud auunculum mentionem faceret: nunc obſecrationis religione eam abſoluit, rogátque vt cum auunculo de amica conloquatur. Non ſubterfugit hoc verbum virum diligentiſsimum in Perſa Comœdia. Sic enim ſuo ordini verſum reſtituit, qui antea perturbatus erat.

TO. *Obſecro te, reſecro, operam da hanc mihi fidelem.*

Sed ſenſum potius eruamus, eſt enim ſubobſcurus. Toxillus per amicitiam obteſtatus erat Sagariſtionē, vt mutuò D C. nummos daret. Dixerat Sagariſtio nummos ſe præſentes non habere. Ita obſecrationis religione tenebatur.

Reſecrat Toxillus & ea abſoluit Sagariſtionem, obſecrátque vt ſaltem operam commodet, quò aliunde poſsit mutuos ſumere. Dicet hîc aliquis, Vbi verò tãdem obteſtationis religionem notas, qua Sagariſtionem teneri fingis? Nempe hîc paulò antè,

T O. *Facere amicum tibi me potis es ſempiternum?*

Nam hæc verba potis es obteſtãdi obſecrandíque, &, vt ita dixerim, adiurandi vim habent.

Terentius, *Si tibi placere potis es mihi vt reſpondeas.*

Idem, *Potin' es verum dicere.*

Quò etiam reſpicere mihi videtur illud Perſij Satir. j.

Et verùm inquis, amo, verum mihi dicito de me.
Qui pote?

Vbi quam in obteſtatione formulam non expreſsit in reſponſione attingit, niſi cui fortè hæc nimis anxiè exquiſita videãtur. Vidi etiã qui Plauti locum in ſuo libro perſonis ſic diſtingueret,

T O. *Obſecro te.* S A. *Reſecro te.*
T O. *Operam da, &c.*

Quòd ſatis perſpicuum habet ſenſum, nec eum quidem inſulſum aut indignum qui recipiatur, ſi modo ex veteris potius exemplaris fide quàm ex ingenio ita relatum eſt.

Ennij de Africano verſus expenſi.

CAP. XI.

SCripſit Ennius de Scipione Africano epigrãma, in quo ipſum ſic loquentẽ induxit,

A ſole exoriente ſupra Mæotis paludes,

Ad quod reſpiciens auctor Genethliaci Maximiano A. dicti. Etenim (inquit) quod ait il- « le Romani carminis (ſic leg.) primus auctor, « A ſole exoriente ad vſque Mœotis paludes, « id nunc longius longiúſque protendere licet, « ſi quis hoſtilem in mutuas clades veſaniam « toto orbe percenſeat. In eo epigrammate En- « nius Africani victorias deſcripſit, hoſtes internecione cæſos, vrbes captas direptáſque, cæteráque huiuſmodi quæ licentia militari publicè patrata virtutibus annumerantur: quò pertinebant etiam fortaſſe & illa.

Deſine Roma tuos hoſtes, Et «
Nanque tibi monumenta mei peperere labores. Itémq; «
Teſtes ſunt campi magni. «

Quæ eiuſdem epigrammatis fuiſſe veriſimile eſt: vt & iſta quæ à Lactantio referuntur lib. j.

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquam eſt, «
Mi ſoli cæli maxima porta patet. «

Itémque à Seneca Epiſt. cix. licet paululum diuerſa ſcriptura. Nam in vetuſtis Senecæ exemplaribus ni faciendo plagas, vel ſi faciendo conſtanter ſcriptum fuiſſe Pincianus homo doctus & diligens monuit. Ex quo ego facilè coniicio mihíq; penè perſuadeo olim ſic ſcripſiſſe Ennium,

" *Si fas endo plagas cœleſtum aſcendere cuiquam.*

Endo pro in, veteres paſsim dixiſſe cuilibet notum eſt. Emendandus verò ita eſt & hic ipſe verſus apud Lactantium Firmianum corruptus, credo ex præcedentibus ſequentibúſque auctoris verbis, ſed ab his profectò qui neque veterem loquendi formam, neque Firmiani ipſius mentem ſatis percipiebant. Si enim ita ſcripſiſſet Ennius, Si fas cædēdo, non debuit nec verò potuit tam acriter reprehendi: Quandoquidem conditionē adiecit hanc, Si fas, quæ potuit non vera eſſe. At ſi ita vt dixi verſus hîc reponatur reprehendi iure potuit. Cæterùm huc etiam valde pertinent Senecæ ex Epiſt. lxxx.vij. de eodem Africano
" verba. Animam quidem eius (inquit) in cœ-
" lum ex quo erat rediiſſe mihi perſuadeo, non
" quia magnos exercitus duxit (hoc enim &
" Cambiſes furioſus, & furore fœliciter vſus ha
" buit) ſed ob egregiam eius moderationē, &c.
Reſpicit vero ad Ennij verſum. Quòd autem in eadem Senecæ epiſtola, ex qua Ennij verſus protulimus, ita ſcriptum eſt ex Cicerone,
" hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, antiqui calcem dicebant, valde mihi pertinere videtur ad eum Plinij locum ex lib. xxxv.
" in quo ait, Creta Circum prçducere ad victo-
" riæ notam, & venalium pedes trāſmare adue-
" ctorum denotare maiores inſtituerunt. Quod ego adnotaturus non fui, niſi viderem ineptè,

Circũ,pro ἀμφὶ, à quibuſdam accipi. Caſsiodorus lib.iij.Var.for.in Circi deſcriptione Albæ cuiuſdam lineæ meminit his verbis: Alba " linea non longè ab oſtiis in vtrunque podium " quaſi regula directa producitur, vt quadrigis " progredientibus inde certamen oriretur, ne " dum properè conantur elidere, ſpectandi vo- " luptatem viderentur populis abrogare: Quod " Perſius dixit Cretata ambitio, etſi ad cãdida- " tos magiſtratus propriè referendum videtur, hanc tamen etiã vim habet,vt ſeruilem quandam ambitionem notet. Gallos quoq; facies olim incretaſſe Petronius indicare videtur, dum ſcribit,Quin tu & circuncide nos,vt Iu- " dæi videamur,& pertunde aures,vt imitemur " Arabes, & increta facies, vt ſuos Gallia ciues " putet.Sed hoc ego ad natiuum potius Gallorum candorẽ, & vt Virgil. ait, lactea colla referendũ cenſeo ſicut & Gallicos vultus, apud Tertull.in lib.de virginib.velandis.

Locus Varronis de Ornithone ex lib. iij. de Re ruſtica,& quid ſit in eo Plumula.
CAP. XII.

M.Varronis de Re ruſtica libri tertij caput v.crebrioribus maculis inquinatum eſſe pridem Victorius admonuit, qui & ipſe in eo auctore reſtituendo operam nauauit egregiam. Sed homo vnus quamlibet oculatus omnia videre non potuit. Inter cætera,

cùm quid, Plumula, in eo ſignificaret exqui-
rerem, libuit locum ipſum, vti par eſt, atten-
tius, expendere: Qui tandem mihi ita legen-
,, dus diſtinguendúſque viſus eſt. Circum huius
,, ripas ambulatio ſub dio, (hypœthram ſi-
,, gnificat) pedes lata x. Ab hac ambulatione in
,, agrum verſus, (id eſt, in longitudine,) Ornitho
,, nis locus ex duabus partibus dextra & ſini-
,, ſtra maceriis altis concluſus: inter quas locus
,, q eſt Ornithonis, patet in latitudinē p. xlviij.
,, deformatus ad tabulæ literariæ ſpeciem cum
,, capitulo. Forma qua eſt quadrata, patet in
,, longitudinem p. lxxij. qua ad capitulum p.
,, xxvij. ad hæc, id eſt, xcix. vel potius c. ſi mo-
,, do xxviij. legatur. Hactenus omnia diſtin-
ctione, emendatione, & interpretatione no-
,, ſtra plana ſunt. Sequitur deinde, Ita vt in mar-
,, gine quaſi infimo tabulæ, deſcripta ſit ambu-
,, latio, ab Ornithone plumula, in qua media
,, ſunt caueæ, qua iter in aream eſt. In limine, in
lateribus, &c. Hæc eſt Victoriani libri ſcri-
ptura: ſed ex ea cōmodum ſenſum eruere mihi
quidem perdifficile eſt. Tentemus tamen ſi-
quid ipſi in hac re poſſumus. Videtur autem
error ex notis originem habuiſſe, quæ à libra-
rio non intellectæ in plumulam euaſerunt.
Quid igitur ſi legamus? Ita vt in margine qua-
ſi infimo tabulæ deſcripta ſit ambulatio ab
,, Ornithone. p. l. xlviij. v. LA. Significat in ex-
tremo loci qui eſt Ornithonis, quē ad tabulæ

literariæ ſpeciem deformatum dixit, ab ipſo ornithone, id eſt, poſt ornithonem, quaſi in ipſius tabulę literariæ margine infimo, ambulationem fuiſſe eadem omnino longitudine, qua ſe loci ipſius latitudo exerebat, id eſt. pedum xlviij. Latitudine pedum. v. Quæ ſi cui anguſtior paulò videatur, per me licet reponat pedes decem, vt in ſuperiore ambulatione. Hanc ego coniecturam debere me fateor Æmarĩ Ranconeti manibus, viri, nulli vnquã ingenio aut eruditione ſecundi. Nam cùm fortè in codicem incidiſſem qui ipſius aliquando fuiſſe dicebatur, nihil aliud ad Varronis libros annotatũ reperi quàm ad hunc locum notus iſtas. P L. L A. Statímque ſuſpicatus ſum virum ingenioſiſsimum & ſagaciſsimum putaſſe aliquando locum eſſe corruptũ, vti quidem certe eſt, & ex notis errores natos, quibus deturpabatur, quam ego quaſi anſam arripiens, loco altius refeſſo, hanc tandẽ (qualiſcunque eſt) lectionem erui. Sequitur apud Varronẽ in qua media ſunt caueæ. Has oportuit eſſe ſuſpẽſas, vt certè fuiſſe veriſimile eſt, aut longitudinis ipſius menſura cõprehendi, ſi quidem vt ſuperioris loci latitudini, ita huius quoque ambulationis longitudini pedes xlviij. tribuamus. Qua iter in aream eſt. Anti- «
qua lectio Qua introitus itur in aream eſt. Victorius locum peruerſum putat, & quomodo corrigi debeat nõ videre ſe fatetur. Ipſe vnius

literę facili mutatione ſic repono, qua introitus, iter in aream eſt vt ſignificat Varro, qua introitus in ambulationẽ erat, iter quoque in aream ipſam fuiſſe.

Auſonij Verſus emendati. CAP. XIII.

EDita ſunt non ita pridem Auſonij quędã opuſcula, in quibus deſcribendis ex veteri exemplari, quòd ſanè non ita facile lectu fuit, vt pote literis hiantibus nec diſtinctis ſillabis ab ignaro ſcriptum, multa fefellerunt deſcriptorem Lud. Miræum (pace id manium viri optimi & de literis pluſquàm dici poteſt benemeriti dixiſſe liceat) in emendandis verò plura ſibi conceſsit eius cui hoc munus Io. Tornæſius vir & ipſe optimus iniunxerat nimia licentia, atque interdum etiam oſcitantia. Vidi ipſe aliquãdo Lugduni exemplar manuſcriptum apud Step. Charpinũ, in quo tamen nihil tum licuit mihi conferre præter locos quoſdam epiſtolę ad Theronẽ, qui mihi fortè in mentem venerant, quoſque hîc adſcripturus ſum, vt intelligant omnes, qui modò hæc lecturi ſunt, quàm non ita facilè interdũ excuſorum librorum ſcripturæ credendũ ſit. Hoc vero non ita à me dictum accipi velim, quò eorum operæ aliquid detraham, qui veterum nobis auctorum reliquias veſpillonum manibus extortas, tanquam ab inferis domum

reducunt (Nam hos ego præcipuè Apollines & Æſculapios veneror) ſed quò obnixius regem & moneam, vt liberalitatem iſtam ſuã quàm fieri poteſt, maxima religione candidè nobis impertiãt. In ea igitur Auſonij ad Theronẽ epiſtola, primùm nemo dubitauerit pro nonaginta legendum nongenta. Id enim & verſus ipſius & ſenſus ratio poſtulat. Quòd ſequitur, per tot abeſſe dies, ita in archetypo ſcriptum eſt, per tot ouire dies, vt non dubitẽ ſcribere, obire, Sic igitur,

Milia bis nongenta iubet demenſio legum
Adnumerata, reos per tot obire dies.

Nempe per nonaginta dies quos ſine Therone traxiſſe ſe ait. Nam itineri faciendo in ſingulos dies xx. milia paſſuum leges præſcribunt, id eſt, leugas Gallicas pluſquam xiij. Continet enim leuga ſeu leuua, M, & D, paſſus Romanos vt Iordanus in Gothica hiſtoria ad Caſtalium & alij plerique auctores tradunt: quòd & ex Ammiano Marcellino & Antonini itinerario facilè probari poteſt. Sequitur apud Auſo.

An quia per tabulam medico pugnante notatam.

In veteri libro quantùm ex ſcripturæ veſtigiis intelligere potui, ita eſt.

An quia per tabula medica pugnan otatam.

Vnde hodiéque ſatis commodam lectionem eruere nõ poſſum. Veteres tamen reliquias vt potui repræſentaui, in quib⁹ cõiecturæ ſuæ ſa-

gacitatem & ingenij vim alius fortaſſè fœlicius experietur.

Nec tanti fuerit. Vet. *Ne* rectè.

Ergo aut prædictos iam nunc reſcribe Tarios.

Sic vetus, pro Darios Reſcribere eſt reddere, ſeu per menſæ ſcripturam dare, vt Donatus notat. Quia enim ad numerationem pecuniæ intercidit ſcriptura, reſcribere dicebant pro renumerare.

Aut abos à me totidem dabo.

Quis non videat legẽdum, Aut alios à me totidem dabo? Vnus à Domnotoni in veteri libro notatur, S, liqueſcere quod ego quoque omiſſum nolui: vt illud penè omiſeram, in ſecundo eiuſdem epiſtolę verſu, pro, Expectās, ſcriptum eſſe experiens. Sed lubet aliquos etiã ex multis quos in eis opuſculis cõiectura tantùm emendauimus locos hîc adiicere In precatione ſolemni.

Latiam vis ſcire. lego viſure.

Qua vaga Sauromates ſibi iunxerat agmina Crunis.

repono Chunnis vt & epigr. I.

Arma inter Chunnóſque truces.

In parentalibus, de Æmilia.

Tarbellæ matris patris & Heducij.

lego heduici vt ſuprà *Gens Hedua matri*, & infrà,

Stemma tibi patris Heduici.

De Cæcilio Argicio,

Sed in atris cura retexit. lege ſed matris.

Euronne iuuenũ. diſtingue Euromi, è iuuenũ.

In profeſſoribus Burdigal, de Attico Tyrone.

Facunde docte, lingua & ingenio celer
Dei poëta nobilis, id eſt, Beleni.
Epos ligaſti metricum
Minus malorum munere expertus Dei.

De Citario,
Concedit Cai Muſa Simonidei. vulgò ceu. Sed de his nimis.

Cluſuræ, Burgi, Luſoriæ. CAP. XIIII.

IMpp. Romani habuerunt in limitibus τὰ ὀχυρώματα, quę ipſi Cluſuras appellāt: de quo verbo Doctor meus plures auctorū locos annotauit. Poſteriorū tēporū ſcriptores, vt Liutprandus, Ado, Sigibertus, cæteríque eius ferè ordinis, Clauſas, Cluſas, & interpoſitiones vocant. Id primum ab Hadriano inſtitutum videtur, de quo Ælius Spartianus ſic ſcribit. Per " ea tempora & alias frequenter, in plurimis lo- " cis in quibus Barbari nō fluminibus ſed limi- " tibus diuidūtur, ſtipitibus magnis in modum " muralis ſæpis funditus iactis atque connexis Barbaros ſeparauit. Hę cluſæ propugnaculis quibuſdam munitæ fuerunt, quę caſtra & caſtella dicuntur, vnde & caſtellanus miles alicubi nuncupatur. Herodianus lib. vj. ςρατόπεδα καὶ τὰ φρούρια appellat & paulò antè τὰ ἐπικείμενα ςρατόπεδα ταῖς ὄχθαις τῶν ποταμῶν. Dicūtur & Burgi, à quibus olim Burgundiones dictos Paulus monachus, Liutprādus Diaconus, & Iſidorus

epiſcopus tradiderũt. Ex quo interpretationem accipiunt & hi Sidonij verſus de Burgo.

Diceris (inquit) *ſic. Nãque domus de flumine ſurgũt,*
Pendenteſque ſedent per propugnacula Thermæ.

Habuerunt etiam Romani in pleriſque limitibus in quibus à Barbaris, fluminibus diuidebantur, luſorias naues, prohibẽdis credo vicinorum hoſtium excurſibus incurſibúſque viciſsim faciendis: harum luſoriarum refectio magiſtris militum maximopere iniungitur conſtitutione quadam imperatorum, quæ eſt in Codicis Theodoſiani libris nondum editis, ſub titulo De luſoriis Danubij. Sic in Africæ limite, id eſt, Traiecto erat Dromones, vt indicat poſterior Iuſtiniani cõſtitutio de P.P. Africæ. In limite etiam Rheni armatas naues habuiſſe diſpoſitas indicat auctor Panegirici Conſtantino dicti, ex quo hæc tantùm protuliſſe ſufficiet. Inſuper etiam (inquit) Agrippinenſi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis inſultas, ne vnquam metus ponat, ſemper horreat, ſemper ſupplices manus tendat: cùm tamen hoc tu magis ad gloriam imperij tui & ornatum limitis facias, quã ad facultatẽ quotiens velis in hoſtem tranſeundi, quippe cùm totus armatis nauibus Rhenus inſtructus ſit, & ripis omnibus vſque ad Occeanum diſpoſitus miles immineat. Inter hęc ſubſiſto apud Capitolinum in Bonoſo cluſuras pro luxurias emendem, an de luſoriis nauibus interpreter,

cuiuſmodi in eo limite multas fuiſſe ex Amm. Marcellino facilé coniicio. Capitolini locus ſic habet. Hic idem cùm quodam tempore " in Rheno romanas luxurias Germani incen- " diſſent, timore ne pœnas daret, ſumpſit impe- " rium. Sed tamen ſi pronunciare tandem neceſſe habeo, cluſuras malim, præſertim cùm Capitolinus in Lolliano ſic ſcribat. Pleráſ- " que Galliæ ciuitates nonnulla etiam caſtra " Poſtumus per ſeptem annos in ſolo Barba- " rico ædificauerat, quæ interfecto Poſtumo " ſubita irruptione Germanorum & direpta " fuerant & incenſa, ea in ſtatum veterem re- " formauit. Et Amm. Marcellinus monumenta & caſtra plurima in Rheni limite à Barbaris, id eſt, Francis Alemanníſque incenſa & excuſa multò poſt tempore à Iuliano refecta communitáque teſtatur. Porrò cluſuræ etiam formam habuit murus ille, quo per tranſuerſam inſulam ducto vtrimque ad finem] Occeani Seuerus Imperator Britanniam muniuit, cuius & Spartianus, & alij auctores ſæpe meminere. Caſsiodorus in Chronico vallum appellat. Nunc vide quò etiam proruptura ſit audacia mea. Nam apud hunc ipſum Capitolinum cùm Trebelliani Tyrannidem deſcribit, cluſuriarum quoque nomen lubens repoſuérim vbi vulgò cuſtodiarum legitur. Iſauri (inquit) poſt Trebellianũ pro Barbaris habẽtur, "

" & nunc in medio Romani nominis ſolo regio
" eorum nouo genere cluſoriarum quaſi limes
" includitur, locis defenſa, nō hominibus. Scio excuſam receptámque vulgò lectionē leuiter defendi poſſe, eodémque penè ſenſu quo & ſi cluſurias repoſueris. Sed quòd rei exprimēdæ aptius eſt & auctoris menti magis congruere videtur, magis etiam placet. Ammianus ſanè Marcellinus lib. xiiij. de iiſdē Iſauris loquēs, Cluſurias appellat prætenturas, & paulò poſt caſtella, ſtationes, in quibus erant milites diſpoſiti.

De vite, loci quidam emendati Itémque de vitta & præconis iure. CHAP. XV.

Vitem Centurionum aliorúmque militiæ ducum & principū inſigne fuiſſe, eámque caſtris inſertam ſummam rerum imperiúmq; cōtinuiſſe nemo neſcit. Inde & ſub vineam & ſub vitem iacere miles dicitur Sex. Pompeio. Inde & ego arbitror, vitem fortitudinis à Mamertino tranſlatione quadam dictam, in Panegyrico Iuliani, Scilicet (inquit) & candorē
" æquitatis potuit obumbrare, & à temperantia
" purpuram ſancti ruboris abolere, vitem forti-
" tudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos prudentiæ. Vulgo tamen vicem ſcriptum eſt, nullo mihi ſatis commodo ſenſu. Idémque plane error eſt apud Caſsiodorum lib.

lib. vij. Variarum, in formula principis Dalmatiarũ. Nam quo loco impreſsi libri habent, Tu vicem tenes improbis minantem: in veteribus ſcriptum eſt, vitam, quód in vitem, mutandum cenſeo. Vt autem vitis centurionum, ita matronarum inſigne vitta fuit, qua non niſi caſtæ vti poterãt, quemadmodum Seruius notat in lib. vij. & viij. Æneid. Id Valerius quoque Maximus ſic refert lib. v. cap. ij. San- " xit Senatus vt fœminis ſemita viri cederent, " confeſſus plus ſalutis in ſtola quàm in armis " fuiſſe, vetuſtíſque aurium inſignibus nouum " Vittæ (ſic lego, non vitæ) diſcrimen adiecit. " Permiſit quoque his purpurea veſte & aureis " vti ſegmẽtis. Addatur ſanè hîc illud, Poſteriorum temporũ Romanas Præfecturas habuiſſe inſigne poteſtatis ſuæ, non vulgaris cultus carpentum qno inueherentur: qua de re extat elegans Simmachi P. v. epiſtola lib. I. Præcedebat præco aduenire præfecturam vbique denunciãs. Caſsiodor. lib. ij. Inſtitut. Diuinar. " ſcript. Si præfectum vox præconis enunciet, " Si carpentum ipſius ſtrepentibus rotis tranſi- " re noſcamus, nónne omnes voluptates cordis " abiicimus, dum conſpectum ipſius reueren- " tiámque metuimus? Hieron. ad Ruſticũ. Alij " ſublatis in altum humeris & intra ſe neſcio " quid cornicantes, procedunt in publicum, vt " ſi præconem addideris, putes incedere Præfe- " cturam. Idem Caſsiodor. lib. vj. Variar. In "

» formula Præfecturæ Prætorianę.Ipſe carpen-
» tum reuerẽdus aſcẽdit.Et paulò poſt.Ab illo
» nanque patriarcha & nunc pater appellatur
» imperij:Ipſum hodiéque reſonat vox præco-
» nis,inſtruens iudicem ne ſe patiatur eſſe diſsi-
» milem.Hinc etiam memini alicubi ius pręco-
nis cum iure gladij coniungi.Præconis autem
pro tribunali ſtatum & officium elegãter de-
» ſcribit Apuleius lib.1.Florido. his verbis.Nec
» vos parua quædam & praua ſimilitudo falſos
» animi habeat, quoniam quædam, vt ſæpe di-
» xi,palliata mendicabula obambulant, Præco
» cum Proconſule & ipſe tribunal aſcendit, &
» ipſe togatus illic videtur, & quidem perdiu
» ſtat,aut ambulat,aut plerúnque contentiſsi-
» mè clamitat. Enimuero ipſe Procõſul mode-
» rata voce rarenter & ſedens loquitur, & ple-
» runq; de tabella legit. Quippe præconis vox
» garrula miniſterium eſt: Proconſulis autem
» tabella ſententia eſt,quæ ſemel lecta,neq; au-
» geri litera vna,neq; autẽ minui poteſt:Sed vt-
» cunq; recitata eſt, ita Prouincia inſtrumento
» refertur.Cuius loci vſus latius etiam patet.

Burra, Beri, Bera, Colobum, Campagus regius, calcei aurati & ſericei. C A P. *X V I.*

IMperatorum conſtitutio omnibus, præterquàm militum ſeruis Byrris vti permittit & cucullis.Cuius exceptione hanc ego rationem vltrò refero, quod milites quoq; do-

mini Byrris paſsim vterentur. Nā Burros, ſeu Byrros, fuiſſe arbitror veſtis genus aliquantū vilioris & pilis hirſutæ, qualem etiam Endromidem Martialis deſcribit. Paulus monachus, Cyprianum byrro indutum fuiſſe refert cùm ad ſüppliciū duceretur: Pōtius Cypriani ipſi⁹ Diaconus, qui eius agonem ſanè quàm elegāter deſcripſit, in actis lacernū byrrum appellat. Sic memini veterē Perſij Flacci interpretem lacernam byrrū interpretari, & adiicere pallium eſſe fimbriatum, quo ſoli quondā milites vterentur. Auſonius Drepanio.

At nos illepidum, rudem libellum "
Burras quiſquilias, ineptiaſque. "

In verſibus quoq; nondum (quòd ſciam) editis qui in veteri libro Euceriæ tribuuntur, ita ſcriptum reperi.

Nobilis horribili iungatur purpura Burræ, "
Nectatur plumbo fulgida gemma graui. "

Burræ appellationem nos hodiéque aliqua ex parte retinere videmur. Beri honeſtiorum & Palatinorum veſtes erāt, ſericeæ, vt à viris doctiſsimis notatum eſt. Vnde ego Beros Attrebaticos & Canuſinos à Capitolino dictos arbitror in Carino, non Birros: vt & à Valerio Martiale lib. 1. Epigram. dum ait.

Nec deſunt tibi Bera Glaniana. "

Colobum ſiue Colobium honeſtioris etiam veſtis genus fuiſſe eadem Impp. conſtitutio indicat, quæ eſt de habitu quo intra vrbem Romam eſſe licet. Seruius quoque Colobiis

antiquos vſos, ſeruos autem neque colobia neque calceos habuiſſe ſcribit. Memini & in epiſtola quadam Pij Ro. Epiſcopi ad Iuſtum Viennenſem, quæ Auiti verſibus ſubiecta eſt, Epiſcopalis colobij mentionē fieri: Quod cū ſine manicis fuiſſe Iſidor⁹ teſtetur, fortaſſe & illa tunica pectoralis, de qua Maras Chriſtiani nominis Diaconus ſub Gallo tortus eſt, colobij formam habuit. Apud eūdem Capitolinū calciamentum Imperatoris campagus regius dicitur. Fuit hæc caliga ex rubricatis pellibus purpurea ſub poſteriorib⁹ Impp. vt Liutprād. ſcribit lib. iij. de reb. per Europ. geſt. cap. IX. Quòd & ex Zonaræ & Nicetæ pluribus locis probari poteſt. In veterib. ſanè notis ad Iuliani Patricij Nouellas cāpacos ſcriptū eſt non campagos. Vt autem Impp. ſoli purpureis, ita Cōſules aureis, Patricij ſericeis caligis in publico vtebantur. Id ego duobus Caſsiodori locis breuiter cōficiam, qui in excuſsis exemplaribus valde corrupti ſunt: Sed emendatiores hîc adſcribam. Sic igitur lib. vj. In formula
„ Conſulatus ſcripſit. Pinge vaſtos humeros
„ vario colore palmatę, validam manum victo-
„ riali Scipione nobilita, lares proprios etiā cal-
„ ceis auratis egredere, ſellam curulem pro ſua
„ magnitudine multis gradibus eniſus aſcende.
Apud eundem lib. vij. In codicillis Patriciatus ad Tolum, Athalaricus de auo ſuo Theoderico ab Imp. Cōſtantinopolitano Patricio

facto ita loquitur. Huic illa diues Græcia quæ "
multũ glorioſiſsimo domno auo noſtro de- "
buit, gratificata perſoluit. Velauit humeros "
fortes chlamidum veſtis, pinxit ſuras ſericis "
calceus iſte Romanus, & dignanter viſus eſt "
accipere, quod ſe cognoſcebat accipere per "
honorem. Ita planè habet vetus liber. "

Catulli, Suetonij, Lampridij, Capitolini, Macrobij, Simmachi loci in quibus Mimi nomen corruptum eſt. CAP. XVII.

MImi nomen pluribus auctorum locis in affine plerunque degenerauit. Apud Apuleium lib. j. Floridor. Bono enim ſtudio in " theatrum conueniſtis, vt qui ſciatis non lo- " cum auctoritatem derogare orationi, ſed cùm " primis hoc ſpectaculum eſſe, quod in theatro " deprehendas. Nam ſi minus eſt, riſeris, fune- " re, plus timueris, ſi comedia eſt, faueris. Si phi- " loſophus, didiceris: Lego. Si mimus eſt, riſeris, " Funerepus, timueris: vt & lib. iiij. Nec quòd " hîc alias mimus hallucinatur, funerepus peri- " clitatur, Comædus ſermocinatur, Tragædus " vociferatur, hiſtrio geſticulatur, cæteríque " omnes ludiones oſtentant populo quod cu- " iuſque artis eſt. Apud Simmachum lib. ij. Epi " ſtolar. Sed vt didici, ipſe ad vlteriora conten- " dens inimica vſus eſt techna, vt paginam no- " ſtram comes eius Ruſticus reportaret, ille al- "

„ teram nunc regreſſus accipit. Repono mimica vſus eſt techna. Sic enim & iocos & ſtrophas mimorum Tertullianus dixit in Apologetico. Apud Capitolinũ in Maximinis, Denique cùm immortalem ſe prope crederet ob magnitudinem corporis ſui virtutíſque munus, quidam in theatro preſente illo, dicitur verſus Græcos dixiſſe. Didici legendum, mimus quidã in theatro. In Satyrico Petronij arbitri pro Grex agit in Scæna nimium, omnimodo, Mimum, ſcribẽdum quis non videat? Apud Sueto. in Caligula. Obſides quoſdam abductos è literario ludo, clámque præmiſſos, deſerto repente conuiuio cum equitatu inſequutus, veluti profugos ac reprehẽſos, in catenis reduxit: In hoc quoq; minimo prę- ter modum intemperãs. Optimus liber habet in hoc quoque Mimo, quod valde placet & rectum eſt. Apud Macrobium lib. vij. Saturn. vti quidem vulgares codices habent. In eundem Ciceronem Laberius, cùm ab eo ad conceſſum nõ reciperetur dicentem, Reciperem te niſi anguſtè ſederem, ait ille nimis mordaciter, Atqui ſolebas duabus ſellis ſedere obiiciens tanto viro lubricum fidei. In veteri & optimo exemplari lib. iiij. ita ſcriptum eſt. ait Mimus ille mordaciter. Laberium autem Mimum fuiſſe conſtat. Apud Lampridium in Halegabalo. Inimicis adulteris ea quæ ſolent ſimulato fieri effici ad verum iuſsit. Legendum

cenſeo. In mimicis adulteriis ea quæ ſolent &c. quod perſpicuè verum eſt. Non poſſum hîc illud inter cętera ſine ſummo ſcelere prętermittere quòd me nuper Adrianus Turnebus vnus omnium vndecunque doctiſsimus & benigniſsimus docuit, videri ſibi in illo Catuli verſu.

Turpè incedere myrmice, ac moleſtè "
Ridentem catuli ore Gallicani, "

pro, myrmicę, reponẽdum mimice: cuius me oraculi nuncium & interpretem factum eſſe gaudeo. Mimos & Pantomimos, veteres, cinædos appellarunt à corporis motu vt Nonius Marcellus ſcribit. Cinædorum porrò exoſsis & eneruata planè in inceſſu mollitia nota eſt, quam in Embaſicoeta mirè expreſsit Petronius. De ea idem Nonius hunc quoque Plauti verſum refert ex Milite.

Tum ad ſaltandum, non cinædus magis vſque ſaltat "
quàm ego. "

Qui tamen in Camerarij editione paulo aliter conceptus eſt, hoc modo,

Tum ad ſaltandum, non cinædus magis aptus eſt "
quàm ego. "

At memini in veteribus Nonij exemplaribus legere me ita ſcriptum

Tum ad ſaltandum, non cinædus malacus æque eſt. "

Cuius ſcripturæ veritas ex ſe ita firma eſt vt eam celeri reformatione redintegrandam cenſeam.

De Sacramento, Sponſione & Vadimonio.
CAP. XVIII.

NON adeò alienum eſt à veterum ſacramento, quod nuper in Gallia conſignationis nomine aliũde inuectum inductúmque vidimus. De ſacramento, Varro ſic ſcribit lib. iiij. de ling. Lat. „ Ea pecunia quæ in iudicium „ venit in litibus, Sacramentum, à ſacro. Qui „ petebat & qui inficiabatur de aliis rebus, vtri- „ que. L. æris ad Pontificem deponebãt, de aliis „ rebus itẽ certo alio legitimo numero aſsium. „ Qui iudicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſa- „ cro auferebat, victi ad ærarium redibat. Sext. „ Pompeius. Sacramentum æs ſignificat, quod „ pœnæ nomine penditur, ſiue eo quis interro- „ gatur, ſiue contendit. Id in aliis quinquaginta „ aſsium eſt, in aliis quingentorũ inter eos qui „ iudicio inter ſe contenderent. Qua de re lege „ L. Papirij Tribun. pl. ſanctum eſt his verbis. „ Quicunque Prætor poſthac factus erit, qui „ inter ciues ius dicet, III. viros capitales po- „ pulum rogato, iíq; III. viri capitales quicun- „ que poſthac facti erunt ſacramenta exigunto, „ iudicantóque, eodémque iure ſunto, vti ex le- „ gibus plebeíque ſcitis exigere, eſſe oportet. „ Sacramẽti autem nomine, id æs dici cœptum „ eſt, quòd & propter ærarij inopiam, & ſacro- „ rum publicorum multitudinem cõſumeretur id in rebus diuinis. Igitur, Qui petere vult, id eſt, qui litem facit, vt Fortunatianus IC. lo-

quitur, ante omnia ſponſione prouocat aduerſarium, is vnde petitur ſi contẽdit ex prouocatione ſpondet: rurſúſque reſtipulatur à petitore, qui etiam viciſsim reſpondere cogitur. Huius ſponſionis pignus legitimum eſt Sacramentum, vt rectè Iſidorus ex quopiam meliore auctore ſcribit libro v. Ethimolog. Quamuis autẽ huiuſmodi ſtipulationes ſponſionéſque mutilę ſint: propriè tamen qui prouocat primùm, ſacramento rogare, petere vel quærere dicitur: qui prouocatur, ſacramento contendere quod ex euẽtu iudicij iuſtum iniuſtúmue dicitur. Arnobius, Quis quæſitor, " quis arbiter, ceruicib⁹ tãtis erit, qui inter per- " ſonas huiuſmodi aut vindicias iuſtas dare, aut " ſacramenta conetur pronunciare non iuſta? " Sponſione facta, pignus vtrinque deponitur, cũ à prouocãte petitur iudex, quo dato ſumptóue (nam eius vt plurimũ optio electióque fuit) iudicium agitatur. Aſco. Pedianus: Cùm " in rem aliquam agerẽt litigatores, & pœna ſe " ſacramenti peterẽt, petebant iudicem. Loqui- " tur autem de crimine repetũdarum. Itaque in capitalibus etiã cauſis ſacramẽto locus eſſe videtur. Et verò deponitur ex lege Papiria iuſſu Triumuirorum capitalium, & ab eis exigitur. Quòd ego tamẽ in omnib⁹ cauſis perpetuum fuiſſe non facilè crediderim. Apud Põtificem dependi deponíque ſolitum ſacramentum, ex emẽdatis Varronis verbis receptũ eſt. Et vero

in rebus diuinis ſacríſque victi pignus expẽdi ſolitum Feſti verba oſtendunt. Quo & illud Plauti in Rudente, non immerito aliquis pertinere arbitretur,

" *Tun' meo Pontiſex periurio es?*

Nam alioquin Cenſoriis animaduerſionibus vindicari ſolitũ periuriũ Cicero auctor eſt. Vt autem ſacramenti ſummã L. & D. aſsibus pro rerũ, de quibus contendebatur, modo ſtatuamus, non dubito tamẽ quin ſpõſiones maiore minoréue ſumma, ſiue legũ taxatiõe, ſiue cõtendentium arbitrio fierẽt. Sanè, ex Ciceronis verbis datur intelligi, cũ pecunia certa petebatur, ſolitã fieri ex lege, tertia parte ſponſionem. Nã cũ pro Comædo dixiſſet, Pecunia tibi debebatur certa, quæ nũc petitur per iudicem, in qua legitimæ partis ſponſio facta eſt: Subiicit, Pecunia petita eſt certa, cũ tertia parte ſpõſio facta eſt. Idem Verr. V. facta eſt ſponſio H-S. quinque milib. Pro modo etiam litis ſpõſiones huiuſmodi fieri ſolitas Menedæmi verba apud Plautum indicant,

" *Conditiones tetuli confragoſas, aut plus*
" *Aut minus quàm opus erat multò dixeram*
" *Controuerſiam, vt ſponſio fieret. Quid ille? Prædem dedit.*

Sic igitur Sacramentum pignus eſt publicum ſpõſionis, & ad ærarium redit. Sponſione ipſa aliæ pœnæ legitimæ comprehendi poſſunt, vt tertiæ partis, &c. Hæ non ſunt pignora ſponſionis, Nec enim deponuntur. Et licet inter-

dum deponi poſsint, & vero id expeditiſsimũ eſſe dicatur, ne quis in captionem verborũ incidat, priuata tamen ſunt pignora, quibus victoris indemnitati cõſulitur, non publica, quę ſacris impenduntur. Sacramentum vtrunque ſemper deponitur: Sponſionis pœnas vtrique ſemper promitti nolim ſcribere, cũ & de decima parte initio litis ſolũ auctorẽ repromittere ſolitum videam. Cæterùm qui ſpõſione prouocat, interrogat ferè hac formula, Ni hoc ita ſiet. Exempla ſunt apud Ciceronẽ Verr. v. Ni « Apronius dictaret. lib. iij. offic. Ni vir bonus « ſiet: Pro Cęcin. optime ſponſionẽ facere poſ- « ſent, Ni aduerſus edictum Prætoris vis facta « eſſet. Vbi ſpõſionem facere de eo die videtur, « qui ſponſione prouocat. Valer. lib. ij. Valerius « Luctatium ſponſione prouocauit, Ni ſuo du- « ctu Punica claſsis eſſet oppreſſa. Erátque « hæc rogationis ſtipulationíſque hac in re conceptio, cuius formula apud Macrobium, non adeo religioſè obſeruatur, cùm ſcribit. Sponſione prouocauit inſumere ſe poſſe in « vnam cœnam H-S centies. Id mirum Anto- « nio viſum. Nec moratus, ſponſione conten- « dit: dignus ſculna Munacio Planco. Sic ha- « bet optimus liber meus, rectè. Sculnam ſequeſtrem & arbitrum dici Gellius notat. Sponſio autem ferè ita fiebat. Si hoc ita non ſit, vel, Ni hoc ita ſit, quod idem valet. Apud Ciceronem in oratione pro Quintio,

„ Si bona ſua ex edicto Prætoris dies xxx. poſ-
„ ſeſſa nõ eſſent. Apud Paulũ lib. v. Sententiar. Ni iuſtè appellatum ſit. Sic enim locus ille de formula intelligendus eſt. Plin. lib. vij. Si vnquã inualidus vllo modo fuiſſet. Quod præcedit in Plinij libris, ne medicus crederetur, ſponſionis pœna eſt: quam ego facile adducor vt credam ſubditam ſuppoſititiámq; eſſe, vt illam apud Valer. Max.(non ſe petiturum triumphum) quæ omnium veterum librorum teſtimonio & auctoritate falſi penitus conuincitur. Apud Cicer. lib. vij. Epiſtol. ita lego.
„ Niſi bonorum Turpiliæ poſſeſsionẽ. Q. Cæ-
„ pio Prætor ex edicto ſuo mihi dedit. aut certè
„ ita, Si bonorum Turpiliæ poſſ. Q. C. P. ex Ed. ſuo non dedit, quod vt ſit à vulgari ſcriptura magis diuerſum, magis placet. Acronis etiam verba ad illud Horatij.

„ *Mutatus Polemon,*

ex ſpõſionis formula & veteris ſcript. à Cãtero prolatæ veſtigiis ita emendanda arbitror vt
„ pro (Vt) Ni, reponatur. Hoc modo fuit Xeno-
„ crates philoſophus continentiſsimus, de quo
„ Lais meretrix ſponſionem fecerat, Ni eum ad
„ ſuos ſollicitaret concubitus. Illud ad extremum addatur quod ad Sacramentum pertinet has notas apud Valer. Probum. Q. N. T. S. Q. P. tam rectè ſic exponi, Quando negas te ſacramento quingenario prouoco, quàm ſic, Te ſacramẽto quinquagenario, & vtrique

ſacramenti legitimæ taxationi conuenire. Ex quibus etiam ſatis intelligitur, quæ fuerit in omnibus cauſis ſacramēto prouocādi formula. Porrò quàm fuerit à ſpōſione de qua hîc agimus diuerſum vadimoniū nemo non videt. Vadimoniū quidem ſpōſio eſt, ſed ea propriè qua iudicio ſiſti, aut ni ſiſtatur pecuniæ ſumma promittitur: vnde & ad vadimonium ire, occurrere & vadimonium facere, obire, deſerere & differre dicimus. De quo quando hîc mentio incidit, placet vnum locum adſcribere, qui mihi non omnino bene habere videtur. Sic autem in melioris notę libris ſcriptum eſt apud Florum in Epito. lib. lxxxvj. Hiſtoriæ Liuianæ. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus ciuitatem & ſuffragiis ius nuper datum, fœdus percuſsit, itémque ex fiducia iam certæ victoriæ, litigatores à quibus adhibebatur vadimonium, Romam deferre iuſsit. At ego à L. Floro ita ſcriptum credo. Túmque ex fiducia iam certę victoriæ litigatores, à quibus adibatur, vadimonium Romam differre iuſsit. Quod ſtatim ita per ſe patere viſum eſt vt aliunde quæſitis probationibus quæ facilè ad manum fuerunt, opus eſſe non cenſuerim. Sed hæc fortaſſe quibuſdam ad ius noſtrum magis pertinere videbuntur. Verùm quando eis iampridem in ſubſeciuis quaſi ex abūdanti, locum à me adſignatum inuenio diuturna poſſeſsione, non

temere exturbanda putaui. παρακαταβολὴ autem καὶ τὰ πρυτανεῖα Græcorum quamuis ad ſacramenti formam proximè accedant: ea tamen huius ego loci eſſe non cenſui.

Ex Q. Sereni libro delibata quædam, Nicolai, Stanchare, Reduuia. *CAP. XIX.*

EA eſt omnium ferè diſciplinarum inter ſe coniunctio rerum & communicatio, vt alteri alterius hortos ingredi, & ex eis flores libare ius, fáſque ſit: dum ne quid contra Laurentiũ legem in armum legat, aut veterẽ conſortis poſſeſsionẽ temerè nõ depaſcatur. Itaq; nec nos quidem iniurij fortaſſe videbimur, ſi ex his quæ nuper Q. Sereni librum medicinalem, apum more peruolitantes, & eius velut floſculis inſidentes, leuiter decerpſimus, in hunc communem alueum reponamus: Ita tamen vt vel penes ſutorem de crepida ſit iudicium. Serenus igitur de Æſculapio ſic canit,

" *Qui colis Aegeas, qui Pergama, quíque Epidaurum,*
" *Qui quondam placida tectus ſub pelle Draconis*
" *Tarpeias arces atque indita templa petiſti.*

Vulgò male inclita tecta. Vindicianus Comes Archiatrorum ſub Valentiniano A. de eodem Æſculapio.

" *Quòd didicere olim Podalyrius atque Machaon*
" *A genitore ſuo, qui quondam verſus in anguem*
" *Templa Palatinæ ſubiit ſublimia Romæ.*

Et tamen Æſculapij templum, cùm reciperetur is deus, extra vrbẽ & quidem in Tyberina inſul factũ conſtat. Solũ vero eius ſimulachrũ

à Nicerato exſculptũ, in ędeCõcordię ad Tarpeiæ arcis & Capitolij cliuum fuiſſe poſitum aliqui prodiderunt. Porro indita templa Serenus dixit, vt & Tacitus lib. iiij. Indita rupibus caſtella. Ad ſtomachum inter cætera pręcipit Serenus,

Grana peregrini piperis diffindito quinque "
Nicolao molli quæ manè inſerta capeſſes. "

Sic habet vetus liber, vbi in impreſsis, Hiblæo melli, &, Niliaco melli ſcriptum eſt. Itémque poſt paulo cùm de ſplene curando loquitur,

Marrubium in vino potum prodeſſe loquuntur: "
Præterea piper, ac nepete, cum flore & anethum, "
Nicolaus rapo ac boletus iungitur vna, "
Horum decoctos latices potare ſalubre eſt. "

vulgò, *Capparis atque apium bulgoſáque iungitur vna.* "

Nicolai tamẽ vel ex Plinio noti ſunt. Sed hæc quàm diuerſa ſint nemo non videt. Mihi ſanè penè ἀποκαρτερήσιν optare libet, cùm in re capitali noſtra, tam diſcrepantes à ſe inuicem vnius ſententiæ tabellas ſcribi recitaríque audio. In aliorum auctorum ſcriptis qui quid perperam inuertit aut mutat, falſarius agnoſcitur, in huiuſmodi quæ ad ſalutem hominis pertinent, qui hoc temerè audet, quid minùs quàm ſicarius & veneficus, atque etiam ſæpe parricida eſt? Et tamen iis ſtatim creditur, cùm ſit periculum in nullo mendacio maius. Adeo blanda eſt ſpirandi pro ſe cuíque dulcedo. Sed non eſt hîc illud mittendum, vbi vulgo legitur apud Serenum,

Reiectioni cibi aut ſanguinis abſtinendæ, in veteri & optimo exemplari ita ſcriptum, Ad med. reiectionem cibi & ſanguinem ſtancandum, quòd fortaſſe tam rectum eſt quàm illud Cambire apud Priſcianum quo & Apuleius vtitur. Paulò pòſt de hydrope,

» *Corrupti iecoris vitio vel ſplenis aceruo*
» *Creſcit hydrops.*

Vulgò acerbus, Aceruo, id eſt, obſtructione vel tumore. Non patiar etiam elegans dicendi genus apud Serenũ mea negligentia deperire, vbi de conceptione & partu loquitur,

» *Irrita coniugij ſterilis ſi munera languent,*
» *Et ſobolis ſpes eſt multos dum vana per annos.*

Multos dum dixit vt nihildũ. Et paulò pòſt, ad ea quæ oculos impediunt.

» *Corporibus vulſis ſaniem perducito ranæ,*
» *Sed quæ parua ſitu eſt, & rauco garrula queſtu,*
» *Nec non è ſtagnis ceſſantibus exos hirundo.*

Infantibus dentibus vel ſtrige inquietatis. Veteris libri ſcriptura eſt, Infantibus ſtridẽtibus vel ſtriga inquietatis. Emendatum eſt tamen à doctis viris, nec ſine recti ſpecie, infantibus dentiẽtibus. Ad non illud tam fœliciter, quòd vulneribus ex re dubia curandis ab iiſdem repoſitum eſt, quo loco vulneribus & rei dubiæ curandis vulgò legebatur. Vetus ſane liber ſic habet, Vulneribus & rudubiæ curandis. Vnde coniicio proculdubio à Sereno ſcriptum, Vulneribus & reduuiæ. Reduuia ſeu ruduuia eſt, quàm idẽ paulo poſt vlceris an-

noſi

noſi ſinum appellat. Plinius lib. xxix. de lana ſuccida, Reduuias ſanat ex aqua frigida. Arnobius lib.j. Vt puſtulam reduuiam papulam aut vocis imperio aut manus contractatione comprimeret. Sext. Pomp. παρωνυχίαν interpretatur, dum ſcribit. Reduuiam quidam, alij reluuium appellant cùm circa vngues cutis ſe ſoluit, quia luere eſt ſoluere. At mihi vt à luẽdo reluuium, ita ab iduando Reduuiæ aut etiã Riduuiæ dici poſſe videntur. Iduare enim diuidere eſt, vnde & viduam dictam Grammatici tradiderunt. Duere autem antiquo verbo dare potius quàm ſoluere ſignificat. Sané Iulius Solinus Reduuias dixiſſe videtur vt exuuias. Hæc nos magna ex parte veteris & optimi exemplaris ope adiuti apud Serenum delibauimus, quo genere ante nos quoq; in hoc auctore ab Ant. Mollinio bona opera ſedulò nauata eſt. A quo ſanè quæ fœliciter emendata ſunt non attigimus: Sed nec ea quidem omnia, quæ virum doctum & diligẽtem neſcio quomodo effugerunt.

Tarquitius & de eo Macrobij loci emendati.

CAP. XX.

Tarquitius libros ſcripſit de Hætruſca diſciplina, quorum ſępe in indice librorum Plinius meminit. De iis ego accipiendum arbitror quòd Amm. Marcellinus lib. xxv. in

» hunc modum ſcribit. Aruſpices cōſulti quid » aſtri ſpecies portenderet noua, vitandum eſſe » cautiſsimè reſponderunt ne quid tunc tenta» retur, ex Tarquitianis libris in Titulo de Re» bus diuinis id relatū eſſe demōſtrantes, quòd » face in cœlo viſa, committi prælium vel ſimi» le quicquā non oportebit. Huius etiam Tarquitij nomen reponendum arbitror apud Macrobium vbi de ficuum generibus loquitur. » Tarquinius (inquit) Priſcus in oſtentario ar» borario ſic ait, Arbores quæ inferum deorum » auertentiúmque in tutela ſunt, eas infœlices » nominăt. Sic habet vetus atque optimus liber meus, ne quid hac de re diſsimulem. Non dubito tamen ab auctore ſic ſcriptum aut ſenſum, Tarquitius in oſtentario arborario. Nam & apud eundem vbi vulgò ſcriptum legitur. » Eſt ſuper hoc liber Tarquinij tranſcriptus ex » oſtentario Tuſco vbi reperitur, Purpureo au» reóve colore ouis ariéſque ſi aſpergatur, prin» cipi ordinis & generis, ſumma cum fœlicita» te largitatem auget, genus progeniémq; pro» pagat in claritate, latiorémque efficit. In eodem exemplari ſcriptum eſt rectiſsimè, Eſt ſuper hoc Tarquitij tranſcriptus ex oſtentario Tuſco, &c. Tarquitij etiam, ſiue huius ſiue al» terius meminit alicubi Lactantius: at Tar» quinij Priſci librorum nullus quòd ſciam ex auctoribus. Friuola hæc fortaſsis cuipiam & nimis leuia eſſe videantur, ſed (vt quidam

perurbanè dixit) curioſitas nihil recuſat. atque interdum parua etiam plurimi facit, & ad ea greſſum ſuſtinet quæ cæteri pro viliſsimis paſsim calcant.

PETRI PITHEI SVBSECIVORVM ADVERSARIORVM, AD ANT. LOISELVM. LIBER PRIMVS EXPLICIT.

PETRVS PITHEVS
Claudio Sennetono. I. C. S.

EXcerpſi nuper ex aduerſariis meis capita quædam, leui ſanè opera, & penè aliud agens, vereor etiam ne nihil, aut potius malè. Quod vt diſsimulem, res ipſa per ſe clamat, & ſuo ſe indicio ſorex prodit. Hæc ego qualiacūque tandem videantur, cùm in adſignationem propriè non caderent, Ant. Loiſelo, tibíque Claudi Sennetone, viris mihi amiciſsimis, tanquam veteribus poſſeſſoribus ſubſiciua conceſsi. Non vt æreis formis aut beneficiorum libro inſcribantur: Quid enim tale inculta iſthæc & ſoluta mereātur? Sed vt apud omnes teſtimonium dicant iuſtæ veræque eius amicitiæ, quæ inter nos à pueris ſanctiore quadam neceſsitudine concilia-

ta, poſt etiam ſtudiorum & naturæ ſimilitudine confirmata, ſempiterna mihi religione percoletur. Quare, ni fallor, & nugis iſtis meis non imprudenter cauero, tam doctos diſertóſque, & quod pluris aliquanto facere par eſt, beniuolos eis patronos aduocans, & obteſtationis veſtræ, religione, aliqua ex parte ſine reſecratione me abſoluero. Bene vale. Tricaßibus, Non. Octob. M. D. LXIIII.

PETRI PITHEI
ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM
LIBER SECVNDVS.

Ad Claud. Sennetonum. I. C.

Tricaſſes, Tricaſsini Campania.

CAP. I.

TRricaſsium primùm reperio mentionem fieri in Itinerario Antonini, cùm à Mediolano per Alpes Cottias ad Geſſoriacum iter deſcribit: cuius hæc portio eſt,

Antiſsiodorum Mil.plus minus XXXIII. *Legæ* XXII.
Eburobrica M.P.M.XVIII. *Leg.* XII.
Tricaſſes M.P.M.XXXIII. *Leg.* XXII.
Arciaca M.P.M.XVIII. *Leg.* XII.

Ptolemęus lib.ij.Geograph.cùm Lugdunenſis Galliæ ſitum exprimere conatur. παρὰ δὲ τὸν « Σηκοάναν, καρνοῦται, καὶ πόλις Αὔτρικον. κλωάβον. ὑφ᾽ οὓς « παρισίοι καὶ πόλις παρισίων (ſic lego non παρίσιον) «

» Λουκοτήκια. ὑφ' οὓς τρικάσσιοι, καὶ πόλις Αὐγουστόμανα.
Non eſt verò Auguſtomana, ſiue Auguſtodunum, ſiue Auguſtobonam, ſeu potius Auguſtomagum exaudias, ciuitas Tricaſsinorum, ſeu vt in Ptolem. ſcriptum eſt, Tricaſsiorum, vt Lutetia Pariſiorum: ne quis fortè eo loco fallatur, quod quibuſdam ſerio accidiſſe doleo. Tricaſsiū enim appellatio ciuitatis ipſius propria eſt, vt Tricaſsinorū populi, à quibus & Auguſtomagum, & Auguſtobonã, & Auguſtodunum longè alias diuerſáſq; eſſe, illud idem Antonini Itinerarium probat. Sed addantur & alij auctorum loci qui Tricaſsium & Tricaſsinorum meminere, quãdo ſanè hac in re profuſiorẽ eſſe præſtat quàm ingratum, & ex iis, vti diximus, ita omnino eſſe intelligetur. Auctor Panegyrici Maximiano A vel potius Conſtantio Cæſari dicti, quẽ quidam, non ſatis perſpecta temporum ratione, Mamertino tribuunt, Sicut (inquit) pridem tuo,
» Diocletiane Auguſte, iuſſu ſuppleuit deſerta
» Thraciæ trãſlatis incolis Aſia, ſicut tuo poſt-
» ea, Maximiane Auguſte, nutu Neruiorum &
» Treuerorum arua iacentia, velut poſtliminio
» reſtitutus & receptus in leges Francus exco-
» luit: ita nunc per victorias tuas, Cõſtanti Cæ-
» ſar inuicte, quicquid infrequens Ambiano, &
» Bellouaco, & Tricaſsino ſolo Lingonicó-
» que reſtabat, Baro cultore reuireſcit. In Pa-
» negyrico altero, quo Flauienſes ſiue Hædui

Conſtãtino de remiſsis ob agrorum infertilitatem ſeptem milibus capitũ gratulantur, Habemus (inquiunt) & hominum numerum qui " delati ſunt: & agrorum modum, ſed vtrũque " nequam, hominum ſegnitia, terræq́; perfidia. " Vnde enim nobis Remius, aut Neruius, aut " ipſe ille de proximo Tricaſsinus ager, aut ara- " tor, quorum reditus cum labore contendunt? " Hos ego locos non vt in vulgatis exemplaribus ſcripti cõceptíque ſunt, ſed vt emendandos legendóſque cenſeo, ita retuli: Qua in re viros doctos & candidos facilè mihi adſenſuros ſpero. Sed nec emẽdationis quidem noſtræ rationem, ſi quis requirat, hîc edere nunc ſtatuimus. Itaque vltra pergimus. Ammianus Marcellinus lib. xvj. refert Iulianũ Cæſarem deſignatum, ipſo & Conſtantio A. viij. COSS. viij. Kal. Iulias, Auguſtodunum perueniſſe. Ibíque habita deliberatione quodnam iter vt tutum eligeretur, quibuſdam per Arboroſam, aliis per Sidoleucum (ſic lego ex Antonini itinerario) iri debere affirmãtibus, ipſum cum Cataphractis ſolis & Balliſtariis, præcurſo eodem itinere quod paulò antè Siluanus magiſter peditum cum viij. auxiliarium milibus ægrè tranſierat, Antiſsiodorũ perueniſſe. Vbi " breui (inquit) ſicut ſolebat, ocio cum milite " recreatus, ad Tricaſsinos tendebat: & Barba- " ros (ſic autem appellat Francos & Germanos " qui iam tum Alemanni dicebantur) in ſe ca- "

» teruatim ruẽtes, partim cũ timeret vt amplio-
» res, cõfertis laterib⁹ obſeruabat, alios occupa-
» tis habilibus locis decurſu facili proterens,
» nonnullos pauore traditos cœpit, reſiduos in
» curam celeritatis omne quod poterant con-
» ferentes, quia ſequi non valebat grauitate
» præpeditus armorum, innocuos abire per-
» peſſus eſt. Proinde certiori iam ſpe ad reſiſtẽ-
» dum ingruentibus confirmatus per multa di-
» ſcrimina venerat Tricaſſas, adeò inſperat⁹, vt
» eo portas penè pulſante, diffuſæ multitudinis
» Barbaræ metu, aditus vrbis nõ ſine anxia pan-
» deretur ambage: & pauliſper moratus dum
» fatigato conſulit militi, ciuitatem Remos, ni-
» hil prolatandum exiſtimans, petit: vbi in v-
» num congregatum exercitum, Veſuntij iuſ-
» ſerat operiri præſentiam ſuam. Sidonius A-
pollinaris Aruernorum Epiſcopus, qui tem-
poribus Theoderici vixit, lib. vj. Epiſt. iiij.
» Quodam (inquit) Prudente (hoc enim viro
» nomen, quem nunc Tricaſsibus degere fama
» diuulgat) ignotorum hominum nobis col-
» laudante contractum, cuius ſubſcriptio intra
» formulam nundinarum, tanquam idonei ad-
» ſtipulatoris oſtenditur. Idem lib. vij. Epiſt.
» xiij. Himerius antiſtes, filius tuus, notus mi-
» hi hactenus, parum vultu, ſatis opinione,
» (quę quidem in bonam partem porrigebatur)
» Lugdunum nuper à Tricaſsibus venit: Quo
» loci mihi raptim ac breuiter conſpectus, San-

ctum epiſcopum Lupum facilè principem "
Pontificum Gallicanorum, ſuæ tam profeſ- "
ſionis magiſtrum, quàm dignitatis auctorem, "
morum nobis imitatione reſtituit. Deus bo- "
ne! quæ viro cenſura cum venuſtate, & cætera quæ ſequuntur ad Lupi noſtri laudes pertinentia. Beda ſcribit, Valentiniano III. imperante, Seuerum diui illius Lupi Tricaſsinorum antiſtitis diſcipulum, apud Treueros epiſcopum ordinatum, primæ Germanię verbum Domini prædicaſſe. Gregorius Turonenſium Archiepiſcopus Tricaſſes, Tricaſſinorum vrbem appellat in libro de Martyribus, vbi Patrocli meminit, quem in ea vrbe pro Chriſti Euangelio paſſum veteres agonum Hiſtoriæ teſtantur. Ado in Chronic. ſcribit, Britannos à Gallicanis Epiſcopis auxilia quærentes, Germanum Antiſiodorenſis eccleſiæ epiſcopum & Lupum Tricaſsinum, Apoſtolica gratia antiſtites, fidei defenſores aduerſus Pelagianam hæreſim accepiſſe. In veteri etiam notitia prouinciarum, quæ falſò à pleriſq; Antonino tribuitur, quo longè poſterior eſt, cum ſumpta ſit ex libris Canonum Iſidori Hiſpallenſis epiſcopi, ſub Lugdunēſi quarta, ciuitates vij. ſtatuũtur: metropolis ciuitas Senonum, ciuitas Carnotum, ciuitas Antiſiodorum, ciuitas Tricaſsium, ciuitas Aurelianorum, ciuitas Pariſiorũ, & ciuitas Meldorũ. Quo loco mihi ſanè mirum eſt

Tricaſſes pro Tricaſsinis dictos, ſi modò integer eſt locus, quod non facilé adducor, vt ſtatim credam. Lugduni lapis eſt, ex cuius fragmentis, quæ pridem longè à ſe inuicem diſiuncta ſunt, hanc ego memoriam aliquando erui.

C. CATVLLIO
DECIMIO.
TVTI. CATVLLII. FIL.
TRICASSIN. OMNIB.
HONORIBVS. APVD. SV-
OS FVNCT. SACERD.
AD. TEMPL. ROM. ET
AVG. III PROV. GALL.
TRES. PR.

Habeo & ex patris mei Petri Pithei, ſummi viri, monumentis, inſcriptionem, quam ego ſenem optimum puero mihi tanquam theſaurum aliquem donaſſe, & ſeruandam mandaſſe cum iuuantia memini. Ea ſic habet,

D. M.

ET. MEMORIAE. AVRELI. DEMETRI. ADIVTORI. PROC. CIVITATIS SENONVM. TRICASSINORVM. MELDORVM. PARISIORVM. ET. CIVITATIS AEDVORVM. INGENVINIA. AVRELIA. CONIVGI. CARISSIMO. ET. AVRELIA. DEMETRIANE. ET AVRELIVS DEMEDRIVS FIL. PATRI. CARISSIMO. FACIVNDVM. CVRAVERVNT.

Hîc mirum alicui fortaſsis videbitur ciuitatem Æduorum ab eodem Proc. Regi, cùm & Proconſulatus ferè prouinciis diſtingui ſolerent, Æduorum autem ciuitas in Iſidori bre-

uiculo inter eas quæ primæ Lugdunenſis ſunt referatur, & in notitia Imperij Rom. Lugdunenſis prima cum ſuis ciuitatibus inter Conſulares prouincias ſtatuatur. At verò, quis ignorat apud Romanos, maximè verò poſteriorum Impp. temporibus, variam & quotidie penè mutabilem prouinciam diuiſionem fuiſſe? Externa repetere neceſſe non eſt, ſunt enim infinita. Sub Cæſare Dictatore & paulò pòſt, nulla fuit Lugdunenſis prouincia, ſed Narbonēſis, vt Viennēſem, ita & Lugdunenſem, qualiſcunque illa fuit, cōtinebat, quemadmodum Marcellinus ſcribit lib. xv. vnde illud Auſonij de Narbone,

" *Nec tu Martie Narbo ſilebere, nomine cuius*
" *Fuſa per immenſum quondam prouincia regnum*
" *Obtinuit multos dominandi iure colonos,*
" *Inſinuant qua ſe Sequanis Allobroges oris.*

Auguſtus vnam Lugdunenſem fecit, vt Strabo auctor eſt lib. iiij. Duæ tamen ſtatuuntur à Marcellino & Ruffo, quorum temporibus, vt Senonas, ita & Tricaſsinos primæ Lugdunenſis fuiſſe facilè crediderim. Liber ſanè Notitiæ Ro. Imperij, qui ad poſteriorum Impp. tempora pertinet, quatuor Lugdunenſes facit, vt & Iſidori breuiculum, ſed quartam Senoniam vocat, nomine metropoleos. Sub hac quoque tum fuiſſe Tricaſſas veriſsimile eſt, cùm & Lutetia Pariſiorũ alicubi eidem prouinciæ tribuatur. Sed ad quod venimus, hoc

præcipuè hîc agamus. Hactenus Tricaſsium & Tricaſsinorum nomē lectum auditúmque eſt. Verùm poſteriorum temporum ieiuni ſcriptores cum Tricis Apiníſque ſuis, Trecas quoque inuexerūt. Sanè & in vulgatis Aimonis monachi codicibus, vbi Galliarum ciuitates enumerat lib. j. Trecæ ſcriptum legitur, vt & apud Gregorium Turonen. lib. viij. & in appendice ad Adonis Chronicon: vbi narratur regnante Ludouico Karoli filio, Ioannem Papam in Gallias veniſſe, & apud Trecas diu moratū, ibi Synodum habuiſſe epiſcoporū. &c. Sigebertus quoque Gemblacenſis monachus ſcribit, anno DCCCXCII. Northmannos à Senonis, quā expugnare non potuerant, Pariſios repetiiſſe: indéque repulſos, per Matronem Trecas vrbem incendiſſe, & vſque Virdunum & Tullum vrbes cuncta depopulatos. Sed poſtuma iſthæc perſequi, neq; otij, neque inſtituti eſt noſtri, quibus hîc ſatis eſt, quaſi ruderibus egeſtis, vetuſtiores patriæ vtrique noſtrum cariſsimæ ruinas detegere, & lituras quibus primæuum ipſius nomē neſcio quo malo inductum hactenus ſuppreſſúmq; eſt, velut ſpōgia effingere. Vnum tamen illud addam, Campaniæ appellationem, eius quidē cuius hodie vrbium noſtra mater eſt, nōdum me apud vetuſtiorem paulò ſcriptorem legere potuiſſe. Auctor ſanè appendicis ad Marcellini Comitis deflorata, Remenſem, Cam-

paniam vocat, vt & Gregor. Turonenſis in libris hiſtoriarum. Nõ deſunt qui Catalaunicã appellent: credo Camporũ memoria inducti in quibus Attila vict⁹ eſt, qui & Catalaunici & Mauricij dicuntur. In itinerario Antonini, ne quis fortè eo decipiatur, locus vn⁹ in quo Cãpanię iuxta mediomatricũ mẽtio reperitur, ſic emendandus eſt ex Notitiæ Romanæ libro.

Vetus alina, in medio, Matrica. M. P. XXVI.

Cãpana, in medio, Acinco leg. ij. *Adiutr.* M. P. XXIII.

Sunt autem hæc loca Valeriæ Ripenſis.

Ciceronis ex lib. ij. De legibus loci de lege Toria, Auſonij de lege Titia, Titi Liuij de lege Valeria, expenſi & explicati. *CAP. II.*

QVæſitum eſt apud Ciceronem quæ ſint Tutiæ leges in illo libri ij. de legib. loco. M. Igitur Tutias & Apuleias leges nullas putas? Q. Ego verò ne Liuias quidem. M. Et rectè, quę preſertim vno verſiculo Senatus, puncto tẽporis ſublatæ ſunt. Et alij quidem Sulpitias, alij Sempronias reponendum putarũt. Ego ex veteris ſcripturæ veſtigiis? Titias legi, vt & in eodem libro vbi de poteſtate Augurum loquitur. Quid leges non iure rogatas tollere vt Titiam decreto collegij. Tulit enim leges Agrarias Titius Trib. pl. ſeditioſus, cuius & Valer. Max. & idẽ Cicer. meminerere. Nunc magis placet iiſdem omnino veſtigiis, Turias & Turiam, ſeu Torias & Toriã vtrobique legere. Sp. Torius ſiue Turius Trib. pl.

legem Agrariam tulit quæ ſtatim ſublata eſt, vt Appianus lib. j. Belli Ciuil. ſcribit: ídque ex decreto collegij, quòd cõtra auſpicia lata eſſet. Id Cicero quoq; in Bruto ſatis oſtendit, dum ait, Sp. Toriũ vitioſa & inutili lege agrũ publicum vectigali leuaſſe. Vitioſa enim lex, eſt vitio lata, contra Augurum diſciplinam, vt & vitioſi magiſtratus cõtra auſpicia creati. Titia lex de donis & muneribus quę fuerit, ab aliis traditum eſt. Lubet hîc tantùm Auſoniani de Iureconſulto epigrammatis elegantiſsimi naſum detegere, qui ab aliis non ſatis viſus eſt. Ait autem, Iuriſcõſulto cuidam qui vxorem dicebat adulteram, Papiam legem quæ contra cælibes lata eſt placuiſſe, Iuliam de adulteriis diſplicuiſſe. Huius diuerſitatis rationem ex aliarum quoque legum nominibus facetiſsimè reddit. Ait enim, Iuriſconſultum ipſum ſemiuirum & parùm pudicum Satiniam legem ſeu potius Scantiniam (ſic enim & à Suetonio dicitur & à Tertulliano in libro de Monogamia) metuiſſe, quæ cõtra impudicos lata eſt: ideóque vxorem tãdem duxiſſe ſecundum legem Papiam, vt hoc vitium tegeret, quæ lex Papia idcirco ei placuit: At Titiam non metuiſſe, cùm nemo ei donum munúſue ob cauſam orãdam offerret, & ideo neceſſe ei eſſet aliunde rem facere, nempe ex adulterio vxoris, & lenocinio ſuo, cõtra Legẽ Iuliam, quæ ideo ei diſplicuit. Sic igitur ait,

Iuriſc

Iuriſconſulto cui nubit adultera coniux
Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis vnde hæc ſit diſtantia? Semiuir ipſe
Scantiniam metuens non metuit Titiam.

C. Titius legem Fanniam ſumptuariam cuius
verba ab Athenæo referuntur lib. vj. oratione
ſuaſit: Citatur eius oratio à Macrobio cùm
de lupo diſſerit. Sed Titij nomen apud eundẽ
corruptũ eſt, de equo Troiano. Nam vbi vul-
gò Cincius libri excuſsi habent, vetus Citius,
Io. Salisberiẽſis Policratici ſcriptor C. Titius.
rectiſsimè. Hæc nominum affinitas ſimul vt
congererem obtinuit. Nunc de lege Valeria,
quod huius capitis inſcriptio pollicetur im-
pleamus. Valeria lex cùm eum qui prouocaſ-
ſet virgis cædi, ſecuríque necari vetuiſſet, ſi
quis aduerſus ea feciſſet, nihil vltra, quàm im-
probè factum adiecit. Improbè factum adie-
ctum eſt pœnæ loco, vt contra in quibuſdam
legibus & edictis quaſi pro præmio, Bonum
factum, adſcribebatur Tertull. & Sueto. teſti-
bus. Addit Liuius lib. x. Id (qui tum pudor ho «
minum erat) viſum credo vinculum ſatis vali «
dum legis. Nunc vix ſeruo ita minetur quiſ- «
quam. Seruo, profectò nihil mirũ, cùm grauiꝰ «
multò & ſeuerius ſeruis minari cõueniat, quã
liberis & ingenuis hominibꝰ. Quid igitur ſi a-
pud Liuiũ vniꝰ literulæ facili mutatione ſic le
gamus? Nunc vix ſerio ita minetur quiſquã. «
Quod ego temere reiiciendum non putem.

Chreſtos, Chreſtiani, Achreſton, Chreſimon.
CAP. III.

QVod in Actis Apoſtolorum ſcriptū eſt cap.XIX. Claudiū Imperatorē iuſsiſſe vt omnes Iudęi Roma excederent. Sueto. quoq; Trāquillus in eius vita factū ſic refert. Iudæos impulſore Chreſto aſsiduè tumultuātes Roma expulit. Non eſt mihi dubium Chriſtianos quoque, ſi qui tum primùm Romæ. erant, vt fuiſſe credibile eſt, ſimul cum Iudęis vrbe pulſos. Nam hos omnes Romani veteres eodem ordine diu habuerunt, vt ex Tertulliani & aliorum Apologeticis conſtat. Seuer. Sulpit. „ lib.ij. ſac. hiſt. Adrianus exiſtimans ſe Chri„ ſtianam fidem loci iniuria perempturum, in „ templo ac loco Dominicæ paſsionis ſimula„ chra conſtituit. Et quia Chriſtiani ex Iudæis „ potiſsimùm putabantur (Namque tum Hiero„ ſolimæ non niſi ex circūciſione habebat Ec„ cleſia ſacerdotem) militum cohortem cuſto„ dias in perpetuum agitare iuſsit, quæ Iudæos „ omnes Hieroſolimę aditu arceret. Quod qui„ dem Chriſtianæ fidei proficiebat, quia tum „ penè omnes, Chriſtum Deum, ſub legis ob„ ſeruatione credebant. Nimirum id domino „ ordinante diſpoſitum, vt legis ſeruitus à li„ bertate fidei atque Eccleſiæ tolleretur. Rutil. Claudius Gallus lib.j. Itenerarij cū ritus quoſdam Iudaicos de circūciſione & Sabbato deſcripſiſſet deteſtatúſque eſſet, ſubiicit,

Atque vtinam nunquam Iudæa exciſa fuiſſet "
Pompei bellis, Imperióque Titi. "
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt, "
Victoréſque ſuos natio victa premit. "

Quod ego ad Chriſtianos pertinere arbitror, quorũ tum ſancta religio latius radices egerat, & quib⁹ vt Iudæis Rutilius vltrò infeſtus eſt. Porrò quod ait Suetoni⁹ impulſore Chreſto, de Chriſto ipſo, licet falſò & impiè ab eo dictum intellectúmque nõ dubito, vt qui iam ſciam veteres gentiles, veri nominis ignoratione, Chreſtum & Chreſtianos, non Chriſtum aut Chriſtianos dixiſſe. Id me vnus hîc Tertulliani locus in Apologetico docuit. Si " nominis (inquit) odium eſt, quis nominis reatus? quæ accuſatio vocabulorum? Niſi ſi aut " barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut inf- " auſtum, aut maledicum, aut impudicum. Sed " & cũ perperam Chreſtianus (ſic ex ſequẽtib. " ſcribẽdum arbitror vt & apud Tacit. lib. xv.) " pronunciatur à vobis (nam nec nominis certa " eſt notitia penes vos) de ſuauitate vel beni- " gnitate cõpoſitum eſt. Oditur itaq; in homi- " nibus innocuis etiã nomẽ innocuum. Hactenis Tertulliani verba, ex quibus ſanè quod propoſui confectũ credo. χρηστος enim ſuauẽ facilem & benignũ ſignificat. De quo etiã nomine elegans eſt Auſonij epigrãma ſemiGraium & ſemi Auſonium, quod nihil eſt neceſſe hîc exſcribere. Inde & Pertinacẽ Chreſtologũ

vulgò dictum Capitolinus ſcribit, quod verbis magis quàm reipſa benignus eſſet, hoc eſt, vt Aurelius Victor eleganter expreſsit, blandus magis quàm benignus. Non erit etiã valde alienum hîc adiicere nomẽ affine, quo veteres inter σημεῖα aliquando vſos notaui, vt cũ quid in alienis ſcriptis vitandum putarent, ἄχρηστον adſcriberent, cùm quid vtile χρήσιμον.
» Caſsiodor. lib. j. inſtitut. Diuin. ſcript. Ticonius (inquit) Donatiſta in eodem volumine quædã non reſpuenda ſubiunxit, quædã vero venenoſa dogmatis ſui fecilenta permiſcuit. Cui tantum in bonis dictis Chreſimon, in malis Achreſton, quãtùm trãſiens valui reperire, vt arbitror, cõpetenter adfixi. Ex quo alterũ eiuſdẽ auctoris locũ emẽdandum cenſeo, vbi
» de Origenis Adamantij libris loquitur. In operibus (inquit) eiuſdem Origenis, quantùm tranſiens inuenire præualui, loca quæ contra regulas patrũ dicta ſunt, ac hereſeon repudiatione ſignãs. Sic habet vetus & optimus liber, in quo tamẽ reponẽdũ arbitor Achreſton vel ἀχρήστου. Solebãt etiam veteres theta adſcribere pro veruto his quæ non probarent. Sidonius,

» *Iſti qui valet exarationi*
» *Diſtrictum bonus, applicare Theta.*

quæ fuit etiam Triumuirorum capitalis nota. Verùm, vt ad rem tandem redeamus, hoc totum de Chreſto impulſore mendacium, ſiue à Suetonio confictum, ſeu potius ex vulgi fama

& opinione relatum, minùs mirabitur, qui nõ ſolùm veterum ethnicorum (vt à noſtris quidem appellãtur) de Iudæis & Chriſtianis nugas legerit, inter quas & Hadriani ad Seruianum epiſtolam refero, ſed & ipſorum Iudęorum de Chriſto, quem & in Hebraica hiſtoria Chreſtum appellát, & ad Pompeij aut Veſpaſiani tempora inepte referunt. Cæterum, quod Sulpitius ſcribit, Iudæos Hieroſolimæ aditu ab Hadriano prohibitos, valde pertinet ad eum Apologetici locum in quo Tertullianus qui poſt Hadrianum ſub Seuero vixit, de Iudæis loquens, *Diſperſi* (inquit) palabundi, " & ſoli & cœli ſui extorres, vagãtur per orbẽ, " ſine homine, ſine deo rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur. Hoc etiam fortaſſe conſilio Hadrianus Æliam, id eſt, Hieroſolimam inſtaurãs in fronte eius portæ, quæ ad Bethleẽ erat ſuem in marmore ſcalptum propoſuit, vt Caſsiodor in Chronico ſcribit: qui tamen aliam quoque eius rei rationem adfert.

Kalendarij, Iduarij, Relegere, Alpheni, Perſij & Catonis loci emendati. C*AP*. *IIII*.

MEmini ab antiquo gloſſario in M. Ciceronis Catilinaria priore, dũ ait, Prætermitto " ruinas fortunarũ tuarũ quas omnes impendere " tibi proximis Idibus ſenties, adnota- "

tum, fœneratorũ hanc olim fuiſſe cõſuetudinem, vt vltra ſtatutũ Kalendarũ diem, in Idus cõcederent dilationem: itáq; fieri ſolitum, vt quę in Kalendas fœnerauerant, idibus reciperent & relegerent. Cuius moris exemplũ etiã adfert ex Horatij Epodo ſanè quã appoſitũ.

» *Hæc vbi loquutus fœnerator Alphius*
» *Iam iam futurus ruſticus,*
» *Omnem relegit idibus pecuniam,*
» *Quærit Kalendis ponere.*

Poſſunt & alia eius rei exempla profferri plura, ſed hoc ſatis eſt. Inde verò Kalẽdariorum & Iduariorum corpora dicta arbitror in veteri inſcriptione quæ ab Appiano inter cęteras relata eſt. Habebant enim ciuitates, vt & priuati, Kalendaria ſua, ex quibus qui fœnori ponebãt & collocabãt, Kalendarij, & curatores Kalendarij, qui relegebant, Iduarij, vt opinor, dicebantur. Interdum autem etiam in lege ſolebat adiici vt Idibus demum ſolueretur. Exemplum eſt apud Catonem in lege
» oleæ pendẽtis. Ponderibus modiíſque domi-
» ni datu iri (ſic legendũ vt ſignificet Datũ iri)
» primæ cotulas duas. Dies argento ex Kalend.
» Nouemb. Menſ. x. Oleæ legẽdæ faciundæque
» quæ locata eſt. Et ſi emptor locarit, Idibus
» ſoluito. Cuius rei æquitas manifeſta eſt. Proferam & aliud exemplum non ſatis vulgò notum. Vectigalia P. R. menſe Martio Redẽptoribus & Publicanis locari ſolita Macrob. lib. j.

Saturnal.tradit,& verum eſt. Solebant & eodem menſe,priuati agros ſuos colonis locare. Sed non fuit idem omnino ſolutioni præſtitutus dies. Nam horum ferè penſiones Kal. Martiis inferri à colonis debebāt:At vectigalium locationes in Idus Martias ita conferebantur,vt exinde redemptor frui inciperet & proximis quibúſq; Idib. Mart. conductionis pretium ſolueret.Itaq; Cæſar cū inſulæ Cretę cotorias locaret legē ita dixerat,NE QVIS PRÆTER REDEMPTOREM POST IDVS MARTIAS COTEM EX INSVLA CRETA FODITO, NEVE EXIMITO NEVE AVEHITO. Sic enim apud Alphenū Varū (qui Cęſaris Dictatoris & Auguſti tēporibus vixiſſe videtur)auehendi verbū reponēdū reſtituendúmq; arbitror,ex quo tota propoſitę quęſtionis dubitatio pēdet.Quod bona noſtrorū venia παρέργως dixiſſe liceat.Sic & in æneis legis Liuiæ Agrariæ fragmentis ſcriptum legimus PEQVNIAM POPVLO EX EID. MART. QVÆ. POSTEA. QVAM VECTIGALIA. CONSISTENT. QVÆ. POST.H.L.R.PRIMVM. CONSISTENT. PRIMÆ. ERVNT.

Porrò,nō deſunt qui in eo Horatij verſu [redegit] ſcribi malint, quod tātùm abeſt vt mihi vnquam probari potuerit, vt nullum aliud relegendi verbo ad rem accommodatius pu- "
tem.Idem Cato. Die lanam & agnos vendat,

Menſes x. à coactore releget. Apud Perſium Sat.v.vbi vulgò legitur,

» *Quæ dederam ſuprà repeto,funémque reduco.*

veteres libri habent,

» *Quæ dederam ſuprà relego,funémque reduco.*

Quod perſpicuè rectum eſt. Eſt & relegendi verbum quodammodo religioſum apud Arnob.lib.iiij. aduerſ.gent. Non tempero mihi quin illud hîc adiiciam, videri apud Catonẽ cùm legem vino in doliis tradit,pro dominus
» reſoluito, legendum,Domino reſoluito. Vi-
» num(inquit)accipito ante Kal.Ian. primas. Si
» non antè acceperit,dominus vinum admetie-
» tur. Quod admenſum erit, pro eo dominus
» reſoluito.Immo vero domino.Vẽditor enim Domin⁹ Catoni perpetuò dicitur, cui ab emptore res ſoluitur, id eſt, precium. Interdum tamen & dominus reſoluit, pro ratione eius quod admenſum nõ eſt,videlicet, ſi pretium promutuum acceperit. Ideo enim menſura fit à venditore, vt intelligatur quantùm emptori perierit.Sed hoc ad Catonis ſententiam nihil,niſi fortè quis malit eum locum ſic le-
» gere,Quod admenſum nõ erit,pro eo Domi-
» nus reſoluito.Nec id quidẽ recti ſpecie omnino carere videbitur. Illud aliquanto certius, in eadem formula Catonis verba ſic potius
» diſtinguenda. Quod neque aceat neque mu-
» ceat id dabitur. In triduo proximo viri boni
» arbitratu,deguſtato.

Sidonij Apollinaris verſus emendati. Cloio, Atax Nicer, Rhetus, Scaldis, Theudoris, Aetius, Carpilio. CAP. V.

IVuat maximè in veterum monumentis aliquid quod ad hiſtoriam gentis noſtræ pertineat adnotaſſe: vel eo maximè quod in ea quę mille annos excurrit, velut in aliena patria peregrinari, & quaſi hoſpites diuerſoria quærere cogimur. Apud Sidonium Apoll. in Panegyrico quem ille Maioriano A dixit, deſcribitur pugna, qua Maiorianus, qui Auito in Imperio ſuccesſit, Frãcos Gallias inuadentes ad vicum Helenam in Attrebatibus, nec opinato irruẽs, in fugam vertiſſe dicitur. Conſtat verò (Chlogionẽ, quem alij Chlodionem appellant, à Diſpargo, quod in finibus Thoringorum caſtrum erat, profectum, Rhenum tranſiiſſe, ac protritis Romanis Carbonariam tenuiſſe, inde misſis exploratoribus Tornacum primò, pòſt etiam Camaracum veniſſe. In qua, ſede ſibi cõſtituta paululum moratus (nam ab Aëtio, qui tũ Gallias Patricius regebat, expulſus refertur) obuia omnia ad Summum fluuium occupauit, tum quidem Gallias regente Aëtij ſucceſſore Ægidio. Atqui nobiliſsimi & fortiſsimi Regis nomẽ apud ipſum Sidoniũ adeò turpi macula obductum inquinatúmq; eſt, vt vix, ac ne vix quidem agnoſci poſsit. Eluta vero ea deterſáq; erit ſi eũ locũ ex auctoritate veterum librorũ ſic legamus,

» *Poſt tempore paruo*
» *Pugnaſtis pariter Francis, qua Cloio patentes*
» *Atrebatum terras peruaſerat: hic coeuntes*
» *Claudebant anguſta vias, arcú que ſubactum*
» *Vicum Helenam, fluménque ſimul ſub tramite longuo*
» *Artus ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.*

Surſum etiam reſpice, & nobiliſsimos Galliæ amnes in nomen curſumq́; ſuum ſic reſtitue.

» *Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana,*
» *Ledus,*
» *Clitis, Elaris, Atax, Vacalis, Ligerémque bipenni*
» *Exciſum per fruſtra bibit.*

Reddantur verò & ſua Rhetorum antiquiſsimæ genti, & Nicro amni nomina, apud eundem in Panegyrico altero, quem Auito dixit, atque ita legatur.

» *Rhetum Burgundio cogit,*
» *Chunnus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna, Thoringus,*
» *Bructerus, vluoſa quem vel Nicer abluit vnda*
» *Prorumpit Francus: cecidit cito ſecta bipenni*
» *Hercinia in lintres & Rhenum texuit alno.*

Significat autem, quantum intelligo, Alpeſtrem Rhetum qui Burgundioni proximus aliquando fuit. Neſcio quo iure, quáue iniuria, & Scaldis nomen amiſerit apud Cæſarem in quibuſdam editionibus, eo loco, quem ex ve-
» terum librorum ſcriptura adiiciam. C. Trebo-
» nium cum pari legionum numero ad eam re-
» gionẽ, quę Atuatucis adiacet, depopulandam
» mittit. Ipſe cum reliquis tribus, ad flumen
» Scaldem quod influit in Moſam, extremáſ-
» que Arduennæ partes ire conſtituit. Placet &

hîc vna eádemque opera, quãdo adhuc liber præ manibus eſt, alterum clariſsimi regis nomen apud eundem Sidoniũ reſtituere. Ita verò ſcriptum eſt in Car. vij.

Probat hoc iam Theuderis, altum "
Exemplum officij : Res mira, & digna relatu. "
Quod fueris blandus regi placuiſſe feroci. "

Vulgò malè. *Probat hoc Theodorus vt altum.* "

Significat autem Theuderim ſiue Theudericum, Gotthorũ regem, non eum quem auctor idẽ graphicè admodũ deſcripſit lib. j. Epiſt. ij. ſed priorẽ alterũ q̃ Catalaunica pugna Aëtio ſuppetias tulit & occubuit, quémq; idẽ auctor poſtea pellitũ principẽ vocat. Sic paulò pòſt,

In Rhodanum proprios producere fines "
Theudoridæ fixum. "

In eodem carmine.

Væ mihi qualis eram, cùm per mea iuſſa iuberet "
Sylla, Aſiæ gentes, Curius, Paulus, Pompeius, "
Tigrani, Anthiocho, Pyrrho, Perſæ, Mithridati, "
Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum. "

In veteri libro pro, Aſiæ gentes, ſcriptum eſt, Aſiagenes. Significare proculdubio voluit Cor. Scipionẽ Africani fratrẽ, q̃ deuicto Antiocho Aſiatici cognomẽ accepit. Idq́; certi' relationis ordo poſtulat. At quomodo verſus ita cõſtet, nõ ſatis video. Aëtius Galliarũ, dum ad vixit, columen, Gaudentij Mœſij vel Scythæ filius, à puero Prætorianus, tribus annis Alarici obſes, de hinc Chunnorum, poſt hac Carpilionis gener, ex comite domeſticorum,

Ioannis Tyranni curã palatij geſsit, vt Renatus Frigeridus ſcribit. Caſsiodorus lib.j. Var. for. Carpilionem, Aëtij filium facere videtur, dum ſic ex Theuderici perſona de ſuo ipſius
» patre loquitur. Patricio Aëtio ꝑ iuuãda Rep.
» magna fuit charitate ſociatus. Quẽ tũ rerum
» dñs propter ſapientiã ſui, & glorioſos in Rep.
» labores, in omni cõſilij parte ſequebatur. Ad
» Attilam igitur potentem armorum, cum ſu-
» pradicti filio Carpilione legationis eſt officio
» non incire deſtinatus. Quæ ſi componere volumus, aut pro filio, ſocero legendum, aut certè potius fatẽdum, Aëtij quoque filio, Carpilionis aui materni nomen inditum.

Leuatio Imperatoris & nouæ nuptæ.
CAP. VI.

NON eſt alienum à reipſa loquẽdi genus, quo poſterioris ſæculi ſcriptores paſsim vſos legimus, cùm leuatum aliquem in regem vel imperatorem dicunt, imperatorem vel regem factum creatùmque ſignificantes: quo etiam modo Claudianum loquutum arbitror illo verſu,

» *Sed mox cùm ſolita miles te voce leuaſſet.*

Fuit vero id moris non Barbararum tantum olim gentium, ſed ipſorum aliquando Romanorum, vt quem imperatorem facerent, eum in alterum tollerent. Amm. Marcell. lib xx. de Iuliano, à Gallicanis militibus principe re-

nuntiatio. Impoſitúſque (ait) ſcuto pedeſtri, «
& ſublatius eminens, populo ſilente, Augu- «
ſtus renuntiatus, iubebatur diadema proferre. «
Vbi pro populo, vel vt liber manuſcriptus ha
bet, vllo, lubentiſsimè repoſuerim, nullo, vt
ſignificet ſolita omnium voce leuatum. Zo- «
nar. in Iuſtiniano, καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον «
ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα. Cornel. Tacitus de «
Caninefatibus lib. xx. Impoſitúſq; ſcuto mo- «
re gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, «
dux eligitur. De Gothis Caſsiodor. lib. x. var. «
for. Indicamus parentes noſtros Gothos in- «
ter procinctuales gladios, more maiorum ſcu- «
to ſuppoſito (ſic legendum) regalem nobis «
contuliſſe præſtante Deo dignitatem, vt ho- «
norem arma darent, cui opinionem bella pe- «
pererant. Ado. Vienn. de Chlotarij filiis lo- «
quens, ſcribit, Sigebertum contra Chilperi-
cum fratrem profecturum à Frãcis, more gen-
tis, clipeo impoſitum, regem eſſe cõſtitutum.
De hac quoque leuatione ſi quis exaudiat
quod Capitol. in Gordianis ſic ſcribit, for-
taſſe non longè aberraſſe videatur. Properè «
(inquit) ventum eſt ad oppidum Tyſdrum, «
inuentùſque ſenex venerabilis poſt iuriſdi- «
ctionem iacẽs in lectulo, qui circunfuſus pur- «
pura humi ſe abiecit, ac retractans eleuatus, & «
imperatorem ſe appellari paſſus eſt. At ego «
tam anxiè ingenioſus eſſe nolim, qui ne tum
quidem hoc in more Romanis fuiſſe credide-

rim. Quam & idem Capitol. in Max. & Balb.
„ Inter hæc (ait) Gordianus Cæſar ſublatus à
„ militibus Imperator eſt appellatus. Quod
„ Herodianus ex quo ille multa tranſtulit, ſub
finem lib. viij. ſic expreſsit. ὡραμένοι δὲ τὸν γορδια-
„ νὸν καίσαρα ὄντα αὐτοκράτορά τε ἀναγορεύσαντες ἐπὶ δὴ
„ πρὸς τὸ παρὸν ἄλλον οὐχ εὑρόν. Nouam quoque nuptam in altum tolli ſolitam Optatus Mileuitanus epiſcopus indicat lib. vj. de Sciſmat. Donatiſt. teſtatus ſolennia illa in ſecundis nuptiis obſeruari nō ſolita. Quod ſi priſci quoque moris apud Romanos fuit, ſanè non mirum, nec ea quidem à Catone obſeruata, cùm Marciam poſt Hortēſij obitum reciperet. Sed cùm id Ann. Lucanus temporum potius infœlicitati, & Catonis ipſius ſeueritati tribuat, ꝓfectò indicio eſt, priſci id Romani nō fuiſſe, ſed Africani potius moris & cōſuetudinis: Vt & in illis Sidonianis nuptiarum ritibus lib. j. epiſt. v. Gotthicum quiddam Romano admixtum, nō immeritò aliquis ſuſpicetur. In quibus vt id quoque obiter moneam pro gymnaſia, Thalaſsia, legendum arbitror, Per omnia
„ ſia, Thalaſsia, legendum arbitror, Per omnia
„ theatra, macella, prætoria, fora, tēpla, gymna-
„ ſia, Thalaſsio Feſcēninus explicaretur. Quod veterum librorum auctoritate confirmatur, in quibus Auguſti filia Patricio Ricimeri nupta Aſcela dicitur. Cæterùm ſi quis in altū ſublationē apud Optatum de eo ritu accipiat, quo noua nupta cùm ad mariti domum peruētum

erat in altum tollebatur, vt ne limen contingeret, atque ita quodam mimo inuita virginitatem amittere videretur, fortaſsis id ſecundis nuptiis non conueniſſe arbitrabitur. At hæc interpretatio adeò mihi aliena videtur, vt nũc quidem valde diſpliceat.

Minorum gentium patricij Sueton. Tranquilli loci emendati. CAP. VII.

Liuius libro j. Priſcus non minus regni ſui « firmandi quã augendæ Reip. memor, cen- « tum in patres legit, qui deinde, Minorum gen « tium ſunt appellati. Factio haud dubia regis, « cuius beneficio in curiam venerant. Ait, Deinde, id eſt, vt ego quidem interpretor, à L. Bruto. Tacit. lib. xj. Iiſdem diebus in nume- « rum patriciorũ adſciuit Cæſar vetuſtiſsimum « quemque è Senatu, aut quibus clari parentes « fuerant: paucis iam reliquis familiarum, quas « Romulus Maiorum, & L. Brutus, Minorũ gen « tium appellauerant, exhauſtis etiam quas Di- « ctator Cæſar lege Caſsia, & princeps Augu- « ſtus lege Senia ſublegere. Maiorum gentium « ſunt genere & ſanguine Patricij, id eſt, patrũ à Romulo lectorũ progenies: Minorũ verò, cooptatiõe in patres poſtea patricij facti. Inde & tranſlatione quadã ex Diis eleganter quidam Maiorũ gẽtium à M. Tullio dicũtur. Minorũ verò gẽtiũ appellatio, corrupta eſt, vt opinor,

apud Sueton. In Auguſto: cuius locum vti in veteri & optimo exemplari conceptus eſt, ita
» referam. Ea gens (inquit de Octauia loquens)
» à Tarquinio Priſco rege, interminos gentes
» allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in pa
» tricias traducta, procedente tempore ad ple-
» bem ſe cõtulit. Vulgò tamen ſcriptum eſt inter Romanas gentes: quod erroris anſam quibuſdam præbuit. At minores gentes reponentem quia non ferat? Ex his autem intelligi poteſt, eos qui à Priſco in Senatũ allecti patréſque facti ſunt, non omnes primùm ex patriciis gentibus fuiſſe, ſed ex iis quorundam gentes à Seruio Tullio aliíſque deinceps regibus in patricias traductas, vt Octauiam: alias à Bruto iuſſu populi, vt Liuius lib. iiij. ſignificat, qui & eis fortaſſe cùm Senatũ ſuppleret, Minorum gentium nomen dedit. Quod ſequitur etiam
» in eodem exemplari, Ac rurſus magno inter
» D. Iulium in patriciã rediit, non auſim temerè reſpuere, qui ſciam veteres, magno, ſæpe abſolutè dixiſſe. Sed quando Senatorum incidit mentio, reponatur etiam paulò pòſt patrum nomen apud eundem Suetonium dum ſcribit
» de Auguſto. Sed vt cognouit Antonium poſt
» fugam à M. Lepido receptum, cęteróſque du-
» ces & exercitus conſentire pro patribus, cau-
» ſam optimatium ſine cunctatione deſeruit. Rectè, ſunt enim patres, Optimates. Illud hîc adiicere libet apud eũdem auctorem in D. Iulio,

lio, dum ſcribit, Omnem eum Galliã in prouinciæ formam redegiſſe, eiq; in ſingulos annos ſtipẽdij nomen impoſuiſſe: Inter hæc verba, Eíq; in ſingulos, in optimo exemplari purum eſſe quoddã interuallũ. Et verò aliquid deeſſe videtur. Quid autem ſi legamus? Eíque " in ſingulos annos H-S XL. ſtipẽdij nomine im " poſuit. Id ſanè Eutropius quoq; iiſdem penè " verbis reſtituit lib. vj. Breuiarij. Erroris porrò & mendi origo cauſáque manifeſta eſt. Tranquilli autẽ verba ſunt hæc. Omnem Galliam " quę ſaltu Pyreneo, Alpibúſque & monte Ce- " benna, fluminibúſq; Rheno & Rhodano cõ- " tinetur, patétq; circuitu ad bis & tricies cen- " tum milia paſſuum, præter ſocios ac beneme- " ritas ciuitates in prouinciæ formam redegit. " Eíq; H-S quadringẽteis in ſingulos annos ſti- " pendij nomine impoſuit. "

Dicis cauſſa, Ciceronis ad Atticum loci emendati. Itémque Hieronimi & Tertulliani vetus lectio defenſa. CAP. VIII.

DIcis cauſa exiſtimaui aliquãdo dictũ eſſe tanquã dicationis cauſa, cùm quod in ſacris multa à veteribus vtcunque fieri ſolerent quo religione defungerẽtur, quemadmodum eis Tertull. exprobrat in Apolog. tum quod ſimulata pro veris accipi ſolerent, vt in illud Virgil. Seruius notat,

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa.

„ Vnde (inquit) cùm de animalibus quæ diffi-
„ cile inueniuntur ſacrificãdum eſt, de pane vel
„ cera fiunt. Hinc illud,

„ *Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.*

Sic & in templo Iſidis ſparſa aqua de Nibo eſſe dicebatur. Inde etiam ceruaria ouis Sext. Pompeio, quæ pro cerua immolatur. Inde Tauros verbenáſque in commentario ſacrorum ficta farinacea ſignificaſſe idem ſcribit. Exiſtimaui etiam dicis cauſa, dictum tanquam δικὴς vel dicæ cauſa. Nam & in veteri Lexico ſic redditur, νόμου χάριν, ὡς παρὰ γαΐῳ τῷ νομικῷ: vt videre poſsit fuiſſe hoc proprium Iuriſconſultorum verbum, apud quos certum eſt non minùs fictionum fuiſſe & imaginum quàm apud Pontifices. Sed quando M. Varronis auctoritas hac in re ſumma eſt, qui lib. v. de Ling. Lat. vt addictum, ita & antiqua illa, Dicis cauſa & Dicis, immò à verbo dico, dicis deducit, fateor tandem Dicis cauſa dictum, vt προφάσεως ἕνεκα, vel λόγου χάριν. Accidit verò huic formulæ, quod cæteris ferè rebus humanis, vt multis locis ſenio deturparetur. Ex iis hîc vnum proferre inſtitui. Apud Ciceronem lib. j. Epiſtol. ad Atticum, vbi
„ ſcriptum eſt in vulgatis codicibus, Metellus
„ eſt Conſul egregius, & nos amat, ſed immi-
„ nuit auctoritatem ſuam, quòd habere dicit
„ cauſam promulgatam. Illud idem de Clo-
„ dio. Vetus & optimus liber habet, ſed im-

minuit auctoritatem ſuam, quod habet dicis
cauſam promulgatum illud idem de Clodio.
Vnde ſtatim coniicio reponendum. Quod
habet dicis cauſa promulgatum illud idem de
Clodio. Dicis cauſa habet, id eſt, fert leui
ter, defunctoriè & tralatitiè, nec auctoritate
ſua hac in re vtitur, quamuis ſit magni pon-
deris & momenti. Apud eundem Epiſtola pri
ma, in eodem exemplari ſic ſcriptum reperi,
Aquilium non arbitramur, qui & negant &
iurauit morbum & illud ſuum regnum iudi-
ciale oppoſuit. Itaque ſic lego, Qui & nega-
uit & iurauit morbum. Iurat morbum, qui ſa-
nitatem eiurat, Eiurat, qui iurat quod deſide-
ratur à ſe præſtari non poſſe, ait Sex. Pōpeius.
Ex quo eiurandi verbum apud Varronem &
Ciceronem à doctiſsimis hominibus iure re-
poſitū eſt. Puto & apud. Hieronimum repo-
nendum in lib. de Monogamia ad Gerōtiam,
vnde eum viri ſummi neſcio quo iure extur-
bant, contra veterum librorum, quam ipſius
proferunt, fidem. Hierophantia (inquit) apud
Athenas eiurat virum, & æterna debilitate fit
caſtus. Hoc quid clarius, quid rectius? Sed illi
non ſatis oculatè euirat, legunt. Sic & Tertull.
à quo Hiero. multa ſæpe mutuatur, & cōmer-
cium, & patrē matrémq; eiurare dixit. Apud
eūdem Tertull. in exhortatione ad caſtitatem,
veterem ſcripturam retineo, atque ita lego.
Cúm autem Deus ſummus tantùm, Satanas,

" ad perficiẽdum prouocatio eſt noſtra, immò
" ſubfuſio pigriſsimorum ad continẽtiam Deo
" exhibendam, qua diabolo qui antiſtant, nunc
" virginitate, nunc viduitate periurant, &c.
Periurare dicit, quia diabolo iurant non Deo. Apud eundem auctorem in Apologet. vbi de Socrate loquitur deierandi verbum ſimplici-
" ter accipio, vt apud Terent. Donatus. Dæmo-
" nas (inquit paulò pòſt Tertull.) id eſt, Genios
" adiurare conſueuimus, vt illos de hominibus
" exigamus, Non deierare, vt illis honorem
" diuinitatis conferamus. Adiurare eſt exorcizare, vt & exorciſtas Latinè adiurantes verti Iſidor. ſcripſit. Poſteriores coniurare dixe-
" runt non tam aptè. Sext. Pomp. Obiurare eſt
" iureiurando obſtringere. Pręiurare eſt præire
" verbis conceptis iurantibus. Itaque præiura-
" tiones facere dicuntur ij, qui ante alios con-
" ceptis verbis iurant, poſt quos in eadem verba
" iurantes tantũmodo dicunt, idem in me. Huc nos, ſed longius fortaſſe quàm par fuerat, verborum prouexit coniugatio.

Deligati qui ſint & de iis, Sueton. & Spartiani, loci notati. CAP. IX.

QVemadmodum ordinem quẽdam Libertorum fuiſſe notatum eſt, vt quidam primi, quidam ſecundi tertiíque dicerentur, Ita

& ſeruorum tres quodammodo gradus ſtatui poſſunt. Primi actus ſunt frugi ſerui, vt Actores, Diſpenſatores, Ordinarij: Secundi ſeu medij, vulgares, vt mediaſtini: Tertij quales quales viliſsimi, ceu quos in neruo & compedibus veteres habuerunt. Hi non à noſtris tantùm auctoribus, ſed & ab aliis paſſim compediti & vincti dicuntur. Apul. Apolog. j. Quindecim liberi homines populus eſt, totidem ſerui familia, totidem vincti ergaſtulum. Dicuntur & alligati à Columell. libro j. cap. vlt. dum ſcribit, Vineta plurimùm per alligatos excoli. Puto & eodem ſenſu deligatam dici à Sueton. In Veſpaſiano, vbi vulgò delegatam legitur. Sed adſcribam locum vti quidem in optimo & vetuſtiſsimo libro extat. Inter hæc (inquit) Flauiam Domitillam duxit vxorem, Statilij Capellæ equitis Rom. Sabratenſis ex Africa, deligatam olim Latinæque conditionis: ſed mox ingenuam & ciuem Romanam Recuperatorio iudicio pronunciatam, patre aſſerente Flauio Liberale Ferenti genito, nec quicquam amplius quàm Quæſtorio ſcriba. Domitilla igitur manumiſsione primùm Latinæ conditione facta eſt, licet aliquando deligata. I. C. noſtri fortaſſe dicerent, dediticiorum numero fuiſſe. Sed neque mihi poſt legem Aeiliam pœnæ cauſa vinctam conſtat, & videntur vetuſtiores duo ferè genera liber-

tatis in manumiſsis ſtatuiſſe, Iuſtam ſiue maiorem, & Latinam: & ex Latinis alios Iunianos, alios Dediticiorũ numero dixiſſe: quanquã hæc in libris noſtris ſubtilius diſtinguntur. Ex his etiam viderit qui volet, an non & apud Aëlium Spart. in Hadriano deligatorum nomen de compeditis & vinctis accipi poſsit, dum ſcribit, Corrupiſſe eum Traiani libertos, curaſſe deligatos, eoſdem ſepeliſſe per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit. Vulgò tamen ſcriptum eſt delicatos, quod de iis accipi poteſt, qui Principi in deliciis erant: & hoc quidem fortaſſe rectius. Verùm hîc ego me non ex Tripode oracula fundere, ſed coniecturas & opiniones meas, id eſt, hominis dupondij nugas proponere memini: in quibus coargui, vincíque ab omnibus facilè patiar, dum meliori aliqua ratione innitãtur. Porrò ex compeditis, alios fuiſſe puto pœnæ cauſa vinctos, quorum ſcilicet corpori vincula iuſtè addita eſſent propter noxam aut flagitium, alios non pœnæ cauſa, ſed cuſtodiæ aut ex officij more: quemadmodum de L. Octacilio Rhetore, Sueton. ſcribit, ſeruiſſe eum aliquando, & hoſtiarium veteri more, in catena fuiſſe. Quod pluribus aliorum quoque auctorum locis confirmari poteſt. Illos lex Ælia à libertate iuſta remouet, ante quam nihilominus Octacilius ciuis Romanus manumiſsione effectus eſt: Ad hos

verò ea lex nihil pertinuiſſe videtur. Quanquam Sueton. in Auguſto generaliter ſic ſcribit. Hoc quoque adiecit,ne vinctus vnquam " tortúſue quis vllo libertatis genere ciuitatem " adipiſceretur, quod proculdubio ad legem " Aëliam referendum, quam auctore Auguſto latam veriſimile eſt.Sed ex eiuſdem legis verbis ab Vlpiano noſtro relatis ſic accipiendum, Ne vinctus vnquam,pœnæ cauſa, ſcilicet ob delictum, tortúſue propter noxam & nocens inuentus. Niſi fortè ex his aliquis ius hoc nouum malit eruere,Vinctos aliquãdo ob quamlibet cauſam, quoquo tandem modo manumiſsi fuerunt,lege Ælia,vt ciuitate Romana indignos,à iuſta libertate omnino remoueri.Sed ex eadem lege, Eos tantùm qui pœnæ cauſa vincti ſunt, quolibet modo manumiſſos,non niſi dediticiorũ numero fieri, cæteros non pœnæ cauſa vinctos & manumiſſos Latina libertate donari poſſe. Sanè Zonaras To.II.hiſtoriæ ſcribit,Cùm Veſpaſianus Imper.Ioſephum quem diu in vinculis habuerat ſoluere vellet,Tito hortante vt ei vnà cũ vinculis ignominiã demeret,approbante Veſpaſiano catenã ſecuri diſſectam. Hoc autem mimo cõpedum nota & ignominia eluebatur, cùm vincula non ſoluebãtur modò,ſed etiam diſſecabãtur. Atq; id quidẽ erga eos vſurpari ſolitũ erat qui per iniuriã vincti fuerãt.Quod ille ipſius penè Ioſephi verbis retulit ex lib.v.

Belli Iudaici, Hoc aliis fortaſſe ἔργον mihi πα-ρέργον eſt.

De Apuleio, & ex eius libello de Dæmonio Socratis nonnulla emendata. CAP. X.

QVædam ſunt à veteribus ſummo ingenio viris tanta diligentia tantáque accuratione cōſcripta, vt non immerito alicui antiquiora multo quàm ſint, videri queant. Ex hoc ego genere eſſe ſuſpicor Petronii noſtri & Apuleij nugas quidem, ſed doctas planè & omni lepore omníque eruditione refertas. Quanquam qui hunc ipſum, Apuleium dico, cuius Lactantius Firmianus meminit, quémque Macrobius inter veteres conuiualium quęſtionum ſcriptores referre videtur, Theodoſio poſteriorem facere volet, meo iudicio, non ſatis rectè perſpecta temporum ratione ſenſurus eſt. Nam quod legitimum tempus luctus alicubi annuum facere videtur, quod à Theodoſio primùm inductum dicitur, aduerſus tot contrarias coniecturas, non ſatis vna eſt, & ea quidem infirm. At nec illa certior de capitali adulterij pœna, quam ego leuiter tranſilire non dubitem, atque ita ſentire: Apuleium Afrum, Platonicum Philoſophum & Magum circa tempora diui Pij, & deinceps vixiſſe videri. Nam & Hadriani imperatoris meminit, Apologia pro ſeipſo j. & Scipionem Orfitum,

Lollianum Auitum, itémq; Maximum, quorum omnium vt æqueuorum frequens apud eum mentio eſt, ſub Diuo Pio vixiſſe, & plures ex iis ſub eodem conſulatum geſsiſſe certum eſt. Sane Imperator Seuerus in Epiſtola quadam ad Senatum quę à Capitolino refertur, Apuleij ſic meminit. Maior fuit dolor „
quod illum (de Clodio Albino loquitur qui „
Adrumętinus fuit, vt Apuleius Madaurenſis, „
vterq; Afer) pro liberato laudandum pleritq; „
duxiſtis, cùm ille næniis quibuſdam anilibus „
occupatus, inter Mileſias Punicas, Apuleij ſui „
& ludicra literaria conſeneſceret. Hîc præter „
Aſinum libros Floridorum ſcripſit: Quorum ego partem quandam eſſe arbitror libelli, qui de Deo Socratis paſsim inſcribitur, initium, quod & ad inſtar Pancarpiæ cuiuſdam eſt vſque ad illa verba, Iamdudum ſcio, vbi deeſſe diſputationis de Dæmonio principiũ ab Apuleio Græcè ſcriptum ſequentia indicant. In his ego quæ ſuperſunt pauca hîc è multis adnotaturus ſum, quę magna ex parte Iac. Cuiacij Iuriſconſultorum facilè principis & præceptoris mei libro, vt cætera omnia doctrinæ & eruditioni ipſius accepta me referre par eſt. Nã ſi quid eſt in me literarũ, quod ſentio tamen quàm ſit nihil, aut perexiguũ, vel ego à viro ingenioſiſsimo & ſcientiſsimo didici, vel eius veſtigia quo ad potui diligenter ſequutus, relegi & annotaui, quæ & ipſa acceſ-

ſionis iure reliquis cedant neceſſe eſt. Ait A-
„ puleius, Sed ne omnifariã noueritis & in iſto
„ vt ait Lucilius ſchedico & incondito experi-
„ mini, puto legẽdum. Sed vt me Lucilij locum
ex veteris ſcripturæ veſtigiis non iniuria ſu-
ſpicetur aliquis à Sext. Põpeio relatum in vo-
ce ſchedia, quę ipſe incondita poemata inter-
„ pretatur. Proinde in manu veſtra ſitũ eſt vel à
„ noſtra ſumere) vet. ſinuare. Neque inclinato
„ profundè ſitu,) vet. Neq; colliniato pro fron-
„ te. Quæ omni à vitio) Auitio, vno verbo ſcri-
„ bendum eſt ſic, Quæ omni Auitio longè prę-
„ cellit voce viduata. Nec argumentis ſit effe-
„ ctior) Vet. effoetior. Quanto longius ea ceſſat
„ à ſole (lego faceſſat à ſole. Vtraq; animarum)
vet. harum. At enim internuculos recens cõ-
gnitos) in vno Petroniani Satyrici exemplari
„ ita ſcriptum reperi, Video quoſdam internu-
culos nudáſque meretrices furtim cõſpatian-
tes) De vtroque amplius deliberandũ cenſeo.
ſequitur apud Apuleium. Cùm vſus poſtulat
mala auerte,) vet. auerruncare. Eſt hoc verbũ
ex Lucilianis & Pacuuianis, qualia ferè Apu-
leius & Arnobius in deliciis habẽt. Varro. lib.
vj. Ab auertendo auerruncare, vt deus qui eis
rebus pręeſt Auerruncus. Apuleius de Neſto-
re paulò pòſt. Cui omnes ſciebant corpus an-
nis abire) vetus liber hebere. Sic Virgil.

„ *Sed enim gelidus tardante ſenecta*
„ *Sanguis hebet, frigéntque effoetæ in corpore vires.*

Sed hæc pauca iã multa ſunt, & nimis fortaſſe multa. Sicui tamen pauca videantur, infrà deſpiciat, inueniet. Et nihil æque miror. Quẽ totum locum vſque ad diſputationis extremũ ex Io. Saliberienſis Policratici lib. vj. reſtituat & emendet. Ex cuius tandem collatione facilè intelliget quot & quãta ſint in Apuleij ſcriptis nõ menda, ſed potius portenta mendorũ. Ac de hoc quidem lectorẽ monuiſſe ſatis eſt.

Eiuſdem ex Apologiis loci quidam. CAP. XI.

VEniant nunc in partes & quędam ex iis quæ in eiuſdẽ auctoris Apologiticis trãſcurſim adnotauimus. Quæ etſi poſsint.) Hũc totum locum ſic lego, Quę etſi poſsint ab his futiliter blatterata ob mercedem & auctoramenta impudentiæ deprehenſa haberi, iam conceſſo quodam more rabulis id genus, quo ferinæ ſolent linguæ ſuæ virus alieno dolori locare, Attamen &c. De patronis & aduocatis loquitur de quibus ferinæ linguæ virus dixit vt Appius caninam facundiam. Qui cùm aduerſum me eas literas promeret, profectò inuidit cupiditate lædendi:) pro inuidit, lego nihil vidit. Error natus eſt ex communibus vtriq; notis. Teuis quidam) malo, quidem, & Anacreontem ſignificari dico.

Et Critias mea deliteſcet ſalua Charinę
Pars in amore meo, &c.

Puto legendum,

» *Et Critias mea delicies, & ſalue Charine,*
» *Par in amore meo, vita tibi remanet.*

Pertinet verò maximè ad eum locum quod Auſonius in epiſtola quadã ſcribit, Eſſe Apuleium in vita Philoſophum, in Epigrãmatis,
» amatorem. Quoniam tamen mihi pro accu-
» ſatione largitur, atque ſupereſt.) Emendo largiter aquæ ſupereſt. Olim ad clepſidram ſolitos dicere oratores notius eſt quàm vt probatione indigeat. Inde illud ex eadem Apolo-
» gia, Mea aqua licet ad hoc vtare. Sequitur pau
» lò pòſt. Nihil in Philoſophos non modò ve-
» rè dici, Sed ne falſò quidem poſſe confingi
» quod non ex innocentiæ fiducia, quanuis li-
» ceat negare, tamen habeãt potius defendere)
hîc aliquando haueant pro habeant lubens repoſui, vt & apud Senecam lib. xiij. Epiſt. hauet pro habet, cùm de Philoſophia loquens,
» Nulla (inquit) ars alia de bonis & malis quæ-
» rit, ſingulas habet circum ire virtutes. Apud Hiero. ſanè in epiſtol. ad Demetriad. de virginit. ſeruanda, non dubito habitas poſſeſsiones ſcriptum pro, auitas. Sed cùm non diſsimili
» quoque loquẽdi forma Tertull. in lib. aduerſ.
» Valent. dixerit, Nec habens ſuperuolare cru-
» cem, & in Apologet. Si inimicos iubemur di-
» ligere quem habemus odiſſe, Vlpianus habere laborare, Marcellus habere operari: eáque phraſis Græcorum exemplis defendi poſsit, hîc nihil temere mutandum cenſeo. Arnob.

lib. v. Auet animus ſcire quibus eloquiis tam periculoſa negotia defenſuri, vel artibus habeatis quibus tam confeſsis ſalutem dare perſonis. Sequitur apud Apuleium ſatis longo interuallo, Audi ſis támnon impudens. lego Audi ſis Tannoni Pudens. Et paulò pòſt pro hamis iniucunda (hamis ineſcanda. Thallus pauimentis illuditur tu Tribunalib.) quis non videt legendum illiditur? Sed iam deſultoria quadam leuitate in alterã potius Apologiam tranſſultemus. Quid eſt dos ad ternuncium ſumpta? Lego ad teruncìũ ſumpta, id eſt, ſub vſura quadrantali. At qua tandem manu? Philomelæ, an Medeæ an Clitemneſtræ, quas tamen cùm ſaltas (tanta mollitia animi, tãta formido ferri eſt) ſine c. ſ. Sic eum locum ex parte reſtituo. Supra de eodem. Mox (inquit) in iuuentute ſaltandis fabulis exoſsis planè & eneruis, ſed, vt audio, indocta & rudi mollitia. Ita potius faciam quid illi exiſtiment nacti non putabo (lego, nauci. & paulo inferius pro ſœui hominis mulier (ſcæui ominis mulier. qui error eſt frequentiſsimus. Planè quidem ſi puerum vel is) repono, ſi verum, velis vt ſuprà. Immo ſi verum velis. At hæc tantum delibare inſtitueram.

Cancellarij, Secretarij. Vnde dicatur, & de iis, loci emendati. CAP. XII.

CAncellariorum nomen nõ adeò ſanè vetus, vt pote ſub poſterioribus demum

Impp. auditum, ſi quis à cancellando, id eſt, actis cancellatim lineis perducendo deduxerit, ſpeciosè quidem fortaſſe dicere videbitur, ſed à vero tamen ipſo lõgiſsimè aberit. Nam vt à cancellis potius dicantur, vel hæc vna maximè ratio ſuadere poteſt, quòd eorum ferè temporum ſcriptores à cancellis & cancellos agere dicunt Cancellariũ ſignificãtes. Caſsiodor. lib. ij. Inſtit. Diuinar. & humanar. ſcript. de Marcellino Illyriciano cui⁹ hodiéq; De-
„ florata extant. Is (inquit) adhuc Patricij Iuſti-
„ niani fertur egiſſe cancellos: Sed meliore con-
„ ditione deuot⁹, à tẽpore Theodoſij principis
„ vſq; ad fores imperij triũphalis Auguſti Iuſti-
„ niani opus ſuũ, Domino iuuãte, perduxit. Idẽ
„ lib. xij. Var. for. Sic enim proprie noſtros can-
„ cellos agitis, ſi læſorũ impia clauſtra ſoluatis.
Erricus monachus lib. vj. de vita Germani.

„ *Voluſianus erat præcelſo nomine quidam*
„ *Vrbis patricio toti dilectus & vrbi,*
„ *Atque à cancellis priſco de more miniſter.*

Sed rem totam bellè & accuratè conficiet. Caſsiodori. P.P. locus ex lib. xj. Var. in Can-
„ cellariatus codicillis. Hoc igitur (inquit) lau-
„ dabile præiudicium, ſententiam gratioſam,
„ militiam domeſticam à xij. indictione Can-
„ cellorũ tibi decus attribuit, vt conſiſtorij no-
„ ſtri ſecreta fideli integritate cuſtodias. Per te
„ præſentandus accedat: per te noſtris auribus
„ deſiderium ſupplicis innoteſcat: iuſſa noſtra

ſine ſtudio venalitatis expedias:omniáque ſic «
geras, vt noſtrã poſsis cõmendare iuſtitiá. A- «
ctus enim tui, iudicis opinio eſt. Et ſicut pe- «
netrale domus, de foribus poteſt cõgruenter «
intelligi,ſic mẽs præſulis,de te probatur agno «
ſci,Nec iniuria.Quia talem vnuſquiſq; ad re- «
ſpõſa ſua videtur eligere, qualẽ ſe cunctis de- «
creuerit æſtimari.Et paulò pòſt. Reſpice quo «
nomine nuncuperis,latere nõ poteſt quod in «
ter cancellos egeris,Tenes quippe lucidas fo- «
res, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas: Et «
quanuis ſtudioſè claudas, neceſſe eſt vt te cũ- «
ctis aperias. Nã ſi foris ſteteris, meis emẽdaris «
obtutibus.Si intus ingrediaris, obſeruãtiũ nõ «
potes declinare cõſpectus. Adſcripſi locũ latius,cũ quòd cancellariorum de quib.agimus conditionẽ plene cõtineat,tũ quòd in vulgatis libris ad finẽ corruptus ſit. Didici verò,tũ tẽporis non omnino diſsimili ſignificatione hæc vſurpata, cancelli & ſecretũ, vt iam non dubitẽ Secretarios dicere, quos cancellarios vocari audio.Secretũ noſtris Impp. Itẽq; Caſſiodoro & Marcellino,dicitur in quo iudices cauſas examinãt & earũ merita expẽdũt:quod & Secretariũ appellatur: Quomodo in veteri quoq; epigrapha Secretariũ Senat⁹ à Flauiano inſtitutũ proculdubio accipiẽdũ eſt,ꝙ tamen vir doctus & diligẽs ad ærariũ Saturni nõ apte retulit.Serui⁹ in li.j.Æneid.Ducũtur (inquit) «
iudices vſq; ad fores ſecretarij, ibidémq; of- «
ficiũ remanet, illi vero ingreſsi ſoliũ aſcẽdũt, «

„ & ſedent. Hæc ſecreta cãcellorũ ſeptis clauſa erant. Amm. Marcell. de aduocatis lib. xxx.
„ Cùm intra cancellorum venerînt ſepta, & agi
„ cæperint alicuius fortunę vel ſalus. Sido. quo-
„ que de Theoderici conſiſtorio loquens lib. j.
„ Epiſt. Cancellorum ſic meminit. Circunſiſtit
„ ſellam Comes armiger, pellitorum turba ſa-
„ tellitum ne abſit, admittitur, ne obſtrepat, eli-
„ minatur: Sicq; pro foribus immurmurat, ex-
„ cluſa velis, incluſa cancellis. Iã vero ab hiis ſecretorũ cancellis Cancellarios dictos quis nõ videt? Inde quoq; hodie cãcellarios aduocatos dicere nihil prohibet. Sed hoc ad rem nihil. Nõ fuit verò adeò magnæ dignitatis cancellariorũ officiũ ſub priſcis Impp. vt ex his
„ quę diximꝰ ſatis paret. Vopiſc. in Carino. Prę-
„ fectum vrbi vnum ex Cancellariis ſuis fecit:
„ Quo fœdius nec cogitari potuit quicquam,
„ nec dici. Caſsiodorus tamen cancellorum decus, pompam & glorioſam grauitatem appellat: Et lib. xj. de Ioanne Cãcellario ſic ſcribit.
„ Quis Ioannem non æſtimet meritò eſſe pro-
„ mouendum? qui noſtro iudicio cancellorum
„ olim ſumpſerit officium, & tunc iam præro-
„ gatiuam conſcientia meruit, quando ſecre-
„ ti munus iudicialis accepit. vbi vulgo male
„ decreti legitur: vt & paulò pòſt. Hinc igitur
„ prærogatiuarum ſententia noſtra confirmat.
„ cùm ſit legendum Hunc igitur Prærogatiua-
„ rium &c. quod vel formulæ titulus ſatis iudicat.

cat. Præfectus prætorio cui inter cætera annonæ totius ſumma procuratio impendebat, habuit in officio Cancellarios, quos per prouincias dimittebat, Saionibus deputatis. Hinc Campaniæ, Lucaniæ, Brutiorum, Samnij & aliarum prouinciarum Cancellarij apud eundem Caſsiodor. apud quem tamen Præfecti prætorio dignitas in Præpoſituram mihi degeneraſſe videtur, maximè tamē lib. j. Var. vbi de cancellariis agit: errore vt ſit ex notis orto, de quo hîc obiter monuiſſe ſatis erit. Hac tā neceſſaria & vtili adminiſtratione clariſsimos tandem factos Cācellarios minus mirum eſt. Præfectum quoque vrbi Cancellarios cum ſcribis in officio habuiſſe, indicare videtur antiquum edictū ex auctoritate Turcij Aproniani P.V. propoſitum, in quo ita eſt, Cōmo- «
dis omnibus ac præda damnata quam Tribu- «
nus, Officiū, Cācellarius & Scriba de pecua- «
riis capere conſueuerant. Verùm hîc omnia «
anxiè perſequi quæ de Cancellariis adferri poſſunt, neque animi, neque inſtituti eſt noſtri. Sed & quid ab Apocriſariis, qui ad reſpōſum quoq; ſunt, Itémq; ab inductionū & admiſsionū magiſtris cancellariorū munus differat, alterius erit loci oſtēdere. Illud hîc adiicere libet, quem hodie Cancellariū appellamus à rege in rebus ciuilibus ſecūdas tenentē, illū ipſum eſſe, qui à Latinis olim Sacri Palatij Queſtor, à Græcis πάρεδρος primū, poſt etiā

μέγας λογοθέτης dict' eſt. Pro quo Latinos quoque ipſos, ſua quidem ætate, Cācellarij nomē vſurpaſſe Nicetas ſcribit. Qua de re poſt Doctorem meum auctorum locos adnotaſſe, putidæ & ingatæ fuerit diligentiæ.

Metonis nomen apud Marcellinum & Auſonium reſtitutum. CAP. XIII.

SI certum poſſet nanciſci aduerſariũ infœlix Meton, profectò malè tractationis & iniuriarum rectè ageret: adeò vbique contra bonos mores miſerè habitus tractatúſque eſt. Sed agat iam ſanè momentariæ poſſeſsionis interdicto, & me executore, inſuperhabita temporis præſcriptione, vnde vi deiectus eſt, eo reſtituatur. Primúmque apud Amm. Mar-
„ cellinum lib. xxvj. vbi ſcriptum eſt. Spatium
„ anni vertentis, id eſſe periti mundani motus
„ & ſyderum definiunt veteres, inter quos Me-
„ non & Euctemon & Hipparchus & Archi-
„ medes excellũt, cùm Sol perenni rerum ſubli-
„ mium lege, polo percurſo ſignifero, quē Zo-
„ diacũ ſermo Græcus appellat, CCC. & LXV.
„ diebus emenſis & noctibus ad eundem redie-
„ rit cardinē. Reponatur, Meton & Eudemon, vt & apud Vitruuium Pollionem lib. ix. c.
„ VII. Quorum inuenta ſecuti, ſyderum & oc-
„ caſus & ortus, tempeſtatúmque ſignificatus,
„ Eudoxus. Eudæmon, Calliſtus, Meto. Eudæmonis nomen vbiq; retinui, memor apud Pli-

nium quoq; ſic ſcriptũ lib. xviij. Sed redintegretur etiã in Auſonio, Atticus Meton. Nam vbi in impreſſo legitur.

Quis fuit ille dies, non annus longior illo eſt. "
Atticáque indocti collegit cura medonis "
Deſertus vacuis ſoliſque exerceor aris. "

Non dubito ab auctore potius ſic ſcriptum

Quis fuit ille dies? Non annus longior ille eſt "
Attica quem docti collegit cura Metonis. "
Deſertus vacuis Soliſque exerceor oris. "

Scripſi in Græculo auctore Marcellino, Meton: in Latino Vitruuio, Meto, quomodo & apud Varro. lib. viij. de ling. lat. & apud Columell. lib. ix. ſcriptum eſt, Vtrunque ex prioris ſcripturæ veſtigiis, & auctorũ, vt opinor, mẽte. Quod eo monere volui ne quis temere id à me factum putet. Græcis Solon, Latinis Solo eſt, Atq; id & Fabius & Priſcianus monuere, & in bonis vetuſtíſque Latinorum auctorũ exemplaribus conſtanter & religioſè ſeruatum eſt. Qua tamen in re, vnico fortaſſe Platonis nomine ab hac clade innoxio, paſsim vulgò peccatum videmus.

Quæ ſit Gromatica diſciplina, & de Terminorum defigendorum ritu. CAP. XIIII.

HYginus librum ſcripſit Gromaticum, in quo caſtra metandi & loca oportuna in bello capiẽdi rationem tradidit. Eum me aliquando Lugduni apud Ludouicum Miræum cum aliis quibuſdam Frontini de Coloniis, limitibus, & controuerſiis agrorum libris

nondum editis, vidiſſe memini, ex eóq; inter cætera adnotaſſe, combinati verbum, quo & Sido. poſtea vſus eſt. Sed quod inſtat potius agamus. Vt ad caſtrorum metationem Gromatica diſciplina pertinet, ita nō dubito quin & ad agrorū mēſuram pertineat. Sext. Pomp.
„ Groma appellatur genus machinulæ cuiuſ-
„ dam quo regiones agri cuiuſq; cognoſci poſ-
„ ſunt, quod genus Græci dicunt γνώμονα. Apud
„ Non Gruma ſcriptum eſt, quo loco, Gruma
„ (inquit) menſura eſt quædam qua flexæ viæ
„ ad lineam diriguntur, vt eſt agrimenſorum.
Apud Caſsiodor. lib. iij. Var. vbi de agrorum
„ mēſura loquitur, ſic lego. Hoc enim per Geo-
„ metricas figuras & Gromatricam diſciplinā
„ ita diligenter agnoſcitur. vulgo Grammaticam. Gromatis quoque & Gnomonis nomina in libris de limitibus leguntur : in quos quando hodie incidi, lubet ex Siculo Flacco terminorum defigēdorum rituum hîc exſcri-
„ bere. Cùm terminos diſponerent, ipſos qui-
„ dem lapides in ſolidam terram concocabant
„ proximè ea loca, quibus foſsis factis defixuri
„ eos erant, & vnguento velaminibúſque & co
„ ronis eos coronabant In foſsis autem quibus
„ poſituri eos erant, ſacrificio facto, hoſtiáque
„ immaculata cæſa, facibus ardentibus, in foſſa
„ cooperti ſanguinem inſtillabant, cóque fru-
„ ges & tura iactabant: fauos quoque & vinum
„ aliáque quibus cōſuetudo erat terminis ſacrū

fieri,in foſſa adiiciebant. Cõſumptíſq; omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides concolabãt,atque ita diligenti cura cõfirmabant. Ex quibus lucem maximam accipunt Apuleij loci qui ſequũtur. Lib.j.Florid. Neque iuſtius religioſam moram viatori ob- « iecerit,aut ara floribus redimita, aut ſpelunca « frondibus inumbrata, aut quercus cornibus « onerata,aut fagus pellibus coronata,vel enim « colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus « dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine hu- « migatus,vel lapis vnguine delibutus. Et Apo « log.j. Iſte nec Diis rurationis, qui eũ paſcunt « ac veſtiunt, ſegetis vllas, aut vitis, aut gregis « primitias impertit: Nullum in villa eius delu- « brum ſitum, nullus lucus cõſecratus. Et quid « ego de luco aut delubro loquor? Negant vi « diſſe qui fuere, vnum ſaltem in finib⁹ eius aut « lapidem vnctum,aut ramum coronatum. Sed « hæc omnia, inualeſcens ſacratiſsima religio Chriſtiana ſuſtulit,vt Aggenus in lib. de limitibus & controuerſiis agrorum ſcribit. Itaque Prudent. lib.ij. aduerſus Simmachum ſic canit.

Exercere manum non pœnitet,& lapis illic «
Si ſteterit antiquus,quem cingere ſueuerat error «
Faſciolis,aut Gallinæ pulmone rogare, «
Frangitur,& nullis violatur terminus extis. «
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas «
Seruabat,cadit vltrici ſuccisa bipenni. «

Ex his etiam quilibet intelliget vnctum lapi-

dem apud Lucretium de termino quoq; accipi poſſe, dum ait,

" *Vnctum*
" *Vertier ad lapidem.*

Niſi de ſimulachro interpretari malit. Nam & apud eundem Prudent. lib. j. ſic ſcriptũ eſt.

" *Guſtauerat inter*
" *Vagitus de farre molæ, ſaxæ inlita ceris*
" *Viderat, vnguentóque lares humeſcere nigros:*
" *Formatum Fortunæ habitum cum diuite cornu,*
" *Sacratumque domi lapidem conſiſtere, paruus*
" *Spectarat, matrémque illic pallere rogantem.*

Et Minutius Octauio, in lapides effigiatos & vnctos & coronatos impingere dixit, de ſimulachro Serapidis loquens. Sanè coronatus lapis in Virgiliana Scopa, eſt ſepulchralis, quod coronæ ſepulchrorum pridem honos eſſent, vt Plin. auctor eſt, & Tertull. ſignificat, dum ait, à ſæculo coronari & ipſas Libitinas.

Errores quidam ex peruerſa notarum interpretatione conflati. *CAP. XV.*

MVlta ſunt in ſolemnibus veterũ formulis peruerſa notarũ quibus ſcribi ſolent, vel ſcriptura, vel interpretatione corrupta. Nam vt cętera omittã, quæ penè infinita ſunt, quàm multis locis Frontini de aquæductibus, Suetonij & aliorum qui vetera S.C. retulerũt, malè habet harum notarum interpretatio Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. quos vel hoc ſolo indicio cuilibet poſthac facilè erit reſtituere. Nũc duos ex aliarum notarũ inſolenti etiam inter-

pretatione conflatos errores propoſuiſſe, ſat erit: Quorũ alterũ licet in libris noſtris, id eſt, Iuriſconſultorũ extet, quia tamen propriè ad ius non pertinet, in ſubſeciuum referre melius erit. Sic igitur. Sc. de petitione hæreditatis verba apud Vlpianum noſtrũ concepta ſunt lib. xv. Ad Edictum Pridie Idus Martias. Q. «
Iulius Balbus & P. Iuuẽtius Celſus Titiꝰ Au- «
fidius, Oenus Seuerianus Conſules verba fe- «
cerunt de iis, quæ Imp. Cæſ. Traiani Parthici «
filius, Diui Neruæ Nepos, Hadrianus Aug. «
Imp. Maximúſq; princeps propoſuit v. Non. «
Martias, quæ proximæ fuerunt, libello cõple- «
xus eſſet quid fieri placeat, de qua re ita cen- «
ſuerunt. Hæc eſt Piſani libri ſcriptura, cui cõ- «
iecturæ noſtræ gratiã debemus. Exiſtimo autem ſic primùm ſcriptum & in acta relatum.

PRID. ID. MARTIAS. QVOD Q. IVLIVS «
BALBVS, ET P. IVBENTIVS. CELSVS. «
T. AVFIDIVS. OENVS. SEVERIANVS. «
COSS. VERBA. FECERVNT. DE. IIS. «
QVÆ. IMP. CÆS. TRAIANI. PARTHI- «
CI. F. DIVI. NERVÆ. N. HADRIANVS. «
AVG. P.M. P.P. V. NON. MART. QVÆ. «
PROXIMÆ. FVERVNT. LIBELLO. COM «
PLEXVS. ESSET. QVID FIERI. P. D. «
E. R. I. C. Hæ notæ P. M. Pontificem Maxi- «
mum ſignificant vt illæ P. P. Patrem Patriæ quas tamen aut Triboniani ipſius, aut poſteriorum temporum librarij ineptè & peruersè

Ita interpretati ſũt,vt ſupereſſent hęc omnia, Libello complexus eſſet.Sed hanc coniecturã & emendationem noſtram facilè admiſſurus probaturúſque eſt,quiſquis in huiuſmodi formulis & antiquis inſcriptionibus paulò diligentius erit verſatus.Apud Ciceronem lib.iij. Epiſt. ad Attic. Rogationis cuiuſdam verba ſic lego. QVOD. EI. QVI. PROMVLGAVIT. ABROGAVIT. DEROGAVIT. OBROGAVIT. EA. RES.POENÆ. MVLTÆVE. NON. SIT. E. H. L. N. R. Poſteriorum notarũ quę in optimo exẽplari corruptę fuerãt,interpretatio à Probo tradita hęc eſt,Eius hac lege nihilum rogatur. Sed & apud eundẽ Cicero.lib.iij.de Rep.ſic legendum reponendúmq; cẽſeo, Huic legi nec obrogari fas, nec derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari poteſt. Qui locus ab Auguſtino refertur in libris de Ciuitate Dei:apud quẽ tamen perperam,vt opinior, ſcriptũ eſt, propagari:cùm & in Philippicis hęc tria idem Tullius ſic cõiunxerit, & veteres legi propagare non dixerint,priori aliquid adiectum ſignificantes,ſed ſubrogare, vt Vlpianus noſter ſcribit in fragmentis.

Quid ſit in Antliam apud Sueto. Tranquill. lib.iij. *CAP. XVII.*

HAuriendæ aquę inſtrumenta hæc referũtur,Rotæ,Tympana, Cocleæ, Tollenones ſiue Tollones,pro quibus perperã vt opi-

nor apud Iſidor.lib.vlt. Ethimolog.Telones ſcriptũ eſt.Columellę ſanè verſus in Hortulo, cui Tollonum ſiue Celonum nomen aliquando adfinxit Nicol. Leonicus, in veteri exemplari ita conceptus legitur,

Ne labus hauſturis tendentibus illia vellat: "

Vnde bella coniecturæ occaſio eſt reponendi,

Ne labor hauſturis tendentibus illia vellat. "

Hauſturis, id eſt, iis qui hauſturi ſunt. niſi fortè quis malit hauſturis pro hauſtris dictum. Quod ego probare non auſim. Hauſtra ſunt ἄντλια, vt in illo Lucretij verſu Nonius notat,

Vt fluuios verſare rotas atque hauſtra videmus. "

Vbi tamen hauſtra rotarum cados interpretatur, id eſt, (vt Vitruuius loquitur) modiolos. ἄντλια porrò machinæ quoque hauſtoriæ genus eſſe videtur apud Valer. Martialem lib. ix. dum ſcribit,

Sed de valle breui quas det ſitientibus hortis "
Curta laboratas Antlia tollit aquas. "

Fuerunt etiam apud Græcos Rota & Tympanum eculei & quæſtionis potius, quàm vltimi ſupplicij genera. Et de Tympano quidem exempla ſunt apud Theoderit. lib. viij. & ix. Græcar. affect. quæ addi poterunt iis, quæ de rota à doctiſsimis viris propoſita ſunt. Exiſtimo autem veteres, quẽadmodum ad triremis publicæ remum, ita & ad rotas aquarias & antlias publicas, reos aliquando damnare ſo-

litos. De priori pœnæ genere, exempla ſunt apud Valerium Maximum lib. ix. & Zonar. To. j. vbi de Pſeudo-Alexandro loquitur, de quo & Ioſeph. lib. xvij. diuerſis verbis idem ſcribit. De poſteriore, hoc nunc profero ex
„ Sueton. in Tiberio. Teſtamentum quoque
„ eius (id eſt Liuiæ) pro irrito habuit omnéſ-
„ que amicitias & familiaritates, etiam quibus
„ ea funeris ſui curam moriens demandarat, in-
„ tra breue tempus afflxit, vno ex his equeſtris
„ ordinis viro & in Antliam condemnato. In impreſsis, & iis quidem melioris fiduciæ libris, ſcriptum eſt. In Antiliam, adiecta mendi nota. Sed eam eſſe genuinam Tranquilli ſcripturam, quam prius retuli ego verò non dubito: Quamuis non ignorem apud veteres, familias quoque fuiſſe aquæductibus deputatas, earúmque diuerſas miniſteriorum ſpecies, quarum & Frontinus in libro de Aquæductibus, & Caſsiodor. lib. iij. Variar. meminere. Aliud quoque ex Rota aqua quodammodo ſupplicij genus Lamprid. in Alexandro ſic deſcribit, Paraſitos ad rotam a-
„ quariam alligabat, & cum vertigine ſub aquas
„ mittebat, rurſúſque in ſummum reuoluebat.
„ Eóſque Ixionios amicos vocauit.

Quintilianis locus expenſus, in quo horchiſtræ nomen corruptum videtur. *CAP. XVII.*

QVid quod eadem quæſtio poteſt eun- "
dem vel accuſatorem facere vel reum? "
Qui artem ludicram exercuerit,in xiiij.primis "
ordinibus ne ſedeat. Qui ſe Prætori in hortis "
oſtẽderat,neque erat productus, ſedit in xiiij. "
ordinibus. Nempe intentio eſt, Artem ludi- "
cram exercuiſti. Depulſio, Non exercui ar- "
tem ludicram. Quæſtio, Quid ſit artem ludi- "
cram exercere. Si accuſabitur theatrali lege, "
depulſio erit rei. Si excitatus fuerit de ſpecta- "
culis, & aget iniuriarum, depulſio erit accu- "
ſatoris. Locus hîc eſt apud Fabium Quinti- "
lianum lib. iij. Inſtit. cap.vj.In omnibus omnino,quæ mihi adhuc videre contigit, exemplaribus quamlibet vetuſtis, ita conceptus vt propoſui.Quod eo dico,ne quis temerè coniecturis noſtris fidem adhibeat.In eo memini, nec vnquã obliuiſcar,Petrum Fabrum v.c. & doctiſsimum dixiſſe aliquãdo, videri ſibi pro Prætori reponendum P.R.id eſt, populo Romano.Quod ego licet Prætorem ludos interdum curaſſe ſciã, facilè tamẽ adducor vt recipiã: cũ & Doctor noſter ſimilẽ penè omnino Vlpiani locũ ad Paulũ annotauerit.Verùm in proximis Quintil.verbis mendũ nõ minùs latere ſuſpicor, & pro in hortis,legendũ,in horchiſtra. Sic apud Auſon. in ludo vij. Sap. vbi antea in impreſsis legebatur.

» *Hodiéque in hortis palliati prodeunt.*

Emendatum eſt ex veteri libro, rectiſsimè,

» *Hodie in horchiſtram palliati prodeunt.*
» *Quid erubeſcis tu togate Romule,*
» *Scænam quòd introibunt tam clari viri?*
» *Nobis pudendum, non & Atticis quoque*
» *Quibus theatrum Curiæ præbet vicem.*

In horcheſtra, ludicra exercebantur. Vnde & Caſsiodor. lib. iiij. Variar. Theatrales ludos
» deſcribens, His (inquit) addita ſunt horchi-
» ſtrarum (ſic lego) loquaciſsimæ manus lin-
» guoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio
» tacita quam Muſa Polyhymnia reperiſſe nar-
» ratur, oſtendens homines poſſe & ſine oris af-
» fatu ſuum velle declarare. Erant in horcheſtra Senatorum ſedibus loca deſignata. Erant & in xiiij. gradib⁹ horcheſtræ primis vel proximis equitum ſedes. Nam & his, lege ſua in theatro loca reſtituit Otho Roſcius. (Sic lego apud Velleium Patercul. lib. ij. vbi Rhenani codex habet horoſcius.) Inde horchiſtram & populum Iuuenal. dixit pro primoribus & plebe. Lege verò Theatrali à xiiij. primis prohibebatur, qui artem ludicram exercuiſſet, vt Fab ait. Et hæc fortaſſe pœna etiã fuit eius legis, qua Vitellius cauit ne Senatores equitéſue, gladiatoriam aut ludicram artem exercerent. Id Zonar. ex Dione ſic exprimit.
» ἀπηγόρευσε δὲ καὶ τοῖς βουλευταῖς καὶ τοῖς ἱππεῦσι μονο-
» μάχειν ἢ ἐν ὀρχήστρᾳ θέαν τινὰ παράχειν. Qui locus cõiecturam noſtram confirmat. Refertur & à

Quintiliano Declamat. cccij. lex hæc, Gladiator in xiiij. gradibus ne ſedeat. Cæterùm de quæſtione à Fabio propoſita ſic iudico: Eum qui ludorum tempore in Scæna vel Horcheſtra à populo Romano viſus ſit, quamuis ſe auctorauerit, ſi tamen artis cauſa non prodierit, à xiiij. primis gradibus non arceri: quia nec infamia notatur. Multò verò minùs gradibus prohibebitur, qui ſponte ſua in Horcheſtra ſe populo Romano oſtēdit, non auctoratus, non ab alio productus, aut ſpectaculi tantùm, aut etiam artis ipſius exercendæ gratia. Et hæ quidem nouis moribus leges ſub Impp. recepțæ ſunt, quibus non adeò turpis res hæc habita eſt, vt etiam conſilium puniri debuerit: Sed antiquis Cenſoriæ ſeueritatis exemplis non conueniūt Quod ergo à me ἔργον παρέργως ex inſtituto dictum accipi velim. Producti autem verbum, quo Fabius vtitur, propriè de venalibus dicitur: Itémque de iis qui operas locarunt artis ludicræ cauſa, & de teſtibus. Dicitur & de proſtitutis, cuius exemplum vnum proferam, in quo vulgò perductæ legitur. Sueton. in Veſpaſ. Expugnatus à quadam «
quaſi amore ſui deperiret, cùm productæ pro «
concubitu H-S cccc. donaſſet. Sic in optimo «
libro ſcriptum eſt. Apud Tertullianum in Apologet. preductores pro productores perperam ſcriptum dicerem, ni meminiſſem Aſconiū in Verr. iij. ſcribere, lenones eſſe ſcor-

torum, Perductores, etiam inuitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita legibus vindicantur.

M. Ciceronis ex Epiſt. ad Attic. itémque L. Apuleij & Sulpitij Seueri loci emendati. CAP. XVIII.

APud Ciceronem lib. ij. Epiſt. ad Atticum in optimo exemplari ſic ſcriptum reperi.
„ Cyrus aiebat viridiorum διάφασεις latis lumi-
„ nibus non tã eſſe ſuaues. Vulgò tamen legitur radiorum. Ego veterem lectionẽ temerè reiicere non auſim, prçſertim quç ſenſum rectum commodúmque habeat. Solebant enim veteres ita lumina feneſtrarũ poſita habere, vt per earũ ſpacia in viridia proſpectus eſſet, quemadmodum de Oecis Vitruuius ſcribit lib. vj. Hunc proſpectum non tam ſuauem putauit Cyrus Architectus (in cuius nomine luſit Cic. cũ Cyropædiã dixit) ſi latiora eſſent lumina. Adiicit rationẽ, quæ fortaſſe veteris lectionis
„ exturbãdæ cauſam præbuit, Nũc fit lepidè illa
„ ἔκχυσις radiorũ. Quæ vt intelligatur videndus eſt Gell. lib. v. cap. xvj. Et Apuleius Apolog. j.
„ Cuius verba quia valde peruerſa corruptáque
„ ſunt, meo iudicio emendata ſubiiciam. Cùm
„ vt ait Epicurus, profectæ à nobis imagines, ve-
„ lut quædam exuuiæ iugi fluore à corporibus
„ manantes, cùm lçue aliquid & ſolidum offen-
„ dunt, illico reflectãtur, & retro expreſſæ con-
„ trouerſim reſpõdeant: An, vti alij philoſophi

diſputant, radij noſtri ſeu mediis oculis proli- "
quati, & lumini extrario mixti atq; muniti, vt "
Plato arbitratur, ſeu tantũ oculis profecti, ſine "
vllo foris adminiculo, vt Architas putat, ſeu "
intentu aëris fracti (radiis ſcilicet oculorum) "
vt Stoici rentur, cùm alicui corpori incidere "
ſpiſſo, & ſplendido, & læui, paribus angulis "
quibus inciderant, reſultent ad facies ſuas re- "
duces, atq; ita quod extra tangunt & viſant, id "
intra ſpeculum imaginentur. Vulgò malè pro "
illico, illi ſe, & pro aëris fracti, veri facti legitur: Nõ omnino diſsimili errore, quo & apud Seuerũ Sulpit. hiſtor. ſacr. lib. ij. (Id enim obiter quoq; ſcribere iuuat) aëre Veris, pro, Treueris, Vero, pro, Nero. Itémque apud Suet. in Tiberio, Pater Tiberij Nero Quæſtor. C. Cęſaris, &c. Placet & hîc ex pluribus locis, quos in illis ad Attic. Epiſtolis, vel ex recta vetuſtiſſimi libri, quem tãtopere laudamus, ſcriptura, vel reliquis ipſius veſtigiis ducti ex ingenio emendarimus, alterum hîc adiicere. Nec me quiſquam putet cũ toties veterũ & manuſcriptorũ librorũ mẽtionẽ facio, Scyllas aut Chimeras dicere. Seriò verũ amo, & quod mihi aliquando videre cõtigit, teſtis oculatus bona fide refero. Canes, rabulas, deniq; vitilitigatores nihil moror. Atq; hoc, pace omniũ ſemel dixiſſe liceat. Apud Cicer. igitur li. ij. ad Attic. in eo codice ſic ſcriptum eſt. Quinetiam du- "
bitem an hîc Antij conſidam, & hoc tempus "

» omne conſumam, vbi quidem ego mallem
» Duumuirum quam Romæ fuiſſe. Quid eſt verò hac ſcriptura terſius, quid elegantius? Duumuiri ſunt tanquam Conſules in municipio: Conſules tanquam Duumuiri Romæ: vt & Decuriones Senatorum loco ſunt, quorum etiam curia minor Senatus legibus aliquando appellata eſt, vt Caſsiodorus ſcribit in libris Variar. Significat igitur Tullius malle ſe Duumuirũ & quaſi Couſulem Antij quàm Romæ fuiſſe. Cæterûm vt Latina quædam oppida habuerunt Ædiles ſuos, & Dictatores, & Quæſtores, ita & ciuitates quaſdam Galliæ Conſules etiam habuiſſe Auſonius indicare videtur, de Burdigala ſic ſcribens,

» *Diligo Burdigalam, Romam colo, ciuis in illa,*
» *Conſul in ambabus, cunæ hic, ibi ſella curulis.*

Nec in his modò vrbis dominæ, quæ τῆς οἰκουμένης ἐπιτομὴ, non immeritò dictaeſt, maieſtatem cæteræ quoque ciuitates, municipia, coloniæ ſtudioſè imitatæ ſunt, ſed & in pleriſque aliis: adeò vt arcibus quoque ſuis Capitolij nomen impoſuerint. Ac Narbonẽſis quidem & Tholoſani Capitolij Sidonius & Gregorius meminerunt: Carthaginenſis, Cyprianus in tractatu de Lapſis: Suetonius in Tiberio, Capuani.

C.Plin

C. Plinij de medicis ex lib. xxix. locus difficilis expoſitus. CAP. XIX.

PErurbanè olim Poëtarum quidam dixit, Medico & Iudici hominem occidere impunè licere. Gratis id modo & ſine præmio fieret, profectò minùs graue aliquanto, & fortaſſe tolerabilius videretur. Maior vero eſt in hoc ſcelere & parricidio medicorũ quàm iudicum licentia. Quod Plinius oſtendere volens, quámque interdum temere medicis nos noſtráque committamus & credamus, Decuriæ (inquit) pro more cenſuris principum examinãtur. Inquiſitio per parietes agitur: & qui de nummo iudicet à Gadibus columníſque Herculis accerſitur. De exilo verò non niſi die XL. quinque electis viris datur tabella. At de Iudice ipſo quales in cõſilium eunt ſtatim occiſuri? Hîc vnum illud quæro, Quid ſit quod Plinius ſcribit inquiſitionem per parietes agi. An hoc de quęſtione furti accipiemus? de qua & Petronius Arbiter ſic ait. At non ſeruus publicus tam languidè agit, ſed raptã cauponis harundinem ſubter lectum mittit, omniáq; etiam foramina parietum ſcrutatur. Solebant enim veteres in perquiſitione furti vel minutiſsima quæque quanuis obſignata perſcrutari & excutere, vt Plato lib. xij. de legib. ſignificat. Quãobrẽ Athenienſes cùm cęterorum omnium domos excuterẽt, non permiſerunt eam in qua noua nupta eſſet perquiri, vt

Plutarchus in Demoſthenis vita auctor eſt. Verùm hæc interpretatio quamlibet ſpecioſa, Plinij menti planè congruere non videtur. Nam de Iudicibus loquitur, quorum auctoritatem cum Medicorum licentia confert. Ac primùm de Decuriis Iudicum dixit, quæ plures Romæ fuerunt, poſt de Pedaneis & imi ſubſellij Iudicibus, tum de Quinqueuiris. Inter hęc quid agit tam ſecurè aut otioſè potius furti quæſtio? Aut quæ hinc tandem ſimilitudo vel trãſlatio peti poteſt, quę ad rem de qua agitur accõmoda & non longiſsimè petita videatur? Itaque ſi quæ nobis viciſsim in Iudicum nomen coniecturarum licentia eſt, quibus in caput noſtrum plerunque ipſis vti, ius fáſq; eſſe dicitur, Malim in eo Plini loco parietes diruere, atq; hoc modo partes reponere.
» re. Decuriæ pro more cenſuris principum (hi
» tum perpetuam Cenſuram inierant) exami-
» nantur. Inquiſitio per partes agitur, &c. Centumuiraliũ iudiciorum haſtæ partes dicebantur.
» tur. Quintilianus libro v. Iudiciis præiudicia
» fiunt cùm de eadem cauſa pronunciatum eſt,
» vt in reis deportatis & adſertione ſecunda, &
» partibus Centumuiralium, quæ in duas haſtas
» diuiſæ ſunt. Sed de hac tota re alibi amplius à nobis diſſeretur. Nunc illud potius expendamus quod ſequitur apud Plin. De exilio (in-
» quit) non niſi die XL. quinque electis viris da-
» tur tabella. Primùm quinam ſunt iſti v. viri?

Id ego planè intelligi poſſe arbitror ex Honorij & Theodoſij Impp. conſtitutione ad Coss. Prętores, Tribb. pl. & Senatũ vrbis Romæ, quæ ſic habuit poſt alia. In criminalibus " cauſis, Senatus ſtatuta iãdudum Quinqueui- " ralis iudicij forma ſeruabitur. In quo cũ per- " facilè eſſe credamus, optimos legere de ſum- " mis, ſortito tamen ad iudicium vocabũtur, ne " de capite atq; innocentia, alterius iudicio ele- " cti iudicẽt. Extat in codice Theodoſij, vel po " tius Alarici breuiario, ſub tit. de iuriſdictione. Ait autẽ, Iandudũ, id Plinij locus iſte cõfirmat. Ait, optimos legere de ſummis) nõ fuit igitur hoc propriũ certi magiſtratus nomen, vt Triũuirorũ capitaliũ & cęterorũ huiuſmodi. Ideóq; à Plin. nõ ſimpliciter v. viri dicũtur, ſed quinq; electi viri. Eligi enim ex Senatu, veteri inſtituto ſolebant, quod ea conſtitutione, Impp. nõ placuit: ſed ſortito eos ad iudiciũ vocari voluerunt. Eſt & huius quinqueuiralis iudicij mẽtio in priore altera Imppp. conſtitutione ſub Tit. de accuſationib: Cuius etiã ſub Gothis regib. vmbrã quandã & imaginẽ Romæ remãſiſſe Caſsiod. indicat lib. iiij. var. for. xxij. & xxiij. Nũc videamus quomodo xl. demum die v. viris iſtis tabella de exilio datur. Hoc ego ſic accipio. In publicis iudiciis rei nomine delato receptóq;, nõ ſtatim cauſa dicebãt, ſed ex ſorte, litigatores dierũ ordinẽ accipiebãt, nec ante xxx. poſt diẽ iudicẽ adibãt.

Immo verò non niſi poſt xxx.diem iudicem dari ſolitum legimus. Sed nec tum quidem ſtatim iudicium agitabatur, verùm x. poſt die vtrumque & accuſatorem & reum iudex adeſſe iubebat. Quibus demum vtrinque auditis pronunciare poterat iudex, id eſt, aut damnare, aut abſoluere, aut etiam ampliare, ſi non liqueret. Nam comperendinatio in omnibus huiuſcemodi iudiciis locum non habuit, vt alias dicturi ſumus. Ex his apparet iudici de exilio non niſi quadrageſimo die tabellam dari, id eſt, iudicem ante quadrageſimum diem de exilio ſententiam ferre aut pronunciare non poſſe. De his autem quæ poſuimus mihi credi nolo, ſed iſtis potius teſtibus & auctoribus. Seruius lib. vj. Æneid. de Minoe. Sine ſorte (inquit) id eſt, ſine iudicio. Tractum hoc de more Romano. Non enim audiebantur cauſæ niſi per ſortem ordinatæ. Nam tempore quo cauſæ agebantur conueniebant omnes, vnde ait, Concilium, & ex ſorte, dierum ordinem accipiebant, quo poſt diem trigeſimum ſuas cauſas exequerentur. vnde eſt Vrnam mouet. Quæſitores autem dicuntur, qui exercendis iudiciis præſunt. Hactenus Seruius. Eadem penè de Minoë Aſconius tradit in arg. Verr. iij. & de xxx. diebus paulò pòſt, Cùm in rem (inquit) agerent litigatores & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem, qui dabatur poſt xxx. diem. Idem de x. diebus in Ar-

gum. Cornel. ſic ait. Reum Corneliũ duo fratres Cominij Lege Cornelia de maieſtate fecerunt. Detulit nomen Publius, ſubſcripſit Caius. Et cum P. Caſsius Prætor decimo die, vt mos eſt, adeſſe iuſsiſſet, eóque die, ipſe non adfuiſſet, &c. Quæret hîc rurſus aliquis, cùm ea quæ diximus, omnibus iudiciis, ſaltem publicis, communia fuiſſe videantur, cur hîc Plinius de Quinqueuiris tãtùm exemplum propoſuerit: Item cur de exilio, non de cæteris etiam iudiciorum pœnis. Si quis eius mentem attentius conſideret facilis reſponſio eſt. Confert Plinius Medicos cum Quinqueuiris, in his præcipuè, Quod his, quos veriſimile ſit non niſi optimos lectos è ſummis (vt Impp. verbis id explicem) non ſtatim tamen ſententiam ferre poſſunt, quamuis ea quidem mortem non inferat, ſed exilium tantùm, quod morte longè leuius eſt: At illi quales quales, ſine delectu aliquo, ſtatim in cõſilium mittantur, non exilio tãtùm aut deportatione damnaturi, ſed occiſuri. Hæc igitur inter ſeſe ſic comparentur. Iudices vix quadrageſimo demum die, Medici ſtatim, Iudices electi quinqueuiri, Medici quales quales, Iudices quamuis de exilio tantùm ſententiam dicturi, Medici Iudicem etiã ipſum occiſuri. Cæterorum Iudicum non adeò ſanè elegans hac in re cum Medicis collatio futura erat. Hi enim ſortitò ferè ducti non electi iudicabant.

Bannum, Heribannum, Bandum, Rerum prolatio, Rerum iudicandarum vacatio, Rerum reditus: & de anno litium Iuuenalis locus expoſitus.

CAP. XX.

BAnnum in legibus Langobardorum ſolidorum LX. vel totidem ictuum pœnam ſignificat: & id quidem conſtanter, niſi ſi legis ipſius verbis aliter difinitur. Bannum autem & ab eo Bannire verbum, eadem omnino ſignificatione, qua à Frācis hodie vſurpatur, in eis quoque legibus accipi, indicant cap. I. Tit. LXVII. legis Ripuanor. Tit. XVII. legis Friſion. Tit. XL. lib. iiij. leg. Franc. Quibus in locis cùm ad bellum à principe vocati Banniti dicantur, & Heribannum vectigal pœnæ cauſa, quod ab eo exigitur qui Heribanno, id eſt, Domni, vt tum quidē loquebantur, ſiue principis vocationi parere contempſerit cap. LXXI. & LXXII. lib. iiij. leg. Franc. & lib. iij. Langobard. Tit. de Heribanno, non temere quis dixerit voces quoque Francicas Ban & Arriereban ab iis deductas. Verùm cùm Banni bannitíque verbum commune & generale ſit (nam quos propria quadam appellatione Bannitos dicimus illi forbannitos vocāt) hæc autem Frācica Ban & Arriereban ita coniunctim de illa tantùm ad bellum vocatione vſurpari ſoleant, tentari ex aduerſo non incommodè poteſt, videri potius à Bando deducta, in Bannum vulgarem magis vocem deſciuiſſe.

Bandum autem ſignum eſt ipſius ducis & imperatoris, à quo & Bandophoros dictos Procopius ſcribit lib.iiij. Belli VVandalici. Paul. monachus lib.j. Hiſtor. Longobard. cap.xiij. Tato Rodulphi (is erat Herulorum rex) ve- «
xillum quod Bandum appellant eiúſque ga- «
leam quam in bello geſtare conſueuerat ab- «
ſtulit. Sudas, Βανδον καλοῦσι Ρωμάιοι τὸ σημεῖον τῶ ἐν «
πολεμῷ. Quæ interpretatio rectior & verior «
videtur illa quam Stephanus περι πολεῶν tradit, vbi de Alabanda loquitur, Romanos ſcilicet βανδὸν victoriam dicere. Sed facilis eſt exterorum hominũ in aliena lingua vel exaudienda vel exprimenda, aurium, linguæ, animi denique lapſus. Quanquam ſanè vtrunque ſimul ferri poteſt. Bandi etiam verbo, pro ſigno militari vſus eſt pluries quiſquis auctor eſt eius libri, qui περὶ ϛρατιοτικῶν καταϛάσεων καὶ ἐπιτιμιῶν Iuſtiniani imp. nomine editus eſt. Verum ne cui nouũ & inſolẽs videatur quod diximus, quaſi Banni verbo ſiue Frãcico ſiue Langobãdico, veriſimilius multò ſit noſtros quã Græco aut Latino vſos, profectò Bãdes & Bãdieres à Bãdo potius dici, nemo opinor ſanus negauerit. Eſt & de Heribanno Frãcorũ, Gregorij locus lib.xv. hiſt. c.xxvj. Chilpericus (inquit) rex, de «
pauperib. & iuniorib. Eccleſię vel Baſilicę Bã «
nos iuſsit exigi ꝓ eo quod in exercitũ nõ am- «
bulaſſent. Nõ enim erat cõſuetudo vt hi exſol «
uerẽt vllã publicã functionẽ. Bã & Arrierebã «

vtrumq; Heribannum eſt. Sed illud ad Vaſſos & Leudes dominicos, hoc ad Vaſſorum quoque dominicorum Vaſſos pertinet. De chlamidata militia dixi, de Togata dicam. Huius etiam neceſsitas quadam non iudicibus modò, ſed & patronis aduocatíſque incumbebat. Itaque, vt in ludo de Claudij Apotheoſi P. Petronius aduocationem poſtulat, id eſt, vt ipſi pro Claudio P. Pompeio accuſatori reſpondere liceat: Sic & Plinius lib. v. Epiſtol. forenſi (vt ipſe ait) verbo, adüocandi veniam petit. Fuerunt etiam ab hoc vrbano & vmbratili bello vacationes quædam & quaſi induciæ rebus prolatis. Seneca
„ de breuitate vitæ, Diripitur (ait) ille toto foro
„ patronus, & magno concurſu omnia vltra
„ quàm audiri poteſt complet. Quãdo, inquit,
„ res proferentur? Præcipitat quiſque vitam
„ ſuam, & futuri deſiderio laborat, præſen-
„ tium tædio. Feriis res proferuntur, id eſt, lites & negotia differuntur, vt meſsium & vindemiarum tempore, cui duo tantum menſes poſtea conceſsi deputatíque ſunt. De his accipiendum eſt quod Minucius fori Romani
„ aduocatus in Octauio ſic ait. Ad vindemiam
„ feriæ iudiciariam curam relaxauerant. Cyprianus quoq; ad Donatum inducias vocat.
„ Et reddendæ (inquit) tempeſtiuum prorſus
„ hoc tempus eſt, quo indulgente vindemia,
„ ſolutus animus in quietem, ſolemnes ac ſta-

tutas anni fatigantis inducias ſortitur. Hæc "
rerum prolatio à Seneca rerum iudicandarum vacatio appellari videtur dum ſic de Claudio D. Auguſtum veteri more ex tabella recitantem fingit. Placet in eum ſeuerè "
animaduerti, nec illi rerum iudicandarum "
vacationem dari, eúmque quamprimúm ex- "
portari, & cœlo intra dies xxx. excedere, "
Olimpo intra diem III. Vbi tamen quibuſ- "
dam adeò lites placent, vt iuſtæ vacationi "
iniuſtam aduocationem vltrò præferant: non "
ſatis, vt mihi quidem videtur, circunſpectè. "
Notat enim tacitè in eo Claudium, quod tam laborioſè iuriſdictioni & cognitionibus operam dare ſoléret, vt vix vnquam res proferret, ſed feſtis quoque & religioſis diebus ius diceret: cum tamen cæteris ferè iudicibus hoc beneficium concederet, ne hieme initióque anni ad iudicandum euocarentur vt Sueto. in Galba ſcripſit. Hoc igitur iure in eum quoque talionis lege Auguſtus vtendum cenſet, vt quanuis October menſis eſſet (nam III.Id. Claudius animã ebulliit) vacationis tamen & rerum prolationis nulla haberetur ratio, quominus de ipſo Dij ſtatim in conſilium mitterentur. Eodem pertinent & illa ex Nænia de Claudio,

Quis nunc iudex Toto lites Audiet anno. "

Itémque iſta Claudij ipſius ad Herculem.
Ego eram qui tibi ante templum tuum ius "

„ dicebam totis menſibus Iulio & Auguſto. Quod ſi quis rerum iudicandarum vacationem apud Senecam ad comperendinationem referre malit, aut potius ad S c. Tiberianum, quo damnatorum pœna in decimum ſemper diem differebatur Sueto. & Tacito auctoribus, per me equidem licet, dum ſciat mihi coniecturas iſtas meas non omnino probari. Porrò rebus prolatis, non niſi extra ordinem ius dicitur, & prout quæque cauſa occurrit de qua die feriato iudex adiri poteſt, ſtatim etiam agitur & diſceptatur. Rebus reuerſis certus ordo obſeruatur, id eſt, ex more, cauſæ per ordinem dicuntur, & ex ſorte litigatores dierum ordinem accipiũt. Fuiſſe verò id olim Romani moris Seruius in Virgil. notat lib. ij. & vj. Æneid. adiicítque id fieri ſolitum propter multitudinem & tumultum feſtinãtium:
” Cum erat (inquit) annus litium, de quo Iuue-
” nalis,

” *Expectandus erit qui lites inchoet annus.*

Quæ ego poſteriora verba adduci non poſſum vt credam Seruij eſſe, ſed ei potius à poſterioribus Grammaticulis, vt & pleraq;, alia adficta adiectáque arbitror: Nec adhunc mihi legendo audiendóue perſuadere potui certum aliquem Romæ fuiſſe litium annum. Sanè nec id Iuuenalis ſignificat, qui hæc ſacramentorũ & militiæ emolumenta notat, quod militibus ſtatim & extraordinem ius dicatur:

At in paganorũ cauſis certus & legitimus dierum ordo omnino obſeruandus, atque adeo interdum diu expectãdum ſit, dum ad lis tandem inchoetur & cauſa agatur. Sic igitur apud Iuuenalem annum exaudio vt apud Terent. in heaut.

Dum moliuntur, dum comuntur annus eſt. "

Vt autem res prolatæ dicuntur, dum lites & fori negotia ceſſant: ſic rediiſſe, dũ rurſus agi incipiunt. Plautus Captiuis.

Prolatis rebus paraſiti venatici "
Sumus, quando res redierunt, moloßici. "

Sed iam nos quoq; ad res redire tempus eſt, quibus prolatis, hanc huius operę, qualiſcunque eſt, gratiam referimus.

PETRI PITHOEI I. C. ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM LIBER SECVNDVS EXPLICIT.

IANI GVLIELMI

ADVERSVS C. SIGONIVM ASSERTIO;

Non eſſe aut M. Tullij, aut ſatis dignam M. Tullio, eam quæ illius nomine venditetur Conſolationem.

AD V. CL. PETRVM DEL-BENIVM.

M. Tullij nonnulla obiter explicantur aut emendantur.



LVTETIÆ,

Apud ÆGIDIVM BEYSIVM, ſub inſigni albi Lilij, via Iacobæa.

cIↃ. IↃ. XXCIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IANI GVLIELMII ADVERSVS CAR. SIGONIVM ASSERTIO;

Non eſſe aut M. Tullij, aut ſatis dignam M. Tullio, eam quæ illius nomine venditetur Conſolationem.

AD V. CL. PETRVM DEL-BENIVM.

VIDE quanti ſit apud me ſumma virtus tua, & ſingularis humanitas, Petre Del-beni, vir præſtantiſſime, & omnibus cum ingenij, tum animi muneribus cumulate. quod præſenti tibi & ſerio cohortanti propemodum pernegaram, certe valde recuſaram; id ne abſenti & tacito fortaſſe conuicio flagitanti diutius de-

berem, peruicit pudor meus, & excitata amore illo amabiliſſimo tuo mutua beniuolentia. Meminiſti enim profecto, cum tu nuper domi tuæ iudicij mei peteres indicationem de Conſolatione, quæ, vulgo non ita pridem obiecta, M. Ciceronis eſſe diceretur; neque contentus eſſes eo, quod oſtendebam coram; quin litterarum præterea teſtimonium, & tamquam conſignationem ſententiæ requireres; ab ea me omnino cogitatione vehementer refugere, & multum diuque aduerſus animi tui ſententiam tergiuerſari. Nam & occupato mihi curis maioribus, quarũ particula quædam tibi non obſcura eſſet, huc deſcendere nec vacare, nec libêre ſane, aiebam: & tunc cum-maxime Auaricum Biturigum, Iacobi

Cuiacij omnium omnis memoriæ iuriſconſultorum longe principis audiendi cauſſa, iter adornare. accedebat huc, quod mihi omnis opera ſuperuacanea fore videretur, quam poſiturus eſſem in cõfutatione eius libelli, quem nemo paullo humanior Cicerone ſatis dignum ab ipſo ſtatim ortu exiſtimauiſſet: vulgus tantum more ſibi ſuo, nouitate ipſa rei commendatum, cupide & ſitienter arripuiſſet: imperitis autẽ medicinam fieri non ratione, cuius lumẽ reformidarent; ſed tempore, quo calor ille cupiditatis ſenſim tepeſcere ſoleret, ac denique refrigerari. Hîc tu me perculiſti (fateor) incredibili nuncio, & cui, niſi abs te, Del-beni, fides mihi vix fieri ſolo verborum teſtimonio potuiſſet. Carolum enim Si-

gonium narrabas, ſummum virum, & veſtræ Italiæ in omni genere politæ & elegantis doctrinæ pæne principem, ita & varietate argumentorum tutari, & inſigni quadam laude cumulare eá, quæ mihi plebeculæ dumtaxat oblectamentum videretur, Conſolationem; vt a nemine præterquam a Cicerone profectam, velle quidem omni ope nobis etiā ſi poſſit, ſibi certe perſuaſiſſe videatur. Quod mihi cum nouum & inopinatum plane accidiſſet, ita tum inter nos diſceſſimus, vt & tu librum reciperes ad me miſſurum, ſimul ab amico quodam tuo, qui ea ſe lectiuncula delectaret, redderetur; & ego minus iam obſtinate ac peruicaciter abnuerem morem gerere voluntati tuæ, &, ſi quid eſſet ad quod dicendum

putarem,id notatum & pro captu meo refutatum ad te tranſmittere. Itaque acceptas nudius tertius eas Orationes duas, incitatus aliquot diecularum mora, pellegi magna ſane cum auiditate, neque minori voluptate. Magnū enim ingenium, multam memoriam, ſummam dicendi copiam C. Sigonij libenter recognoui, notam mihi ex eruditiſſimis eius viri & vtiliſſimis rei Muſicæ de omni omnium ferme gentium antiquitate commentarijs. ſed, vt liberè confitear id quod ſentio, tantam doctrinæ vim in tam inanes ſententias incidiſſe, ſiue imprudentia, ſiue (quod magis arbitror, & quod de tam claro homine ſentire magis par eſt) voluntate ſua, vt in argumento infami oſtentaret diuitias elo-

quentiæ ſuæ; id vero non mediocriter dolebam. Sed vt de ipſo illo opere; quod Conſolationem M. Tullij eſſe, me, vt ſcis, acriter reclamãte, multi crediderunt tamen, & etiam nunc credunt; quid mei iudicij ſit, in initio vniuerſim & breuiter exponam; neque indocti hominis, neque indiligentis eſſe cenſeo: ſed plane & philoſophiæ, & vero Ciceronis in primis ſtudioſi; tametſi ingenio neque ad illam comprehẽdendam, neque ad hunc exprimẽdum, vel acuto ſatis, vel accommodato. Quod vincunt ſententiæ interdũ ſeuerę & graues, ſæpius proculcatę & vulgares, nonnumquam & a ſe ipſæ & a ſapiẽtiæ præceptis abhorrentes; etiam verbis fere incondite poſitis elatæ: ita elucente inter omnia imitatione, vt in

pueriles ineptias perſæpe prolabatur. Neque non tamen exiſtimare quis merito poſſit ſtudium tam ſerij laboris probari potuiſſe eruditis hominibus, & per ſeſe ad famam nonnullam peruenire, ſi imitationem præ ſe tuliſſet; & ſuo nomine in publicum prodire, nõ alieno Ciceronis maiorem copiis ſuis famam colligere voluiſſet: cuius tantum abeſt, vt ſimilitudinem & tamquam imaginem viuam expreſſerit, vt & longiſſimo interuallo, & iniquiſſimis paſſibus vix veſtigia ſatis recte ac conuenienter perſequatur. ita habet ille quidem id quod captauit, vt legatur a pluribus; ſed & illud, quod non captauit, vt in omnia diligentius anquiratur. Quam ob cauſſam indignari, & moleſte ferre non debet, ſi næui & maculæ

paſſim in omni corpore nudētur, & tanquam digito intento omnibus indicentur. Mali enim moris, peioris audacię, peſſimi exempli in poſteritatem eſt, optimo latinitatis auctori tot poſt ſæculis libros etiamſi non peſſimos, at certe iſta majeſtate diuini viri indignos, obtrudere: & ad hāc fraudem confirmandum magnæ auctoritatis ſenes ſiue incautos impellere, ſiue inducere prudentes. qui quantum alios mouerint, neſcio: me quidem certe ad credendum illicere non potuerunt; quia nihil cur a priore mea ſententia deſciſcerē, attulerunt. Quid enim dicit vir omni eruditione, prudētia, eloquētia ornatiſſimus C. Sigonius? Nam lubet iam pedetentim in controuerſiā ipſam ingredi, & ad vnamquamque rationē

ponderandam ſingillatim accedere. recte an ſecus, tuũ iudicium ſit, Del-beni, qui & huius libelli ob varietatem rerum grauium atque vtilium perſtudioſus es, & in ipſius Sigonij primis amatoribus: vel quia tanta eius in bonas litteras beneficia, vel quia nobiliſſimę & antiquiſſimæ patrię veſtræ Italiæ iam diu alter oculus & ſingulare ornamentum eſt. Neque vero hîc vllum ordinem nouum exſpectabis, præter eum quem eruditiſſimus homo ſequitur: quem dum lego, vt quidque nõ probauit animo meo, enotaui, & pertentaui, an labefactari poſſet, an eà eſſet diſertorum in omni re diuinitas, vt ne a veritate quidẽ ipſa eorum ſententiæ peruelli ſine pari verborũ vbertate poſſint. Quid igitur ait Sigonius, cur hic liber a

Cicerone potius conſcriptus, quã ab imitatore aliquo effictus exiſtimari debeat? præſertim cum multa ſuſpicionum ſint argumẽta, & non nouam hanc conſuetudinem videamus in M. Tullij nomen inuadendi, neque heri aut hodie natam, ſed vel ipſius cõfeſſione iam inde a M. Quinctiliani & Annæi Senecæ temporibus vſque ad hãc ætatem propagatam? aut ſi M. Fabius falli potuit falſa declamatiuncula, re tam recenti, tali ipſe ingenio, & tanto vſu dicendi, nos tãto poſt tempore, nequaquam ſimili aut mentis acumine, aut doctrinæ magnitudine, adumbrata quadam rerum & verborum imagine decipi non poſſumus? Non hercle, inquit Sigonius. *Nam illi in alio quodam ſe rerum genere exercuerunt, quippe*

ſinxerũt orationes, id eſt, eas actiones complexi ſunt, quas neque Cicero attigerat, & ipſi facile coniicere ex propinquitate ſæculi poterant: atque omnino acta illa inſeruerunt, in quibus etiam fallentes nulla vmquam, ſi ſibi conſtitiſſent, refelli hominum memoria valuiſſent. denique ea perſequuti ſunt, de quibus nemo ante loquutus erat, & quæ, cum omnino nulla fuiſſẽt, liberam ad fingendum ſine mendacij ſuſpicione poteſtatem omnibus tribuebant. At vero qui conſolationem Ciceronis effingendam hoc tempore ſumſerit, ne ille non ſolum difficile cum eo certamen inſtituit, qui in hoc genere admirabili excelluiſſe ingenij gloria fertur, ſed etiam ea tractabit, quæ longe a ſua memoria notitiáque remota ſunt, & ſolida doctrinæ monimenta reſtituet, in quibus nullam, vt ibi, res ipſa materiam ad comminiſcendum

ſuppeditabit , quod tota in varietate veterum dictorum factorúmque poſita ſint: quæ ex ſolis philoſophorum atque hiſtoricorũ ſcriptis poſſunt hauriri: quæ quidẽ Cicero cognoſcere facile potuit: huic vero ne in quiete quidem videre iam prorſus amiſſa licebit. demum ea perſequetur, quorum multa veterum teſtimonia exſtant, non ſolum eorum, qui ipſa ſtudioſe legerunt, ſed ipſius etiam qui prodidit Ciceronis; quorum vnum ſi forte omiſerit, continuo falſi reus agetur. Hæc ille. in quibus primum hoc nouum mihi & admirabile occurrit, orationes Ciceroni affingi falſas poſſe; doctrinas ſerias non poſſe: deinde, quæ ille non attigerit, tractari fortaſſe ſimiliter poſſe; quæ attigerit, etſi deperierint, inimitabilia eſſe. denique, ea quæ hominũ memoriam fugiant , fraudi &

mendacio patêre; quę tempus ipſum & longa ætas funditus ſuſtulit, iiſdem malis obnoxia non eſſe. Nam primum quid intereſt oratorium opus an philoſophicum exprimas, cum vtrobique rerum & verborum imitatio requiratur? Deinde quid ad cauſſam pertinet, numquam ſcribſerit Cicero, an ſcriptum interciderit? etſi fama ſcripti permagna eſt. res enim certe quæ periit, & ex hominum notitia euanuit, in eadem condicione eſt, qua eſſet, ſi nullo vmquam tempore fuiſſet. Præterea potuiſſe iſtos ſuperiores etiam falſa inſerere, concedo. at num minus potuit is, qui hoc tempore Conſolationem effinxit? non, inquit Sigonius. *nullam enim, vt ibi, res ipſa materiem comminiſcendi ſuppeditabit.* illa vero

longe maximam. quid enim aut inueniri vberius, aut pertractari ornatius poteſt hoc genere, quo conſolamur afflictos? An tu omnem philoſophiam interiſſe putas, vt præcepta & ſententiæ; aut omnem hiſtoriam, vt exẽpla ſatis multa conquiri & expromi non poſſint? Hiſtoriam certe non putas, quem ego ob ſingularem antiquitatis & rerum geſtarũ ſcientiam hiſtoriam viuam appellare ſoleo. Quod ſi Crantoris, Theophraſti, Xenocrati in hoc genere deſideramus amiſſa monimenta; at Platonis, Plutarchi, M. Tullij ipſius, Senecæ, aliorum ſane multa verſantur in manibus, quæ ad illorũ etiam obſtructos iam nobis & tenebris vetuſtatis interclusos fõtes tamquam manu ducunt. vnde depromere locos diſ-

puta-

putationis quid fuit negotij? Nã de fragmentis quod adiicis, ſubleuaſti tu illum iam diu hoc metũ tua diligentia. qua tamen ipſa quam prudenter vſus ſit, videbimus, neque ita multo poſt. Nunc hoc te moneo, ſi pateris, quoniam quidem neminem tanto interuallo temporum auſurum credis, aut falſam hiſtoriolam componere, aut philoſopho cuius libri perierint non ſuam ſentiam tribuere; caue omnium ingenia æſtimes tuo, vir optime: qui qua es incredibili naturæ bonitate, certe non faceres. At ſunt qui id flagitium nullum habeant, qui noſtram credulitatem ſuam occaſionem putent: quibus aures noſtras dedere; quid aliud eſt, quam dignitatem litterarum, & ſcriptorum veterum integrita-

tem prodere? Deſiderius quidem Eraſmus, auctor ad hanc rem ſane locuples, ſe puero narrat fuiſſe, qui cum M. Tullij recenter multa eſſent reperta, & magna eruditorum auiditate excepta, ludum & iocum facerent Ciceronis amatores paullo incautiores; cuiuſmodi magna huius generis pars eſt. texere enim epiſtolas, aut oratiunculas conficere ſolitos, & recitare pro Ciceronianis. quæ cum illis admirabilia, diuina, ſingularia viſa eſſent, & exſcripta religioſe; rem, vt eſſet, aperuiſſe, & ſtultam ſimplicitatem omnium irriſione pœnas dediſſe. Ex hoc genere, quantum video, hic fuit declamator: qui collectis de vitæ humanæ miſeriis, de morte, de diis immortalibus, de animorum inmortalitate, de piorum præ-

miis plurimis hincinde, ſed ex ipſo maxime M. Tullio locis, & iis in ordinem non incommodum digeſtis, etiam comprehenſionibus ſententiarum, & verborum collocationibus aliquot annorum labore conformatis, centones ſibi non incommode & non infabre conſuiſſe viſus eſt: quibus ſi circumdediſſet pulcerrimum oratorem, & nos eam ſutelam pro veſte lugubri amplecteremur, e latebris in medium proſiliret, & ſibilis irridentium theatra eruditorum compleret. quod quidem neſcio an futurum ſit, & diuulgata falſæ Cõſolationis per Europam fabula ſeſe indicaturus tam præclari facinoris auctor: vt quam ſuo nomine numquam certe adſequutus eſſet famam, eam vel hoc diuturniorem ſpe-

ret , quod Ciceronem ſubtiliſſimo homini C. Sigonio viſus ſit, non ſolum adumbrauiſſe ; nam hoc tamen cum nonnullis ei commune fuiſſet; verum etiam multis partibus ſuperauiſſe: quo certe ne ipſe quidem , niſi impudentiſſimus ſit, vmquam adſpirauit. Deſinant ergo viri docti & acuti argumentum hoc modo conclude. re. Sententias quas aut ex Cicerone aut ex aliis nouimus omnes hîc videmus : de vitæ humanæ miſeriis egiſſe ſe dicit in Conſolatione; hic agit: alia multa, quæ facturum ſe filiæ cauſſa Attico ſcribit, hîc ait feciſſe : omnia & argumenta & membra apte & concinne cohærent. Habeat igitur compoſitionis germanæ fidem. quid enim horum eſt, quod imitator neque hebes neque in-

diligens non & potuerit præſta-
re facile, & debuerit certe? Tam-
etſi non ita accurate collegit om-
nia conſolandi præcepta, vt non
multa huc addi poſſint. quod ap-
parebit, ſi cui Senecæ, Plutarchi,
aliorum expendere vacabit. & id
ipſum magnum ſane momẽtum
eſt, cur hic partus ſubditicius ſit.
nam ei nihil in ſuo genere vm-
quam ſimile fuiſſe ipſe Cicero, o-
ptimus ſui ipſe operis exiſtima-
tor, indicat: & hoc vnum longe
difficillimum fuit, ſecundum co-
piam & varietatem dictionis, ad-
ſequi imitatorem: cetera, vt nihil
eorum omitteret quæ apud Cice-
ronem aut Lactantium dicta ſunt
de Conſolatione, facilia, vt etiam
illud, vt non incommode cohæ-
rerent partes, & omnia plana per-
ſpicuaque eſſent. quod mihi frau-

dis vel maximam ſuſpicionem mouit. Multo enim maior fides facta eſſet, ſi lacunis & maculis oblitus prodiiſſet, & ſitum illum cariemq. tantæ vetuſtatis hiatu partium & multarum cicatricum recentibus veſtigiis præ ſe ferret. quod in ipſis illis diuinis monimentis quibus redintegrandis tot viri erudiſſimi certatim operam dederunt, tamen cotidie adhuc nos magno noſtro & moleſto cum labore experimur. Itaque ne hoc quidem vllam in partem valet, quod omnia hîc fragmenta compareant. nam fac abeſſe vnum, vel plura etiam; an propterea librum repudiares, ſi cetera conuenirent? Quæ hodie Plauti comœdia eſt, in qua non multa fruſtra requiramus, quę antiquiſſimi tamē & probatiſſimi gram-

matici laudant? an eam ob cauſſam aut Amphitruo, aut Ciſtellaria, aut Truculentus Plauti in ſuſpicioñe eruditis hominibus vmquam venit? non magis mehercule, quam aut de legibus, aut Academicæ Quæſtiones, aut Orationes quædam M. Tullio abiudicabuntur, quod in illis non reperiuntur quædam a magnis auctoribus multis ante ſæculis adducta. Prodit enim & probat ſcriptorem ipſa dictio, & rerum pulcerrimarum diuina pertractatio, quæ oſtendatur in hoc libello non par & æqualis, ſed affectata bellius paullo, Ciceronis eſſe con cedam. nunc nihil me mouet ne illa quidem diſputatio, vbi hic ſcriptor legerit, quos nominat & habere ſe iactat auctores. neque enim, ſi nos fallere voluit, aliter

facere potuit, quam vt abs ſe lectos ſimularet. Nam de Theophraſti ſententia, mendacium ipſo ingreſſu a ſeſe ſatis aperte proditur. *Nam*, inquit, *ſi verum eſt, quod a Theophraſto alicubi proditum memoriæ mandauimus, orbem terrarum theatrum quoddam eſſe diuina mente repletum, &c.* Itane Cicero diceret, alicubi proditum, aut memoriæ ſe mandauiſſe, quod Theophraſtus diceret alicubi? at certe opinor libro de luctu conuenit ſententia. ſed oblita ſui nimirum fraus eſt, & ipſa ſua arte tenetur fallacia. Iam quod vehementiſſime ſe premere nos exiſtimat Sigonius, cum omnia genera conſolandi hîc ait afferri, iam attigimus, aliter eum facere non potuiſſe, niſi inſcitiſſimus eſſet: & tamen nihil hic magnope-

re traditur, quod non e Tuſculani diſputationum fontibus in hunc riuulum defluxerit: ſed ita, vt iſthic aquam viuam, hîc lacunam hauriamus; illic irrigua omnia, hic arida multa conſpicemur. Quod vt magis intelligeres, Del-beni, cogitabam equidem cum ex Tuſculana prima, tum ex variis alibi Ciceronis verbis, quibus ſæpe innuit, quid egerit in Conſolatione, aut quid ſui confirmandi cauſſa faciat, facturuſque ſit, afferre plurima, & ex ipſis illis eſſe conſutas & cōtextas pleraſque male cohærentes ſententias docere. Nam hoc inprimis artificio animaduerteram placere ſibi huius libelli auctorem, vt aucupetur verba Ciceronis, de Conſolatione; & ea in rem ſuam, vbi ei commodum fuit, conuer-

rat:vt videlicet maior ſimilitudo maiores nobis præſtigias ob oculos obiiciat, & veritatis perueſtigationem difficiliorem impeditioremq. reddat. Verbi cauſſa; dixerat M. Tullius, profuiſſe ſibi nonnihil Conſolationem, & fortaſſe an profore etiam ceteris: hic noſter in eandem ſentētiam non dubitat, *quin omnes rationes tam ſtudioſe collectæ e ſapientium libris iuuent & delectent.* & agnoſcis Ciceronianum loquendi morem. Ait idem Cicero, ſe naturę vim quandam attuliſſe, vt magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet: hic magnificus in alieno luctu oſtentator fortitudinis, id ſe facturum iiſdem pæne verbis pollicetur. Fatetur aliquando Marcus, quamquam ad ſe leuandum omnia colligat, om-

nem tamen conſolationem a dolore vinci: hic multo maiori animo & virtute inuertit ſententiam, & effecturum ſe minatur, vt vincat dolorem conſolatio. Hæc igitur & alia compluria cogitabam inter ſe contendere, & cuiuis ante oculos proponere putidas ſane & frigidas in hoc genere affectationes ſimilitudinis. Verum id cum cogitarem facere, vidi poſtea ita hîc diligentem fuiſſe C. Sigonium, nihil vt mihi fere reliqui fecerit, niſi vt admirer, eum virum aut non vidiſſe hæc ex illis eſſe aſſimulata, aut vidiſſe, & diſſimulare potuiſſe; nobis etiam ante oculos proponere non dubitauiſſe. quid enim? nonne ad verbum ſunt pęne eadem omnia? nonne frigide hîc ſuis locis inculcata? nonne vbi Cicero digitum

dumtaxat intendit ad ea, quæ dixerit, tamen vberius loquitur, quam hîc, vbi iſta debuiſſent copioſiſſime tractari? in quibus ſingulis non libet immorari. odioſa enim res ſit, & peti ex oratione Sigonij facile atque animaduerti a quouis non imperitiſſimo poſſunt. Illud vero quale tandem eſt, quod primam Tuſculanam totam in hunc librum incluſerit? an, vt ait Sigonius, quia rem eandem poſtea repetere habuit neceſſe? etiamne verba mutuari pæne eadem, neceſſe habuit? Male de Cicerone exiſtimat, qui hoc exiſtimat. Sed quoniam exempla maxime eadem ob rei ſimilitudinem putat vtrobique poſita, conſideremus quædam eorum, quomodo ſint expoſita. De Argiæ ſacerdotis liberis, & Trophonio at-

que Agamede in Tuſculana legimus. *Primum Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filij prædicantur. nota fabula eſt. cum enim illam ad ſollemne & ſtatum ſacrificium curru vehi ius eſſet ſatis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tum ij quos modo nominaui, veſte poſita, corpora oleo perunxerunt; ad iugum acceſſerunt. ita ſacerdos aduecta in fanum, cum currus eſſet ductus a filiis, precata a dea dicitur, vt illis præmij darent pro pietate, quod maximum homini dari poſſet a deo. poſt epulatos cum matre adoleſcentes ſomno ſe dediſſe. mane inuentos eſſe mortuos. Simili precatione Trophonius & Agamedes vſi dicuntur, qui cum Apollini Delphis templum exædificauiſſent, venerantes deum, petierunt mercedem, non paruam quidem operis & laboris ſui, nihil certi; ſed quod eſſet optimum ho-*

mini. Quibus Apollo ſe id daturum oſtendit, poſt eius diei diem tertium. qui vt illuxit, mortui ſunt reperti. Iudicauiſſe deum dicunt; & eum quidem deum, cui reliqui dij conceſſiſſent, vt præter ceteros diuinaret; mortem eſſe optimum homini. Hîc vero de re eadem. *Itaque mortem in beneficij loco tributam a diis inmortalibus iis, quos maxime dilexerũt, traditum eſt. vt cum, Herodoto auctore, Argia ſacerdos, quod optimum filiis eſſet, a dea precata, eos reperit mortuos. Mortem autem tamquam optimam illis eſſe cõceſſam, credamus ſane Apollini Delphico: qui exoratus a Trophonio & Agamede, a quibus templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, vt quod eſſet optimum homini tribueret, poſt diem tertium exanimes ſunt inuenti. quo munere iudicauit deus, & deus is, cui diuinationis partes*

a reliquis diis ſunt relictæ, mortem homini omnium rerum eſſe optimam. Hîc, vt cetera miſſa faciam, certe comprehenſio extrema tota detorta ex Cicerone eſt. nam in ceteris pæne voculas omnes conſectatum eſſe, apparet. illa vero, ſi quæ vmquam, frigida & inepta ταυτολογία eſt; *a quibus templum magnifice Apollini exædificatum erat.* Videlicet quia legerat in Tuſculana; *cum Apollini Delphis templum exædificauiſſent*; omittere dei nomen religioni habuit. Quid ego alia commemorem indidem depromta loco paullo inferiore, vt dolus eſſet tectior: de Sileni ſcito, de Euripidi verſibus, de Elyſij Therinęi diuino ſomnio? quæ ſane præteriſſem, niſi viri docti non afferrent modo, ſed etiam ipſo Ciceronis loco (o facinus!)

cōcinniora & pulcriora eſſe contenderent. Sic autem Cicero ſtatim poſt ea, quæ modo attuli. *Fertur etiam de Sileno fabella quædam: qui cum a Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur: docuiſſe regem, non naſci homini longe optimum eſſe; proximum autem, quamprimum mori. qua eſt vſus in Creſphonte ſententia Euripides.*

Nam nos decebat cœtus celebrantis, domum
Lugere, vbi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantis mala.
At qui labores morte finiſſet graues,
Omnis amicos laude & lætitia exſequi.

Simile quiddam eſt in conſolatione Crantoris. *ait enim Therinæum quen-*

dam Elyſium, cum grauiter filij mortem mæreret, veniſſe in Pſychomantium, quærentem quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa. huic in tabella tris huiuſmodi verſiculos datos,

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euthynous potitur, fatorum numine, leto:
Sic fuit vtilius finiri ipſique, tibique.

Hic, vt memorem diſcipulum par eſt, ſatis induſtrie veſtigia ſubſequens magiſtri, hoc modo. *Sileni quæ fertur fabula; ſi grauioribus ludicra interdum admiſcere liceat; idem certe confirmat. qui captus a Mida miſſionem doctrina redemit. docuit autem regem, nunquam naſci optimum eſſe; celeritatem autem mortis proxime accedere. idemque Euripidis teſtimonio poëtæ ſapientiſſimi comprobatur. Sed Crantor noſter patri,*

filij mortem ægerrime ferenti, *reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene beateq. eſſe, vtiliusq. futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet*. Non faciam, quod homo eruditiſſimus non erubuit facere, vt hæc cum Cicerone contendam. vnum monebo. FERTVR verbum vides in hoc, quoniam idem in Cicerone vulgo eſt: quod non debet. Habent enim omnes membranæ, quas cum cura inſpexi, AFFERTVR. plane rectius: & capio eos, qui epilogum rhetorum in ſcholis decantarint. Sic exemplo primo dixit, *Primum Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filij prædicantur.* & ſecundo, *Simili precatione Trophonius & Agamedes vſi dicuntur.* & nunc tertio, *Affertur etiam de Sileno fabella.* neque aliter concludit

mox locum, *His & talibus auctoribus vſi confirmant mox cauſſam.* Leue hoc argumentum ſcio pleriſque viſum iri; mihi non leue. animaduerto enim ſæpe hunc imitatorem peruerſione locorum, quæ eſt in noſtris editionibus, in fraudem impulſum eſſe. Cur autem in illis ſuperioribus Euripidi verſus non poſuit? an parum meminerat miſer, luctu ac mærore proſtratus? an potius hoc carioſa vetuſtas exêdit, vt e Tuſculana qui vellet poſſet reſtituere? ſcilicet ſi reperiret, quos falleret. Crantoris illud oraculum ſane nouo modo & ſingulari interpretatur. Nam ego ex græco illo, quem Plutarchus adducit,

οὐκ ἦν γὰρ ζώειν καλὸν αὐτῷ οὔτε γονεῦσιν;

& altero verſu latino, quem Ci-

cero, de illo expreſſum:

Sic fuit vtilius finiri ipſiq. tibique,
ex illis, inquam, hoc intelligebam. quoniam Elyſius mæreret, & filij cauſſa, cui ante iuſtam ætatem vita erepta eſſet; & ſua, qui herede vnico & ſuauiſſimo oblectamento ſenectutis careret; eximi ipſi vtrumque hunc ſcrupulum a genio: cum neque ex filij vſu fuerit in vita diutius permanere, ob calamitates imminentes; neque ex parentis, ob luctus quos acerbiores ex miſeriis filij percepturus fuiſſet, quam percepiſſet ex morte. Hoc igitur ego: ille imitator, quid ſequatur, ipſe viderit. nam, opinor, præter vanitatem & errorem nihil. Etiam hæc operæpretium eſt conſiderare. *Ipſe enim diſceſſus animi a corpore vel cum nullo, vel certe cum modico dolore*

ſit, & interdum ſine ſenſu, nonnumquam etiam, ſi recte ſapimus, cum voluptate. Sed quidquid ſit, totum hoc ita leue eſt, qualia ſunt ea quæ puncto temporis fiunt. Sunt enim ita expreſſa, vt dubitari non poſſit, de illis eadem Tuſculana prima. *Vbi igitur malum eſt, quoniam nihil tertium eſt? an quoniam ipſe animi diſceſſus a corpore non ſit ſine dolore? vt credam ita eſſe, quam eſt id exiguum? & falſum eſſe arbitror: & fit plerumque ſine ſenſu; nonnumquam etiam cum voluptate. totumque hoc leue eſt, qualecumque eſt. fit enim ad punctum temporis*. Ne hîc tamen nihil de ſuo adiiceret noſter rhetor, & vt aptius caderet verborum circumductio, addidit; *ſi recte ſapimus*: quod profecto, ſi recte ſapuiſſet, numquam addidiſſet. Fac enim ſapientem æquo animo mori,

quod eſt veriſſimum, ideone etiam cum voluptate? Eſt enim voluptas iucundus motus in corpore. qui cum ſe incitauit vehementius, ſæpe naturam impetu diſſoluit, & hominem totum extinguit. Zeuxin pictorem, & comicum Philemonem, aiunt immoderato riſu ſolutos animam exhalauiſſe; Chilo e ſeptem Sapientibus Græciæ, & e nouem Lyricis Pindarus, atque de populo permulti alij lætitiæ magnitudine victi vitam profuderunt; nec deſunt, qui inter luſus veneris titillantem libidinem ferre non potuerunt. Ii ergo omnes non quia recte ſaperent, ſed quia vim voluptatis ſuſtinere non poſſent, occiderunt: quæ vndique efferuiſcens compagem imbecilli corporis diſiecit. Neque aliud ſigni-

ficare Ciceronem oſtendit manifeſto, quod de dolore mortis agit non de animo bene an male conſtituto: quem vt inminuat, ait interitum in morte etiam a voluptate ineſſe poſſe. Perperam ergo & præter mentem Ciceronis etiam hæc noſter rhetor effutiuit. Iam vero quam acute ſibi videtur expreſſiſſe hoc ex ſecundo Officiorum! *Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum Peripatetici magni & copioſi, qui collectis ceteris cauſſis eluuionis, vaſtitatis, peſtilentiæ, beluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumta; deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis & ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines ho-*

minibus plurimum & proſint & obſint. Sic verus & germanus Cicero: hic ſubditiuus & inanis quanto breuius! *Meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum & eruditum conſcripſit, nihil habere dubitationis putauit, quin multo plures exſtincti ſint homines ipſa hominum ſæuitia & acerbitate quam omni reliquo genere calamitatis.* & tamen in tam breui ſententia non mediocre peccatum, librum laudare de interitu hominis; qui eſſet de humani generis calamitatibus & exitiorum cauſſis inſtitutus. Quod etſi Græcus ita inſcriptioně inſtituiſſet, quod non fecit; liquet mihi tamen, Ciceronem ſequuturum non fuiſſe, ob linguæ latinæ cõſuetudinem, & ſonum pleniorem. qua de eadem cauſſa idem maluit DE OF-

FICIIS opus ſuum nominare; cum Græci ſolerēt, περὶ καθήκοντος. Sed huiuſmodi imitationum exempla conſectari infinitum ſit. neque enim minor fere numerus eſt, quam huius libelli verſuum: & ab his paucis admonitus, quiuis quot volet obſeruare per ſe iam poteſt, qui in M. Tullij ſcriptis modo non plane hoſpes eſt. Sed quoniam C. Sigonius hinc ad fragmenta delabitur, & ab illis Ciceroni conſolationem nouam aſſerere conatur; quod non exiſtimet tantam diuinitatem poſſe cadere in noſtri ſæculi vllum mortalem, vt tam apte omnia includat in ſuum commentarium, quæ priſci ſcriptores tam diſperſe adferant: lubet hoc etiam perpendere, & examinare paullo diligentius. neque enim, vt meus

captus eſt, ita apte omnia, vt ille videri vult, puto illigata & intexta eſſe alieno operi. Primum igitur illud ex Pliniani operis proœmio adductum ab A. Patricio ſatis ſcite arripuit, & verbis Ciceronis, tranſcriptis ex Lucullo, inuoluit. *Sed ego Crantorem ſequor, cuius legi breuem illum quidem ſed vere aureum & vt Panætio placuit, ad verbum ediſcendum de luctu librum, quo acute vniuerſam doloris medicinam complexus eſt.* Hic primum illud quæro, quod ſæpe facio, ſoleatne ita putide Cicero ſuas etiam voculas, cum de re eadem iterum agit, repetere. Quam enim omnia ſimilia in verbis Ciceronis, quæ iam diu An. Riccobonus adduxit! *Legimus omnes Crantoris, de luctu. eſt enim non magnus, verum aureolus, &, vt Panæ-*

tius Tuberoni præcipit, ad verbum ediſcendus libelius. Quis ille tam inſulſo cerebro, & tam craſſis auribus, qui in puerili periculo ferre poſſit tot verba aliunde tam aperte ſublecta? & nos ipſi Ciceroni tantam infantiam appingemus, neque erubeſcemus? Hoc ergo primum ex Sigonio quæro. Deinde, exiſtimabimusne nullam eum ſui facti cauſſam adieciſſe, cur Crantorem potiſſimum auctorem ſequeretur? Fecit id certe in Officiis, cur Panætium & Stoicos; & in libris de legibus, cur Platonem imitaretur. idemque in de repub. commentariis curauiſſe, multa argumento ſunt. Non veriſimile eſt igitur, hic prætermiſiſſe: vbi præſertim maxime opus fuerat. itaque ne obſcura quidem nobis ratio eſt. Nam natura

an voluntate noſtra & molli quadam animi inductione mærore afficiamur, in luctumq. abripiamur, magna quęſtio eſt, & exagitata diu multumq a diſſidentium philoſophorum ſcholis. Crantor natura nos afflictari cenſuit, & huic parêre cum mediocritate quadam doloris, hominis putauit eſſe legi naturali obſequentis. ideo cedendum dolori, & indulgendum eſſe deſiderio noſtrorum, idq ab humanitate ipſa nos doceri, exiſtimauit. Hoc M. Tullius ſequutus, excuſandi ſui ſatis magnum momētum habere credidit: quod vehemētiſſime commotus eſſet morte vnicæ & probatiſſimæ filiæ. Scripſiſſe enim Conſolationem in medio luctu, neque tam ſui plane confirmandi cauſſa, quam ab illo lugubri

ſletu paullulum abducendi, ipſe multis locis teſtatur. Itaque hoc quod officio quodam pio & debito ſe facere exiſtimabat, vt valde doleret, id ſibi eripi nolebat, quod conantur Stoici, qui omnino lugendum negant; permittit Crantor, qui dolori adhibendum dumtaxat temperamentum cenſet, non fibras eius & ſtirpes omnes, id quod fieri poſſe non exiſtimabat, eſſe recidendas. huius ergo molliorem ſententiam probauit, quam in Conſolatione ad Apollonium Plutarchus recitat. Μὴ γὰρ νοσοῖμεν, φησὶν ὁ ἀκαδημικὸς κράντωρ, νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων, εἴτ' ἀποσπῷτο. τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ. τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς, ἐκεῖ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν. & Cicero in Tuſculanis venuſte expreſſit, vel diuine po-

tius,vt omnia. *Senſus adſit, ſiue ſecetur quid, ſiue auellatur a corpore. nam iſthuc nihil dolere non ſine magna mercede contingit immanitatis,in animo; ſtuporis, in corpore.* hic noſter non neglexit id etiam in ſuam rem conuertere; ſed ita deprauauit, vt ne latine quidem loquatur, quantum eius ego intelligo. *Eſt*,inquit,*quatenus homo doleat, & quod prudenter a Crantore dictum eſt, ſiue ſecetur pars aliqua corporis,ſiue auellatur, ſenſus adeſſe debet. iſthuc enim non dolere, fieri non poteſt, quin quemadmodũ feritatem corporis quãdam, ſic animi ſtuporem maximum indicet.* nam recte dici feritatem corporis,cum ſignificetur ἀναισθησία, non arbitror:Ciceronem quidem ſcio, vt pro Cælio, vt alibi, duriciam corporis,dicturũ fuiſſe. Sed vt cauſſam neglexit dicere,

cur Crantorem ſequeretur: ita tota in diſputatione hoc ipſum πάθος patris afflicti, & proſtrati maximo animi dolore, nuſquam exprimit & ſeruat; & ne conatur quidem. quæ enim pars libri eſt, quæ nos non dico ad luctum aut fletum impellat, ſed omnino cõmoueat paullo magis? M. Tullium ſi audire aut legere cotingeret, quis ille tam ferreus, qui non tam acerbum caſum, omnibus eloquentiæ luminibus illuſtratum, ſuis lacrimis nunc quoque proſequeretur, & fatis ipſis iraſceretur in aliena calamitate diſertiſſimi & præſtantiſſimi viri? At hic ſenex etiam lætatur, gaudet, exultat, triũphat denique omni hilaritate animi morte filiæ, quod eam cum dis agere æuum ex philoſophia didicerit; quod

memoriam eius fore ſempiternam ſperet. quæ ſæpe occurrent relegenti tibi, Del-beni, vt a me indicari loca nihil ſit neceſſe; & piget ſane tranſcribere. ita enim frigide hæc ipſa tractata ſunt; vt riſum mihi perſæpe, interdum ſtomachum excuſſerit, poſſe iſta pro Ciceronianis probari. At, dicet aliquis, tantumne ergo lamentatus eſt Cicero, cum ſeſe conſolari dicat? non tantum. ſed bonam partem lacrimæ, adeoque ſingultus etiam, abſtulerunt: cum de miſeriis hominum & huius vitæ acerbiſſime & vehementiſſime deploraret; non, vt hic, ſcholaſtice & male cohærentibus rhetorum locis: cum de ſuæ & de ipſius filiæ fortuna varia miſerabilique conquereretur: cum ſolitudinem inprimis ſenectutis ſuæ in

omnium

omnium maximarum rerum amiſſione lugeret. Quæ omnia cuiuſmodi fuerint, ſi voles ſuſpicari; vide ſis vel perparuam ad Ser. Sulpicium epiſtolam, qua conſolationi illius reſpondet; vel omnes ad Atticum libri duodecimi. aut ego vehementer fallor, aut hîc nugari, illic lamentari, hîc rhetoricari inepte, iſthic philoſophari erudite, dicturus es. Et dubitabimus, qualis fuerit in accuratiſſime ſcripto volumine, cum tam grauis ſit in ſcidis properanter effuſis? At profecit tamen aliquid conſolatione ſua. profecit: hactenus, vt fletum mærentem, vt ipſe vocat, & luctum imminueret; dolorem illum obſtinatum retineret. vt Marco noſtro dicere poſſemus id, quod Seneca Marciæ ſuæ in re eadem dicit.

Manet quidem tibi, Marcia, etiam nunc ingens triſtitia, & iam videtur duxiſſe callum, non illa concitata, qualis initio fuit; ſed pertinax & obſtinata. Sic enim illo loco legendum, non cum editis omnibus, *qualis in illo fuit*; aut cum quibuſdam viris eruditis, *in Liuia.* nam quid vetat, Del-beni, quoniam nihil agere & nugari in hoc luſu ſemel placuit, operam parum aut neceſſariam aut vtilem alia paullo vtiliore interdum condire? Itaque admonuit me hic locus, vt fragmentum etiam aliud, quod imitator intexuit in diſputationem de immortalitate animorum, eo adſcriberem, vt oſtenderem, illum non modo libros vulgatos in omnibus tranſſcribendis ſecutum, ſed ne paullo quidem veteriores, ſaltim vt nos paullo

tectius falleret, inſpexiſſe. Ait Cicero Tuſculana prima. *Hanc nos ſententiam ſecuti, his ipſis verbis in Conſolatione expreſſimus. Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt. nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum eſſe videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat; quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia: quæ ſola diuina ſunt. nec inuenietur vmquam, vnde ad hominem venire poſſint, niſi a deo. Singularis eſt igitur quædam natura atque vis animi ſeiuncta ab his vſitatis atque notis naturis. Ita quicquid eſt illud quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & diuinum eſt, ob eamq. rem æternum ſit, neceſſe eſt.* Hîc omnes

paullo antiquiores libri habent; & habent recte, vt arbitror. *quod ſapit, quod viuit, quod viget.* Nam mente, vita, motu circumſcribit animum hominis rationis compotem. Iam quid de illo fruſto huius libri dicam, quo cum conſecratæ Tulliæ memoria conſeruata eſt? Equidem vix audeo contra magnos viros, & magnæ auctoritatis, oratione contendere: & tamen res cogit, apertiſſimam ſententiam, & cum primis idoneam ad arguendam vanitatem ſubditicij libri, non negligenter præterire. quam præſertim vir pereruditus A. Patricius labefactare corruptela conatus eſt; Carolus autem Sigonius ex hoc recenti impoſtore ſeſe reconcinnare etiam, & verbis aliquot auctam renouare atque ſupplere, glorie-

tur. Ait Lactantius, ſcripſiſſe Ciceronem in Conſolatione. *Cum vero & mares & feminas cõplures ex hominibus in deorum numero eſſe videamus, & eorum in vrbibus atque agris auguſtiſſima templa veneremur; aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis atque inuentis omnem vitam legibus & inſtitutis excultam conſtitutamq. habemus. Quod ſi vllum vmquam animal conſecrandum fuit, illud profecto fuit: ſi Cadmi, aut Amphionis progenies, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus eſt. Quod quidem faciam, teq. omnium optimam doctiſſimamque, approbantibus diis immortalibus ipſis in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo.* Hîc ſententiam loci anxie quærit Patricius; & tandem vt in aram, confugit ad mutationem

ſcripturæ: quod hîc certe minime fuit neceſſe. Quid enim clarius, quam hoc dicere Ciceronem? ſi colantur religioſe in dis mares & feminæ, maiorum ſapientiæ credendum eſſe, & ſtatuendum ab hominibus perueniri ad deos: & certe ſi vllum animal conſecrandum fuerit, hominem potiſſimum fuiſſe; qui animantium omnium generibus antiſtaret dignitate & præſtantia longiſſime. quod ſi autem ex hominibus feminæ etiam in cælum ſublatæ ſint, vt Semele, vt Chloris, vt Helene; ſuam quoque Tulliam idem promereri ſanctitate vitæ & excellentia doctrinæ. hunc ſenſum quis non probet, aut eruat? vt mirer, quid eruditiſſimis hominibus nubeculam in tam clara luce ob oculos offuderit. Sed operæpre-

tium eſt videre, quo modo hæc imitator adduxerit. nam cenſent magni viri, artificio hic inprimis vſum admirabili atque ſingulari. *Qui ergo, inquit, ad hominum vitam vel adiuuandam vel excolendam atque exornandam aliquid attulerunt, quique virtutibus rerumq. geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet iure deos habitos, diuinoq. cultu affectos eſſe. Neque ego vllo pacto auderem hoc primus prodere. non enim tam ſtudioſe quæ laudari poſſunt appeto, quam reformidare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid vel leuioris culpæ redundare. Cum vero & mares & feminas complures in deorum numero eſſe videamus, & eorum in vrbibus atque agris auguſtiſſima templa veneremur; aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis & inuentis omnem vitam legibus & inſtitutis excultam*

habemus. tantis enim ducibus aberrare non poſſumus: nec a nobis, ſed ab illis ipſis quos ſequimur, rei tam iuſtæ ac debitæ ratio repoſcetur. iure enim feciſſe putandi ſunt, qui ne quem virum aut feminam præclare meritam debito honore ſpoliarent, eorum memoriam ſanctam venerandamq. eſſe voluerunt. nos autem iniuſte ageremus, ſi quos pari cultu venerationeque dignos cognouimus, eos pateremur ſilentio præteriri. Neque hoc de te vna, mea Tullia, dictum volumus, cuius exſtabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ ad omnem æternitatem impreſſa veſtigia, ſed de iis omnibus, quos tali honore dignos aut ipſi vidimus, aut futuro tempore poſteritas intuebitur. Nunc autem de te loquar, quam non ego amiſſam, aut mihi penitus ademtam velim dicere: cum illuceſcat menti meæ quotidie magis

præclariſſima nominis tui tuarumq. virtutum gloria. vigebis autem memoria, quamdiu monimenta exſtabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia. quæ ſempiterna fore, cum præſtantiſſima ſint, plane confidere debemus. Tibi igitur numquam me debitum perſoluiſſe officium putabo; niſi de me optime meritam, quem eximie coluiſti; ac de patria, quam ſemper ornaſti, ſupremo honore decorauero. Id autem facile conſequar: cum is locus quem tibi delegi, ſempiternam habiturus ſit religionem. noſtra vero, ſi qua erit ex ea re conſolatio, quæ magna certe erit; aut ſi qua laus ex paterna pietate, mihi certe iucundiſſima acciderit. nihil enim aliud vel audire, vel memoria repetere libentius poſſum; quam me in eam, quam ſumme dilexerim, ſummeq. diligendam merito ſuo cenſuerim, quam

maxime pium gratumq. eſſe. cum præſertim in alienos, quia de ſe optime meriti erant, tam prolixos liberaleſq. ſeſe, & maiores noſtri, & exteri præbuerint. Quod ſi vllum vmquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Ægyptij, quod nullum profecto fuit: ſi Cadmi, aut Amphitrionis progenies, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit; huic idem honos certe dicandus eſt. quod quidem faciam, teq. omnium optimam doctiſſimamque, adprobantibus dis immortalibus ipſis in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. In his tam anquiſitis ambagibus quot ſunt, quæ reprehendi iure optimo poſſint! Primum, an Cicero primus prodidit, deos ex hominibus fieri beneficiorum in genus mortalium magnitudine? neque id dicere

audebit quiſquam; & ſi dicat, ex illo ipſo Cicerone confutabitur. Et tamen hinc quoque ſententiæ ſuæ firmamentum adſtruere Sigonium video. in quo moneo optimum uirum, vt diligenter circumſpiciat, quomodo poſſit a mendacio defendere, vt ille vult, Ciceronem; vt ego, Ciceroniaſtrum: cuius hoc certe non minimum peccatum, in tam aperta & manifeſta re tam turpiter offendiſſe. Deinde, cur illa tam verboſa vni continentiq. fragmento, niſi nos Lactantius fallit, interiecit? an omiſit Firmianus, vt ſuæ cauſſæ non ſeruientia? immo hic noſter ſententiam loci non vidit, & iſta Patricij dubitatione in fraudem impulſus, belle ſe hac declamatiuncula locum interpolaturum exiſtimauit, ſi laudem

Tulliæ, & ſuam pietatem, & maiorum auctoritatem interſpergeret. In quibus ipſis exornationibus tamen quid eſt, quod ait; *ſupremo honore decorauero?* an hoc vult dicere, iuſtis ſollemnibus? at ea iam aut facta erant, aut certe fieri rite poterant, etiamſi locus conſecrationem aut perpetuam memoriam non haberet. an intelligit honorē ſupremum eum, qui poſſit in hominem conferri maximus ampliſſimuſque? Scilicet ita intelligere. nam id euincunt ea, quæ ex epiſtolis aliquot ad Atticum proximæ comprehenſioni illigauit. Sed eo modo vbi loquitur aliàs noſter Cicero, aut alius auctor non malus latinitatis? Nam *ſummos honores* latini ſemper dicunt, maximos cum intelligunt; cum vltimos, hoc eſt,

funebrium exſequiarum , *ſupremos.* & ita Virgilius accepit; ad cuius locum reſpexiſſe potuit imitator; etſi parum perſpexit ſententiam.

-egregias animas decorate ſupremis Muneribus-

Sed vt hæc mittamus, quæ longa ſunt, & in hac feſtinatione omnia exanimari non poſſunt, illud tandem quale eſt, quod ait nullum animal conſecrandum fuiſſe? tane vero, noue Arpinas, nullum animal conſecrandum fuit? ergo ne homo quidem; &, ſi tibi conſtare vis, nec Tullia. niſi fortaſſis aut homines in animalibus cenſeri tibi non placet, aut feminas in hominibus. quod vt probes Dialecticis, ſudabis ſatis: neque tamen, vt probes; quod fieri nullo modo poteſt; ſententiam ex

iſtis tuis verbis vllam idoneam elicies: niſi ego nihil video. Verum profecto noſter rhetor homines eſſe animalia non putauit: vt idem ne feminas quidem homines eſſe exiſtimauit. quod ſi planum facio, ecquid cauſſæ eſt, cur Ciceroni hæc tam ignominioſa falſæ & certe indignæ tanto ſcriptore Conſolationis macula detrahatur? Audi igitur de mulierum incommodis ῥητορεύοντα; ſed ita, vt Marcus noſter ranunculos ait, in palude vaticinantes. nam exprimit tandem dolor animi & rei indignitas veram a me vocem, & iſti impudenti confidentiæ debitam. *Maritos, inquit, ſæpe fatuos, parum de re domeſtica ſollicitos, pecuniam profundentes nanciſcuntur. ex quo paupertas & luctus: quibus malis eo premuntur grauius;*

quod non, vt homines, indagare poſſunt, qua maxime ratione medeantur incommodis, rebuſq. ſuis conſulant. Vides ne eum hoc dicere, mulierculas incommodis ſuis occurrere remedio non poſſe; homines, hoc eſt vt accipere nos neceſſe eſt, viros poſſe? quod illis & animi & conſilij minus ſit, & vmbris parietum contineantur; hi & fortitudine prudentiaque nitantur, & in luce vitæ atque communitate ciuium ſatagant rerum ſuarum. Sed ad hunc eundem erroris ſcopulum iterum illidit inferius. *Ac niſi turpe videatur homines a mulierculis multo certe imbecillioribus fortitudinis exempla petere, repetamus ex hiſtoriis Aſdrubalis vxorem.* Satiſne manifeſto oſtendit, ſolos ſe homines nouiſſe, qui mares ſint? quia vulgus Italiæ & Galliæ ἰδιω-

πισμῷ linguæ patriæ ita vſurpet. quis autem neſcit, aliter ſolere latinos? aut quis exempla requirit, qui meminit Seru. Sulpicium in conſolatione ad ipſum M. Tullium de hac eadem Tullia ſcribere; *quoniam homo nata erat?* & tamen hæc & huiuſmodi ſermonis dehoneſtamenta non ſolum vetera dicere; ſed etiam, ſi dis placet, Ciceroniana audemus. Verum ad fragmentum ſuperius, vnde huc delapſus ſum, redeo. Mihi ergo dubium non eſt, quin docuerit M. Tullius, vnde ad nos proueniret ingens vtilitas, ea in deorum numerum a maioribus relata eſſe. ita Ægyptios eas beſtias, a quibus aut defenderentur aut adiuuarentur, conſecrauiſſe: ceteras gentes præclaros viros & de rebus publicis optime meritos,

tos, aut feminas honeſtate & virtute inſignes, in cælum cultu ſuſtuliſſe. Huic diſputationi conuenit examuſſim hæc concluſio. ex animantibus maxime hominem fuiſſe diuino cultu afficiendum: ex hominibus præſtantiſſimum quemque, ſiue marem ſiue feminam: in iis autem eſſe Tulliam. Neque diſſimulabo hoc quoque, in tribus illis, quorum progeniem ait in cælum perueniſſe, ſubobſcurum eſſe, quem dicat Amphionem; Sic enim in Lactantio etiam nunc editur. niſi quod legere me memini, filiam eum habuiſſe Chloridem: quæ ſi eadem eſt, aut Ciceroni noſtro eadem eſſe viſa eſt cum dea florum; recte & ordine adiunxerit illam Semelæ & Helenæ. de quo tamen nihil definio. ſed neque

imitatorem laudo, qui Amphitruonem repoſuit; vt ante illum ipſe Sigonius,& Patricius. repugnant enim & editi & ſcripti libri Lactantij, quos ipſe vidi; & de mulieribus tãtum loqui, conuenientius ſit argumento. tu cogitabis, Del beni; nos ad inſtitutum. Ecquid enim aut diſſimulare poſſumus, aut Sigonij auctoritate demoueri, quin aperte præ nobis feramus, illud parum apte videri inſertum fragmẽtum; aut, vt planius dicam, valde inepte? *Cedo! en manum tollo!* Ait hoc Lactantius poſitũ a Cicerone, cum, poſt commemoratos permultos ſuos caſus aduerſos, quos fortiter pertulerit tamen, & conſtanter retuderit, ſubijceret; hoc vulnere amiſſæ filiæ ita ſe afflictum, vt cederet victrici fortunæ, &, infra-

ctum ſe debilitatumq. animo confeſſus, manum tolleret. Hoc igitur quam παθητικῶς arbitramur, & quibus ληκύθοις eſſe depictum, & ob oculos omnium poſitum? vt ille pericula Sullana, contentiones Clodianas, fugam illam miſerrimã exaggerauit, & ſuum robur in omnibus perferendis amplificauit! vt amicorum perfidos, inimicorum crudeles, ciuium ſuorum ingratos animos ſuo more perſtrinxit! tum quam hunc caſum oſtendit iſtis omnibus calamitatibus longe maiorem & triſtiorem! tanto ſcilicet, quanto iſthic fortior fuit, hic abiectior eſt confeſſione ſua in reſiſtendo. Equidem animo mihi propono Ciceronem cum fortuna luctantem diu, & quaſi reſtitantem, & vix ægreque tandem

impotenti hac crudelitate coa-ctum manus dantem, & fractum ſe abiectumq. ab ea ita eſſe, vt conſurgere non poſſit, confitentem. At quibus hæc verbis expreſſit imitator! *Noſti enim*, inquit alloquens filiam, *quam ſemper alacri fortiq. animo cunctis caſibus reſtiterim: vt ne me quidem pulſum patria, omniq. plane dignitate ſpoliatum, tam acri impetu frangere ac deijcere fortuna potuerit. Cum inimicis autem quanta contentione decertauerim, quæq. mea fuerit in illis refutandis frangendiſq. virtus & conſtantia, norunt omnes, qui varios ciuitatis noſtræ caſus curioſe notauerunt. Cum vero, Tullia, te mihi extremo loco fortuna ademiſſet, tum equidem intellexi, quantum illa in rebus poſſet humanis, quantaque aduerſum me ipſum vi ac poteſtate niteretur. itaque nihil ha-*

bui quod dicerem; niſi, cedo, & manum tollo: cum tam graui vulnere accepto plane dolore perculſus atque afflictus eſſem. Hæc quantis laudibus efferat C. Sigonius, non neſcio; illud, quam ex animo id faciat, neſcio; id quidem ſcio, in re tam calida ita frigere ſermonem, vt frigus ipſius Tulliæ mortuæ ſuperare poſſit. Hoc certe ſole meridiano clarius eſt, victum hîc imitatorem affectus magnitudine, quem dolentiſſimum inducere, & omnibus miſerationum coloribus exacerbare debebat, deſperaſſe facultatibus ſuis, &, quod de Cicerone ait ipſe, nihil habuiſſe, quod diceret, niſi id quod a Lactantio acceperat; *cedo! en manum tollo.* in quo prudentes & eruditos omnes ſat ſcio riſum ſuſtuliſſe. Iam illud etiam idem La-

ctantius de philoſophiæ obſcuritate prolatum in Conſolatione teſtatur. *Sed neſcio qui nos teneat error, ac miſerabilis ignoratio veri.* & conuenit egregie ad conſuetudinem M. Tullij; qui ne de rebus incertis & inter ſummos viros eruditiſſimoſq. homines maxime controuerſis ſententiam temere ferret, Academicorum rationem ſequutus eſt in rebus omnibus in vtramque partem diſputandis. at iſte noſter cum philoſophiæ lucem mire laudauiſſet, tranſtulit ad obiurgandos homines, qui præceptis ſapientiæ non pareant. *Nihil*, ait, *accidere graue poteſt iis, qui ſpe iam propinqua futuri boni recreantur & aluntur. Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri. non enim tantopere bonis delectamur, quam malis affligimur.*

hoc etiam non commodiſſime, niſi nos fefellit Lactantius. Sed a fragmentis aliquando & ipſi abeamus. quæ ſi non modo non aptiſſime, ſed etiam mendoſe aliquot locis, & contra Ciceronis mentem inſcribſit libro ſuo, non vetuſtate vitiata, ſed ignoratione ſententiæ deprauata, iam opinor hoc dabit C. Sigonius nobis, non fuiſſe, quod tantis laudibus eam operam prope in cælum extolleret: cum id ipſum, fragmenta aliunde decerpta ſuis ſcriptis intexere non tam ſit difficile, quam ille vult. quod nos admonere potuerunt Ciceroniani auorum & patrum noſtrorum memoria docti & accurati viri: quibus iniuriam inſignem fecero, ſi cum hoc declamatore conabor committere illorum multo felicius expreſ-

ſas & adumbratas de Cicerone integras ſæpe multarum ſententiarum comprehenſiones. Sed ſequamur ad exempla hiſtoriarum: a quibus duplex argumentum deducit Sigonius, cur hic liber Ciceronis ſit. primum, quia quædam iiſdem pæne verbis a Valerio Maximo, & Annæo Seneca adducantur: iſti autem ſoleant libenter a Cicerone mutuari non modo rem aliquam, ſed etiam eadem rei explicandæ vocabula. & obſecro te, Sigoni, non tu vides, qua prudentia es, & quo rerum vſu, quid noſtri imitatores ſoleant? nonne compilare veterum ſcripta, prope dixerim, ſyllabatim? an in medio non erat Valerius aut Seneca? aut purius hic fons fluit, quam iſti rivuli, vt tu credis? quod contra eſſe depre-

hendet, quicumque ad Marciam, aut ad Heluiam matrem Conſolationem in manus ſumet. Hoc igitur leue ac nugatorium: paullo grauius alterum eſt. Orationis Fabianæ, qua filium mortuum laudauit, argumentum dicit, recenſeri: quod ſcire non potuerit, aut ſuſpicari ſaltim, niſi eam vidiſſet & legiſſet. Quaſi vero aut laudationem in funere filij habuiſſe patrem Maximum obſcurum ſit, quod prodiderunt Plutarchus & Cicero; aut nos ignoremûs, non in conſolando ſeſe aut ſuos, ſed in celebrandis defunctorum laudibus eas a propinquis ſolitas eſſe conſumi. quod cum ſit ita notum omnibus, vt negari non poſſit, ne vera illa quidem ſunt, quæ vt ſingulariter dicta Sigonius admiratur. *Cum*

præſertim hoc in illa laudatione & admirari & obſtupeſcere ſoleamus, quod non, vt alij, de ceterorum fortitudine diſputat, vt ſuum ipſe dolorem aliorum exemplo minuat: ſed in filio hærens illius maxime virtutes propriaſque laudes, quæ vel acerbiorem efficere doloris ſenſum poterant longiſſimo ſermone proſequitur. Non enim ij qui funebres orationes habebant, etſi more patrio propinqui eſſent, tam fortium virorum exemplis ſe animabant, quam virtutem ſuorum populo Rom. ob oculos collocabant. Sed videlicet viderat hoc fieri in conſolationum epiſtolis aut commentariis: a quibus non recte idem ad laudationes trãſtulit. Et ea exemplorum coaceruatio ſola nos poterat admonere, quantum abſit a puriſſimo M. Tullij flumine, quo in philo-

ſophicis maxime ſcriptis ſedatiſſime & limpidiſſime fluit, hic torrens coactæ & concitatæ ab inopia rerum copiæ verborum. Apparet enim in ſingulis pæne exemplis voculas conquiſitas eſſe ad complendos ambitus periodorum. In tranſitionibus maxime laborat, ac æſtuat: nec facile alibi magis elucet vana affectatio alieni ingenij exprimendi, quod adſequi non poſſis. Puta, cum a Fabio ad Puluillum tranſit; *Quod ſingularis virtutis exemplum fortaſſe Horatij Puluilli laudem magna ex parte deminuere videatur. quem tamen ſummum virum ſilentio præterire nefas ducimus.* cetera e Valerio deſcripta ſunt: ſed in iis parum recte hoc mutatum; *nec vultum a populo auertit.* nam aliud ſignificat Maximus, cum ſcribit; *a publica re-*

ligione. Deinde, ad Paullum Æmylium cum delabitur; *Iam quid L. Paullo inſignius? quid illuſtrius?* Et in exemplo parum commode dictum, lætatum eum eſſe in concione. Deinceps C. Sulpicium infert. *Cum Sulpicio vero Gallo quis neget actum eſſe præclariſſime?* Ego nego, mi homo. nam vt ea fortitudo illuſtrauit Gallum, ita fortuna certe non egit cum eo præclariſſime: ſed acerbe cum ageret, præclare a robore animi repudiata eſt. Paucis poſt verbis a Gallo ad Catonem curriculo perfugit; *Quem vt numquam lubens tacitum dimiſerim, ſic ad Catonem properans exſultare videtur animus, & quaſi in portum ex horrida tempeſtate delatus in ſapientiſſimi viri nomine atque exemplo cōquieſcere.* Poteſtne quidquam inflatius, aut φορτικοτέρως di-

ci? præſertim, cum rem ipſam tenuiſſime perſtringat. Poſtea ad pluria exempla ſimul accedit hac tamquam παρασκευῇ. *Atque horum egregia in domeſticis miſeriis atque ærumnis facinora qui fortiter in ciuitate noſtra imitati ſint, caſusque fortunæ grauiſſimos patientiſſime tulerint, non difficile fuerit oratione complecti.* Sciſſes, quid commodius dici potuiſſet; hoc loco illud non tam inſulſe ebulliiſſes, non difficile futurum complecti oratione caſus virorum fortium. quo quid aliud ſignificaſti nobis, quam ſtudium anxium tuum in omnibus copioſe & verboſe amplificandis? Poſtremo ignotos aliquot tamquam per ſaturam recenſet; quod hiſtorias neſciret, & tamen a Cicerone aliquid de iis commemoratum eſſe ex Diuo Hieronymo

conſtaret. *Iam quid Piſones, Scæuolas, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios, enumerem? quorum ſinguli pluribus amiſſis filiis, vel vxoribus, vel parentibus, nec lugendum exiſtimarunt, & ſuam in illorum funeribus virtutem atque conſtantiam non ſibi ſolum, ſed etiam generi nominiq. Romano glorioſam fore putauerunt*. Quod ait, amiſſis aut filiis, aut vxoribus, aut parentibus, eos lugendum ſibi non exiſtimauiſſe, ignorantiam ſuam indicat, & in rebus a noſtra notitia remotis hæſitationem. quod addit, illos putauiſſe, ſuam fortitudinem nomini Romano glorioſam fore, prodit infantiam. Hoc enim illi ſpectabant ſcilicet, vt e conſtantia ſua laus accederet populo Romano; non quia turpem viris credebant muliebrem luctum, ani-

mi iſtam firmitudinem amplexabantur. Idem in mulierum exemplis videre licet; idem in pleriſque partibus aliis huius libri: vnde conuelli etiam poteſt ille oratorius ornatus, ad quem ab exemplis Carolus Sigonius orationem traducit; quique illi inimitabilis videtur: mihi, & certe doctis mecum viris permultis inæqualis, interruptus, & ipſe ſibi ſæpe diſpar. Solet hoc fere accidere iis, qui centones ſarciunt, & ex alienis mẽbris vndique collatis corpus aliquod componũt, vt hient interdum male cõſutæ partes, atque vbi iſta aliunde promẽda deficiunt, ipſi de ſuo lacera multa & contrita ſplendori aliorum admiſceant. quod non difficile ſit, multis locis euidenter oſtendere; ſi mihi in hac inuidioſa cenſu-

ra eſſe ſeueriori aut libêret aut va-
caret. quorum alterum adimunt
occupationes tibi non ignotæ,
Del-beni, alterum eius hominis
qui libri auctor eſt, neque indo-
cti viri, & vero inprimis induſtrij
reſpectus. quem ego verbo non
laceſſiſſem, tametſi facti ipſius e-
xemplum vehemẽtiſſime diſpli-
ceret, niſi tibi inſtanti & multum
hortanti non parêre, nefas eſſe
duxiſſem. tantum apud me valet
cum ſumma dignitas tua, tum in
me mihi gratiſſima beniuolen-
tia. Adfert Sigonius duo exempla
ex hoc libro, eaq. componit cum
totidem ipſius M. Tullij, ex qui-
bushaud dubio efficta ſunt: quod
negat ille tamen, eo potiſſimum
argumento, quia ipſum Cicero-
nem vincant ſplendore & digni-
tate orationis. Rogem hîc liben-
ter

ter Car. Sigonium, quid ſplendidum in oratione vocet: ſi dicet, copiam & vbertatem verborum, fatebor pluribus verbis rem eandem hîc explicari, quam aut in Tuſculana, aut in De Oratore; melioribus, & rectius collocatis negabo: in quo, vt ego ſentio, vel maxime oratoris præſtantia exſplendeſcit. Quid illis luculentius dici poteſt, quæ de ſupplicio parricidarum in Roſciana copioſiſſime dixit? tamen fatetur ipſe Cicero, poſtea a ſe deprehenſum, ea parum adhuc deferbuiſſe. Scilicet, quia redundabant multa, & Aſiatico illo more omnia exaggerandi vltra modum Atticę mediocritatis diffluebant. Idem de his ipſis exemplis aſſeuerare multo iuſtius quis poſſit. ſunt .n. ad rhetorum αὐξήσεις ornate amplifi-

cata ; ad rem & neceſſitatem, parum in loco : quæ alia requirebat locupletari, & tamquam inculcari magis, quæ vno verbo in hoc commentario vix perſtricta ſunt. vt taceam ex aliquot Orationum Ciceronis corpore ſuccum & ſanguinem huc maxima ex parte eſſe deriuatum. Iam illa ſane, quæ in ea amplificatione ſunt, quæ magnificentiſſima Sigonio videatur, conſideremus. *Tenemus enim memoria*, inquit, *aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus, crudeliſſimam omnium cædem illo tempore eſſe factam, trucidatos bonos viros & ciues, inciſas eorum ceruices, in roſtriſq. poſitas, qui multorum ciuium ſalutem ac dignitatem eloquentia peperiſſent. Quam multos ex illa reipub. tempeſtate commemorare poſſumus, innocentiſſimos homines atque optimos, vt acer-*

bam calamitatem effugerent, libertatem morte quæſiſſe? O *acerbum ac nemini non pœnitendum reipub. ſtatum condicionemq. viuendi, cum eos ipſos, qui rempub. ſuo labore ſuoq. ſanguine auxerint, iuuerint, ſeruarint, nuſquam tutos nihilq. magis quam propinquorum manus ac gladios timentes horreſcēteſq. videas!* Primum quam vere hoc dictum! *aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus.* de ſe enim manifeſto loquitur, qui, tantum abeſt vt e patrum ſcriptis acceperit eas calamitates, vt adoleſcens ipſe interfuerit. iam illud ὑποσόλοικον; *inciſas eorum ceruices, in roſtriſq. poſitas.* latinius quidem multo eſſet; *& in roſtris capita poſita.* denique illud plane βαρβαρίζει. *qui multorum ciuium ſalutem ac dignitatem eloquentia peperiſſent.* neque me fallit, Ciceronem, ſi hæc ſcribſiſ-

ſet, dictuꝛum fuiſſe: *qui multis ciuibus ſalutem, ſibi dignitatem eloquentia peperiſſent.* Hoc etiam non placet; non quia parum latine, ſed quia humiliter & abiecte in re graui dictum eſt. *O acerbum, & nemini non pœnitendum reipub. ſtatum!* Melius fuiſſet, *miſerandum, deplorandum.* Hæc fere, dum percurro primam ſummi viri declamationem, & ingenij venuſtiſſimam elegantiam valde admiror; iudicij, ſiue voluntatis potius ad nos inducendos paratæ, rationes non probo, hoc biduo ad te perſcribſi, mi humaniſſime Del-beni, quæ indicarent magis, quam iſta leui negotio refelli poſſent, quam in campum &aciem ipſam me producerent. non eſt enim ætatis meæ, non pudoris, non modeſtiæ, contentiones cum vllo

mortalium vltro ſuſcipere; nedum cũ optime præclariſſimeq. merito de omni antiquitate ſene adoleſcentem me iuuet velitari. Sed ſcitum illud eſt, magnorum virorum auctoritates, & ad recte faciendum, & ad peccandum plurimum habere momenti; niſi ad rationem ſemper dirigantur. Clamat vir maximus, & maximæ in litteris merito ſuo auctoritatis, & obteſtatur nos omnes, ne Ciceronis fortunæ tàm infeſti ſimus, vt fetum eius diuino beneficio in hæc tempora reſeruatum aſpernemur. Hic quis non commoueatur animo, qui linguam latinam, qui eloquentiam, qui ipſam rerum omnium reginam ſapientiam amat? ſed idem, ſi intelligat non augeri, ſed nudari Latium; non ornari, ſed cum in-

dignis communicari eloquentiam; philoſophiam ipſam prædę plagiariis & impoſtoribus exponi, ſi liber adulterinus & ex ipſius M. Tullij ſpoliis congeſtus pro vero ac legitimo recipiatur: an non a temeritate adſentiēdi paulliſper refugiet, & ſaltim in rem ipſam prius introſpiciet magis, quam ſententiam ipſe ſuam pronunciet? Quod cum tu iam per te faceres, arbitrabar idem diligentius perſequuturum, ſi ſumma rerum faſtigia ſequens oſtendiſſem tralaticium hunc morem eſſe aliena pro Tullianis venditandi, idemq. potuiſſe fieri vixdum e viuorum numero ſublato, & in ſepulcro condito Cicerone: quo magis nunc poſſe, poſt longiſſimum interuallum tot ſęculorum; in ſcripto, cuius argumentum,

materiam, particulas multas, & ipſam prope totam tractationem a doctiſſimis viris & noſtræ ætatis & ſuperiorum temporum haberet impoſtor in promtu, & tamquam oblata ad fraudem artificioſe inſtruendam: ſi poſtea, præter eas quas attulit ipſe Sigonius, vt ſuo ſe gladio iugularet, imitationes pæne pueriles aliquot attuliſſem, & ad alias obſeruãdas tamquam index & hortator extitiſſem: denique ſi iſta fragmenta, quæ vocant, neque ordine neque recte collocata, quædam etiam aut corrupte allata, aut imprudentia deprauata ab ipſo conſarcinatore, planum facerem; ipſaſq. illas, quæ Sigonio diuinæ videntur, amplificationes Aſiatice redundare, & ne latinitati quidem ſatisfacere admone-

rem. in quo ſi erro, refutari me & cõuinci facile patiar, cum ab aliis omnibus, qui recte his de rebus cenſere poſſunt; tum abs te maxime, Petre Del-beni, cuius limatum & politum iudicium apud me, ita vti meretur, maximi eſt, eritq. ſemper. Sigonij ipſius non deiicit me de gradu huius ſententiæ meæ ne ſecũda quidem commentatio : quam ipſam etiam, quoniam hoc nunc agimus, perpendamus: non, vt omnia ea, quæ reprehenſa ab aliis ille defendit, impugnemus (ſunt enim quædam, & vero pars maior, recte & ordine defenſa) ſed quædam vt huiuſmodi eſſe ſignificemus, vt vel ex illis ſe prodant in exuuiis leonis Cumanæ aures. cuius mehercule generis prima comprehenſio totius operis eſſe non in-

iuria multis videtur. *Quamquam,* inquit, *recentibus morbis medicinam adhibere vetant ſapientes, nihilq. aduerſi hominibus accidere ſolet in vita, quod aut improuiſum aut inexſpectatum videatur; conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobiſmetipſis, & domeſticæ ſubuenire calamitati.* Non hîc dico id, quod ab aliis dictum Sigonius recte irriſit: illud dico, paucis verbis & contrarium ineſſe, & falſum: quorum vtrumque oratoris maximum peccatum; in initiis quidem operum pæne flagitium eſt. Quî igitur hoc probari poteſt? primum recentibus morbis negat medicinam adhibendam eſſe, præcepto ſapientum. puto, ob magnitudinem aut periculum curationis. nam hoc clare oſtendunt Hippocratis, Platonis, Chryſippi, Plinij,

Plutarchi, Senecæ exempla. at quid ſequitur proximo membro? *Nihilq. aduerſi accidere ſolet in vita, quod aut improuiſum aut inexſpectatum videatur.* Certe igitur tuto conſolatio adhiberi poteſt, ſiquidem nullum malum aut improuiſum, aut inexſpectatum videtur. at hoc quî conuenit aut cum ſuperioribus, recentes morbos eſſe ita difficiles, vt ne tãgendi quidem ſint; aut cum inferioribus, conaturum te tamen tibi mederi, ſi qua ratione poſſis. certe enim potes, & potes facile, ſi neque improuiſa neque inexſpectata tibi ſint tua mala. Omnino pugnantia hæc ſunt, & vt non ſint, nihil cauſſæ eſt, cur ſe excuſet, quod medeatur recenti malo, cum inexſpectatum aut improuiſum homini nihil accidat; po-

tius , cur probet nobis factum ſuum, cauſſa eſt. ita aut a ſe diſſentit ſententia, aut certe non cohæret; quorum alterutrum fortaſſe, vtrumque quidem nemo vmquam mihi eripiet. Sed etiam falſum illud eſt, recenti morbo non adhibendam eſſe medicinam. is enim quo recentior, eo leuior, eaq. de cauſſa initio occurritur facilius curatione. neque me mouent illa diuerſorum auctorum teſtimonia, quæ laudat Sigonius. loquuntur enim non de morborum initiis, ſed inflationum & vlcerum, aut vulnerum tumoribus; quæ cruda & immitia irritari periculoſum & inutile eſt. Itaque cum alia nonnulla tu me nuper acute & venuſte, Del-beni, tum hoc viſus es eleganter admonere, fuiſſe Ciceronem dicturum po-

tius; *Quamquam recentibus tumoribus medicinam adhibere, vetant ſapientes.* nam hac eadem voce in re eadem bis vſus eſt. primum in hac ſententia, quam tangit imitator, Tuſculana quarta. *Vetat Chryſippus ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere.* Iterum de hoc ipſo mærore ſuo. *Erat enim in tumore animus.* Sequor vlterius, & feſtino, vt adſequar veſtigia Sigonij: ea cauſſa multa ſciens prætereo, quæ parum commode poſita turbari & conuelli facile poſſent; quale illud inprimis eſt de feminarum miſeriis, quas eo maxime exaggerat, quod aut parētibus aut viris ſemper pareant. quę mihi iniuſtiſſima querella videtur, & cum omni philoſophia pugnare. quis enim ſapiens vmquam dixit, miſeriam eſſe, eam,

quæ legitime imperanti præſte-
tur, obedientiam? & in eadem
cauſſa eſt, quod ciuium medio-
cris fortunæ miſeriam magnam
facit, cum eos ſtatu ſuo conten-
tos ad altiora adſpirare poſſe ne-
gat. in quo quid non felicitatis
potius eſt ſecundæ, quam aduer-
ſæ calamitatis? Sed vt hæc & hu-
iuſmodi miſſa faciam, ad ſene-
ctutem progrediar: in qua argu-
tatus eſt fruſtra vir eruditus A.
Riccobonus, & mire acute hoc
excogitauit Sigonius, nõ potuiſſe
excuſare M. Catonem, quod Ci-
cero dicturus erat annis poſt eum
mortuum ſeptuaginta, & qui ex-
currunt. Sed huius ipſius ætatis;
quam vel eo, miſerrimam habi-
tam ſemper, perſpicere poſſu-
mus, quod ſolam malam perpe-
tuo nomine omnis vetuſtas ap-

pellauit; huius,inquam,ipſius æ-
tatis quæ mala tandem recenſet?
niſi ego fallor,duo ſola; deformi-
tatem & imbecillitudinem. Sic e-
nim diſſerit. *Nunc quæ extrema de ætatibus ſupereſt, quid ego de ſenectutis incommodis ac miſeriis loquar? quas plurimas eſſe & grauiſſimas, & nomen ipſum languoris calamitatiſq. pleniſſimum indicat, & adſpectus ipſe ſenum hominum pateſacit. quid eſt enim aliud ſenem videre trementem, incuruum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem viuum, aut viuentem mortuum? Ac ſi nonnullis viſum eſt, magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem, prudentiam vſu rerum quæſitam, quæ illius ætatis propria eſt, eoſdem illos fateri oportet, ex eo ipſo fonte manare etiam ad ſenes non minimum doloris atque moleſtiæ. qui enim ſe prudentem rerumq. agenda-*

rum peritum agnoſcit, cur non doleat, quæ optime intelligit, præ ætatis vitio optime perficere non poſſe? & ſi patriam diligit, cur non angatur, quod, quam conſilio iuuat, opera etiam iuuare non poſſit? eoq. maior prudentium dolor eſt, quod optimorum conſiliorum fructum nulla alia ratione percipi poſſe, quam ſi optime ad exitum perducantur, intelligunt. quod niſi vir optimus patriæq. amantiſſimus ad agendum accedat, prorſus inania ſint futura. Habes totum locum; in cuius principio Terentij εἰκόνα videtur adumbrare voluiſſe,

Incuruus, tremulus, labiis demiſſis, gemens.

Quam tamen hoc non optimi rhetoris! *incuruum, tremulum, canum*, dicere; quæ ſunt extremæ & iam decrepitæ ſenectæ; tum adiicere multo leuiora, & etiam

nunc exerentis ſe ſenij; *imbecillum, infirmum*. Certe enim vires deficiunt primum, tum incuruatur & tremiſcit inane & vietum corpus. Sed accuratum artificium diſerti oratoris ab hoc homine requirere, deſipere ſit. Nam illa quam leuia & puerilia, in re tam graui interrogatiunculas huiuſmodi interſpergere! *cur non doleat? cur non angatur?* Quod in tyronibus ſuis Quinctilianus non riſiſſet, ſed ſeuere vindicauiſſet. debuiſſet certe ex ſententia dixiſſe; *doleat, neceſſe eſt: neceſſario angetur*. ſed hæc quoque diſſimulemus, vt huic ſcriptori propria, & omnibus pagellis obuia. Verum hocine credibile eſt, non ſuperfuiſſe Ciceroni alia, quæ in ſenectutem vituperãdam conferret? non, quod odioſa ſemper iuuentuti; quod

remota

remota a fructu vitę iucundioris; quod mors, nō dico impendeat, quoniã hîc de morte video vt de sũmo bono diſputari; ſed quod exſpectetur cupide mors ſenũ ab heredibus, & ſæpe ne exſpectetur quidem? quæ, vt vulgo iactata in ſenectutẽ, accuratiſſime in Catone diluit. niſi pertimuit, ne hic pigmẽta exornationum ita con-ſumeret, vt iſthic reliqui nihil fieret. id quod vel ſuſpicari ridiculum ſit. At quam attulit grauiſſimam ſenectæ miſeriam? cogitare, inquit, prudenter & ſuadere poſſunt; at id fortiter exſequi non poſſunt. Itane vero? hoc primum iſti ætati cum adoleſcentia commune non eſt? quæ ſæpe aut quia ab rep. abeſt, aut quia impedita alibi, vel optime cogitata ſtultitia aliena videt elabi de manibus.

deinde nõne hoc ipſis in ſenibus manifeſto falſum eſt? quot enim tempora cõmemorare poſſum, cum Romæ in maxime ancipiti diſcrimine maxime veteri milite, hoc eſt eo qui per ætatis priuilegium a militia vacabat, res optime geſta eſt? quot duces, extremo tempore ætatis, non tantum ad ſententiam ferendam in ſenatum vocatos, ſed etiam ad hoſtem ſuſtinendum in aciem progreſſos, res pæne deſperatas in integrũ reſtituiſſe? Et vt iam verum ſit quod vult, quæ ſtultitia eſt, maius bonum ſenectuti concedere; & tamen a malo multo leuiori eius miſeriam amplificare conari? quanto enim potius beati ſenes, quod ſapientes; quam miſeri, quod imbecilles? Hoc ergo ieiunitatis magnum argumẽtum,

& rerum inopiæ, quibus circumfluit in omni genere dicēdi cumprimis M. Tullius. itaque illud ne numero quidem in vitiis huius ſcriptoris, quod verſum longum effluere ſibi paſſus eſt ſine ſenſu,

Ac ſi nonnullis viſum eſt, magnam eſſe ſenilis

Aetatis

Eſt illud quidem flagitium vix ferendum; ſed eiuſmodi tamen, quod optimo cuique imprudentia poteſt obrepere: vt nos in ipſo Cicerone, qui tam diligenter ab eo errore nos abſterret, tamen deprehēdimus ſimilia quædam quæ loco & tempore ſuo monebimus. Hic autem in illis peccatis obiurgari & poteſt & debet, quæ illi cũ vnico illo Latinæ elegantiæ parente cõmunia eſſe nõ poſſunt. De repetitione fabularũ, hiſtoria-

rũ verſuum, ſententiarum deinde agit Sigonius. quod Ciceroni eſſe domeſticum ait; neque ego inficior. ſed quæro tamen ex te, Sigoni, ita ne ſoleat totum aliquẽ librum pæne ad verbũ exſcribere, & in alterum transferre? id ſi negabis, & negare res coget, porro vrgeo, & te rogo, ecquę pagella ſit; pagellam dico? ecquæ comprehenſio ſit, quæ quidem ad diſputationem ſpectet, in Tuſculana prima, quam non huc inferſerit imitator? Hoc tu ob ſimilitudinem rei factum arbitraris: ego ob ſcriptoris infantiam. Nam quod per deos immortales facinus eſt, ſingularem in omni genere doctrinarum, ſed in primis in dicendo diuinum, vel potius deum qnendam M. Tullium exiſtimare ita a verbis inopem fuiſ-

ſe, vt res eaſdem iiſdem propeſyllabis efferret? & id potiſſimũ hoc in libro faceret, vbi maximum flumen eloquentię res ipſa requirebat, & præ quo iſtæ ipſæ Tuſculani diſputationes ludicræ remiſſiones videri iure optimo poſſint? De immortalitate animorum, in eadem Tuſculana, in Catone Maiore, in ſexto de republica, alibi ſæpius diſſertauit. nonne videmus, niſi cæci ſumus, quam eandem rem variarit, quam ſemper tamen admirabiliter animos noſtros capiat, & faſtidium omne vbertate vnicæ eloquentiæ diſcutiat, atque diſpellat? Satisne videbitur feciſſe, ſi ordinem modo immutarit tractationis? nonne multa præterea alia requiruntur, vt credamus excipere nos vocem tanti oratoris. nã quod imitatorẽ

paucis exemplis etiam ſuperiorem eſſe,vult oſtendere; id ſuperius ſatis , vt mea ſententia eſt, confutauimus. Etiam illa inanis obiectio fuerat,de verſibus iteratis,& a Sigonio recte illuſa.altera paullo acrior,immutationem ſatis ineptam factam illius,

Priamo vi vitam euitari.

Quod ego tamen inſcitia factum non puto,ſed vt mox boni critici ad nouum cadauer concurrerent, & id non modo carioſum & antiquum , ſed ſcholis etiam tritum & gloſſematis magiſtellorum oblitum, miſero Ciceroni vel periurio vindicarent. Neque enim ea ſimplicitate prudentiſſimum hominem C. Sigonium eſſe iudico , vt ſerio affirmare credam,quod affirmat tamen , a Cicerone ipſo ita hic ſcriptum,

Priamo vi vitam auferri.

Quid enim? tam inelegātes aures in poematis iudicandis habebat noſter Cicero, vt tam ſonorum carmen tam leuiter deformaret, & non vel a verſus dimenſione admoneretur, vel ab vnica iſtorum caſcorum delicie in vocum alluſione, quæ eſt venuſtiſſima in *vitam euitari?* fieri non poteſt. Alibi etiam feciſſe idem affirmat M. Tullium; & ita quidem, vt loci de vitio eſſe ſuſpecti non poſſint: ſecundo de Finibus laudari. *Quamobrem turpe putandum eſt, non dico dolere (nam id quidem eſt interdum neceſſe) ſed ſaxum illud Lemnium clamore Philoctetæo funeſtare,*

Quod eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus
Reſonando multum flebiles voces

refert.

At idem in Tuſculana ſecunda ſic adferri. *At ille certe non fortis, qui iacet in lecto humido,*

Qui eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus &c.

Refert prouocabulum, inquit Sigonius, in de Finibus ad Saxum; in Tuſculana, ad Philoctetam ipſum: ignoſcat mihi vir doctiſſimus, non recte. Vtroque enim loco de antri, in quo cubabat Philocteta, reſonante echo loquitur. at hoc antrum vocat in Tuſculana, poetæ veteris verbis, lectum humidum; (Sophocles, e quo ea tragœdia tralata eſt, habet κόιτην πετρέινην) in de Finibus ſuo, ſaxum. illic ergo retinet; hic mutat genus prouocabuli. vtrobique puto fragmentum incipere inde,

-eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus.

De altero verſu reſpondere, nihil negotij eſt: quem ipſe Cicero auctor eſt ſane luculentus a ſe ſcriptum, vt habent conſtanter libri veteres,

Cedant arma togæ, concedat laurea laudi.

quod alij etiam monuerunt; ſed nos aliquando, ſi deus fauerit, plane & aperte probabimus. Non quieſcit in hoc loco Sigonius; ſed ad ſententiarum, quas e Cicerone mutuatus videtur cõſolator, confirmationem ſe accingit. id quoque via duplici. Nam & ſolere bonos ſcriptores ſententias ſuas ſæpe inculcare admonet, exemplo M. Tullij ipſius, & aliquot Græcorum; & multa hic ita ſimilia eſſe aliis locis, vt pulcritudine & magnificentia antecedant. Primum neque de Homero exem-

plum conuenit,neque de Demoſthene. ad verbum enim locos integros iterarunt ſæpe, & multis ſuorum ſcriptorum partibus inſeruerunt. fortaſſe quia id Græcis hominibus garrulitatis etiã plus quã ſat ſit amantibus ſuaue ac iucundũ videbatur. At iſtud & Virgilius & Cicero noſter lõge abs ſe ſpreuerunt. nam ſententias retinuerunt,cum opus ita eſſet; verba variarunt: cuius rei teſtem laudo ipſum Sigonum. At hic conſolator quot loca non adumbrauit aliũde ſed exſcribſit? tum quoties id fecit non ſententiæ cauſſa,ſed ob inopiam verborum? Certe enim quæ Cicero dixerat proprie & eleganter,hic violente & duriter alio deterſit. cuius rei in promptu plurima exempla, ſed nos vno & altero contenti eri-

mus. Dicit Cicero paradoxo quinto. *An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat, quot videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? poſcit, dandum eſt; vocat, veniendum; eijcit abeundum; minatur extimeſcendum. Ego vero iſtum non modo ſeruum, ſed nequiſsimum ſeruum etiamſi in ampliſsima familia natus ſit, appellandum puto.* Tranſtulit hoc ad dolorem, frigidiuſcule, & tamen affectationem occultare non potuit conſolatator. *An ego illum iudicare liberum poſſim, cui dolor imperat? quem repentinus caſus perturbat, impellit, euertit? qui nihil præ doloris magnitudine cogitare, nihil meditari queat: qui nihil in ſe ipſo; in temporibus, atque in fortuna, quæ ſtabilitatis nihil habeat, ſua ponat omnia. Ego vero iſtam non*

modo ſeruitutem, ſed pæne captiuitatem, & quidem miſerrimam cenſuerim. Captiutatem ſi dixit notione communi, non miſerior eſt ſeruitute; ſin pro ergaſtulo, in quo ſerui vincti opus faciant, latine ſatis loquutus non videtur. Minus etiam apte deflexit hoc, Officiorum primo quod legimus. *Panætius quidem Africanum auditorem & familiarem ſuum ſolitum ait dicere, ſicut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exſultantes, domitoribus tradere ſoleant, vt his facilioribus poſſint vti; ſic homines ſecundis rebus effrænatos ſibiq. præſidentes tamquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, vt perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque doctrinæ.* Hic, ita. *Itaque ſæpe non opinatis morbis, perturbationibus, angoribus ve-*

xantur. mortis vero, de qua potiſſimum cogitare debuerant, ita non reminiſcuntur, vt ad ſe minimum aliam pertinere, nec ſua quidquam intereſſe exiſtiment. qui, vt Panætius Africanum dicere ſolitum tradit, ferociores equos domitoribus tradendos eſſe, vt paullatim parere, ſeq. mitiores ac molliores præbere incipiant; ſic ipſi in gyrum rationis ac patientiæ reducendi ſunt, ne, ſi mors imprudentes oppreſſerit, perterreantur, planeq. concidant.
Qvaſi vero equi feroces perterriti concidant, & non potius frænum mordeant: quo Cicero reſpexit; hic ſuo more, ad ſupplendam comprehenſionem, aliud a ſententia abhorrens inculcauit. Verum pergit idem noſter philoſophus cõtinenter eodem loco. *Sed neſcio quomodo voluptate luxuq.*

delenita hominum conſuetudo de recta maiorum via deflexit, eoq. ſenſim delata eſt, vt nihil minus quam verum agnoſcat, nec cum aliquid agitur, rectum id nec ne ſit, magnopere cogitet. qua nulla maior peſtis ac pernicies humanis rebus valde iam labefactatis potuit afferri. Quæ omnia mihi videntur perquam ieiune huc accommodata ex tertio de Officiis, vbi vtilis & honeſti ſeparatio deploratur. *In quo*, inquit, *verbo lapſa conſuetudo deflexit de via, & ſenſim eo deducta eſt, vt honeſtatem ab vtilitate ſecerneret, & conſtitueret honeſtum aliquod quod vtile non eſſet, & vtile, quod non honeſtum. qua nulla pernicies maior hominum vitæ potuit afferri.* Quis non videt cui rei ſuſtinendæ iſtud intercolumnium inſertum ſit, *valde iam labefactatis?* Sed hæc talia conſectantem ipſa

multitudo prius defatigarit, quã exempla defecerint. nihil enim totus hic liber habet, id quod ſæpe iam dico, præter Ciceronianum centonem, pauculis exceptis; quæ aut abs ſe domo attulit, aut ab aliis ad hãc veſtem perpoliendam corrogauit. Quod ſi inſtabit acrius Sigonius, Ciceronem ſæpe in eadẽ incurrere, quæram in vnone aliquo libro toties, vt propemodum nihil illi peculiare ſit; deinde, an verbis prope iiſdem; tum, an ita illi anguſta verborum ſuppellex ſit, vt etiam in re longe diuerſa eodem tamen & ſententiarum filo vtatur, & vocum; &, ſi aliquando, num in tot ſcriptis opus aliquod exſtet, in quo toties idem dicat, repetat, inculcet, inſiſtens ipſis etiam litteris; credo, vt meminerimus te-

nacius. Ad alterum abeo,quo aſſeuerat pluribus luminibus elucere in conſolatione ſententias, quam alibi. iam hoc quis neſcit, imitatorem ſemper vt illuſtriora dicat ſtudere, & ea de cauſſa ſæpe minus ornata deligere, quæ cincinnis inurere, ſit procliuius. Itaque aut pluribus verbis quædam efferri, aut aliquando, vt nobis videtur, ſignificantioribus, quid eſt cur miremur? quod tamen non ſæpe accidere, iudicare poſſumus ex iis, quæ ſupra attulimus: quibus ſimilia alia adferri facile poſſent, idemq oſtendi in iis ipſis, quæ Sigonius recenſet; niſi nos ad metam huius tam ingrati & faſtidioſi negotij properaremus. Eò de ceteris verbum non addemus: ſunt enim in ſuperioribus ple.aque attētata. Sed

quod

quod e Seneca & Petrarcha duo hic quoque obſeruat fragmenta Sigonius, in mentem mihi venit mirari, quonam illi modo minima maxima huius artificis tam nota & perueſtigata eſſe potuerint omnia. niſi fortaſſis familiaritas inter eos, & neceſſitudo eſt mutua: quod interdum ſubuereri cogor; ſuſpicari non audeo. Et tamen vnius fragmenti ſententiam in Cicerone alicubi nos legere ſcio: vnde haud dubio Seneca depromſit. & ceteroqui nihil mirum eſt, hunc, omnia cum conquireret, & excogitaret ad nos decipiendos, vnum aliquem locum ſublegiſſe, & ad ſuum commodum detorſiſſe ex eo ſcriptore, quem ad rei tam grauis pertractationem inprimis habere ad manũ, & in ſinu, quod

aiunt, debuit. alterum Petrarchæ exiſtimarem ex hoc libro deſumtum, niſi apud hunc noſtrum, Ciceronem dico, etiam alibi ſcirem reperiri *obduruiſſe & occalluiſſe*; neque id vno in loco. De elocutione ſparſim attigi, &, vt opinor, oſtendi, rei propoſitæ non ſemper aptiſſime conuenire. & ſane cuiuis nõ imperito promtum eſt, ex ſtyli inæqualitate, & omnium exornationum tumore fucum & fallaciam odorari. cum pręſertim illa Romanæ linguæ propria & pura ſimplicitas tot hic locis inquinetur: vt cum *animorum feſtinationem* dicit, pro mobilitate & vigore; cum *in dolore inexorabilem*, pro obſtinato; cum, *aduerſus iniuſtitiam eſſe magnam inuidiam*; cum, *tyrannum exſtinctum miſereri & dolere*; cum huiuſmodi plurima.

Quod ſi hæc talia nuſquam intercurrerent, & omnibus verborum ſententiarumq. floribus liber refertus eſſet; tamen imitationis tam euidens & manifeſta ſignificatio nos admonere debebat, vt timidius adſentiremus ignobili librario, & ei homini, qui cum tantum bonum vtilitati publicæ elargiretur, ne id quidem ſcire nos voluit, vbi hæc vis bonæ rei reperta ſit, & qua ratione aut auorum patrumq. noſtrorum curioſiſſimam diligentiam fefellerit, aut ad noſtram vſque ætatem tam occulte perdurarit. Quid nunc tot flagitiis verborum, tot ineptiis ſententiarum faciemus? quid vel illis duobus, quæ ſunt manifeſtiſſima, de *homine & animali*? cum præſertim tam ſtudioſe nos celet editor libri fontem

ipſum, vt metuere videatur ne eo perſpecto de puritate & ſalubritate huius aquulæ dubitaturi ſimus. an eo labemur? quod alterũ ponit Sigonius in initio Orationum, ſed poſtea tota in diſputatione omittit; eſſe præſtantiſſimi cuiuſdam auctoris, & ſupra ſeculi noſtri mediocritatem diuini? Equidem facile patior ita putari, ſi res ipſa patitur: cuiuis denique attribui feram, modo ne Ciceroni hæreant eæ labes, quas huic vel imprudentia adhæſiſſe, vel inſcientia videmus. Illud quidem affirmare non dubitabo, noſtræ ætatis eſſe inuentum, non antiquitatis monimentum. cui enim obſcurum eſt, ipſius Sigonij adiutum eum iam diu publicata opera (etſi ille hanc laudem pro modeſtia ſua non agnoſcit)

in fragmentis eruendis, collocandis; in hiſtoriis colligendis; in libello generatim ordinando atque diſponendo. Quod ſi ita accurate C. Sigonius omnia omnibus veſtigiis perſequi & indagare potuit, vt nihil fuerit in M. Tullij tanto opere aliud inſigne, quam id quod ille coniectura deprehendit, & retraxit; nihil tam acuto homine diuinius vmquam fuit: ſin fatendum eſt, multa eum fugere potuiſſe, vel potius neceſſario fugiſſe, in tam paucis reliquiis maximi tantarum & talium rerum naufragij; clarum eſt & perſpicuum, hunc quæ alij indicarint, aut recollegerint, ſuſtuliſſe, & pro ſuis facultatibus refeciſſe; quæ illi reciperare non potuerint, pro derelictis habuiſſe. Mitto, quod in locis M. Tullij effin-

gendis correctorum recentium ſequitur auctoritatem, non librorum antiquorum. Mitto alia, quæ hic dici multa poſſent. abs te tantum magnopere contendo, clariſſime Del-beni, vt, quoniam a me ſententiæ meæ rationem omnem impetraſti, facias id, quod te facturum recepiſti, & a Carolo Sigonio, pro veſtra neceſſitudine, hoc contendas, vt vrgeat illum ſuum Cōſolationis promulgatorem, vt rei tam nouæ, &, vt ipſi videtur, tam in omnes vtilis, caput & originem occultare diutius ne velit: vt denique ipſum illum venerandæ vetuſtatis codicem, e quo hic theſaurus in omnem Europam diſtributus eſt, e latebris promat, & diligentius accuratiusque ab eo viro, qui id optime facere poteſt, tractari pa-

tiatur. Sic enim fiet, vt multorum næuorum culpæ a tam præſtante auctore deriuentur in negligentiam librariorum: quod fieri poſſe innuit quodam loco etiam Sigonius. Sin eas membranas nemo vidit, nemo viſurus eſt; & ille, quiſquis eſt, princeps huius fabulæ ſibi credi, abs ſe & hæc auctoritatē capere, & alia exſpectari poſtulabit: monebis hominem neceſſarium: & probiſſimū virum, eam tergiuerſationē doli mali expertem eſſe non poſſe: qui ſi ſummi ingenij aciem intenderit acrius paullo; ſat ſcio, cuiuis potius tribuet hoc opus, etſi elaboratum cum cura, quam M. Ciceroni. De quo tamen vtut futurum ſit, non laboro: tu, Delbeni, vt æqui boniq. facias ea, quæ ſubſeciuis horis aliquot die-

rum tui obſequendi ſtudio pæne inuitus annotaui, etiam atque etiam te rogo. quæ ſi nihil aliud profecerint, at hoc certe tibi probabunt, non me temere & ſine cauſſa huius commentarij fidem ſuſpectam, & auctorem incertum habuiſſe; etiam iis, qui vel errore nos implicari cum eiuſcemodi rerum ſeriarum cōgerie pulcrum cenſebant, ſentētia mea reſtitiſſe. Violari enim antiquitatis maieſtatem, latini ſermonis ſinceritatem, optimarum artium dignitatem arbitrabar, & etiam nunc arbitror; ſi huiuſmodi hominum audaciæ aut indulgentiam noſtram præſtemus, aut credulitatē commodemus. nam de epiſtolis ad Atticum, aut de Oratore libris, quid ſimile? aut quid in illis, quod non teſtificetur nobis, &

pæne clamet præſtantiſſimum & ſingularem auctorem ſuum? quid hic contra magnum aut præclarum, quod non ex alterius alicuius Ciceroniani ſcripti fonte defluxerit? Itaque te oro, Del-beni, vt aut plura & maiora ipſe tu his noſtris adiicias, pro ſumma doctrina tua, ſi idem mecum ſenties; aut, ſi diſſenties, quod te facturum non eſſe certo ſcio, ad ea quæ male monui, diſſeras; aut certe, hanc tridui ceſſationem magis meam, quam ſcriptionem Vulcano mandes. Præter te quidem hominē neminem reſpiciebam; cum hæc chartis tam ſubito, quā tu ſcire potes, & vnus omnium optime teſtari, illinerem. quod ſi alij fuerint, qui in hæc noſtra incidentes, longe vberius in re tam copioſa omnia potuiſſe exagge-

rari, & alia plurima exagitari exiſtimabũt, eos hoc ſcire volo, non mihi facultatem defuiſſe hæc perſequendi atque dilatandi, ſed voluntatem in re leui & ludicra cõmorandi; neque ſtudio contendiſſe ad laudem, ſed amicum obſequio demereri voluiſſe. quod ſi ſum adſequutus, operæ me pretium ſat magnum feciſſe, vtut alia defecerint, ſemper arbitrabor.

DE EADEM CONSOLATIONE,

EPIGRAMMATA.

Ad M. Tullium Ciceronem. I.

Si qua tibi rerum manet & nunc cura tuarum
Ad fortunatas Marce diſerte domus,
Refricuit veterem noua Conſolatio luctum,
Ac de ſe luctus addidit vna duos;
Et periiſſe tuis longe digniſſima chartis,
Et te indigna tuo nomine ſcripta legi.
Nos etiam, ſacro quos nectare paſcis, habemus
Mærendi cauſſas inde vel inde nouas.
Sic cumulans poſitas prope Conſolatio curas,
Nos non alloquitur, Marce; tibi, obloquitur.

In nouam Conſolationem. II.

Vt felicibus otioſus vmbris
Accepit Cicero repertum, vt aiunt,
Nuper alloquium ſui doloris
Guſtauit tria quattuorue verba;
Et, miſſo gemitu dolentiore,
Conſolatio, non mei doloris
Delectatio, dixit, & leuamen;
Sed triſtis cumulus moleſtiæ, ſed

Ægritudinis ægritudo priſcæ,
Mæſta & mæſtior orbitate luctus,
Vnde, impura, malum pedem attuliſti,
Redi, peßima; nec ſacros profana
Seceſſus mihi: quem, licet beatum,
Si ſolaberis allocutione,
Iam peſti dabis elocutione.

In eandem, ex Catullo παρῳδικόν. III.

Conſolatio, nec venuſta geſtu,
Nec cultu optima, nec beata fructu
Nec cato nimis aut ſagace corde;
Nec docta ſatis aut dicace lingua,
Oratoris opus laborioſi.
Ten' plebs credula garrit eſſe bellam?
Tecum Tullia vena comparatur?
O ſæclum inſubidum atque ineruditum!

Ad eruditiſſimum virum, CAROLVM SIGONIVM. IV.

Læſerat os Helenæ rabidæ qui verbere linguæ,
Orbauit Nemeſis lucis honore virum;
Qui ſimul in veras vertit conuicia laudes,
Læta redonauit viſu oculisque dea.
At tibi, SIGONI ſacer Heſperij orbis ocelle,
Ira nihil quidquam Tullia triſte ferat:
Aurea quantumui plumbo committere dicta,
Et furem ante ipſi ferre potes domino.
Ne tamen offenſi deſit tibi copia Marci,
Non verum vero carmine verte ſtylum.

Vt qui voce tua doluit ſe ferre ſecundas,
Ferre vetus per te gaudeat ille decus.

AD PETRVM DEL-BENIVM, virum clariſſimum. V.

Vni ſcripta tibi, DEL-BENI, *& credita ſoli*
Doctorum ſubigis mittere in ora virum.
Et ſequor, ille tuus quo me deſcendere cumque
Cogit blandicijs imperioſus amor.
Sed properata nimis tamen excuſare memento.
Non opus ingenij, munus amoris habes.
Quod mihi SIGONI *ſi, te ſpondente, voluntas*
Audaci facilem candida det veniam,
Non, ſi quæ ludi de vepre nitedula repat,
Arroſura opico dente dapem ſcholicam,
Sit chartis timuiſſe meis. doctisque bonisque
Dum placeam, vulgi vapulet inuidia.

IANI GVLIELMII
GERMANI.

Errata operarum, quæ per abſentiam Auctoris irrepſerunt, ſic corriges.

Pag.6.verſ.13. *Quod mihi cum nouum*. reſcribe, *Quod cum mihi nouum*. pag.103.verſ.1. *vitam auf-ferri*. ſcribe, *auferri*. ead. verſ. 3. *in poëmatis indi-candis*. lege, *iudicandis*. pag.106.verſ.13. *ipſum Si-gonum*. leg. *Sigonium*. ead. verſ.20. *alio deterſit*. leg. *detorſit*, pag.107.verſ. 4. *quot videtur*. ſcrib. *quod videtur*. verſ.14. *conſolatator*. ſcrib. *conſolator*.

Summa Priuilegij.

REgiæ Majeſtatis Priuilegio cautum eſt, ne quis alius quam ÆgidiusBeyſius Typographus Iuratus, *Iani Gulielmij*, *aduerſus C. Sigonium, aſſertionem: Non eſſe aut M. Tullij, aut ſatis dignam M. Tullio, eam quæ illius nomine venditetur Conſolationem. &c.* ante annos decem a die impreſſionis abſolutæ in ſuis regionibus imprimat, alibíve impreſſam importet, aut venalé habeat, pœna confiſcationis librorum & alia illi, qui aduerſus ea fecerit, indicta: vt latius in diplomate continetur, Dato Pariſiis 20. die Iunij, 1584. Et de Regij Conſilij ſententia ſignato,

LE COINTE.

CHRISTOPHORI COLERI FRANCI,

De Ratione discendi IVS ORATIO.

Scripta & dicta Altdorfii, in Academia Noribergenſium, XII. Octobris.

NORIBERGAE
Excudebat Paulus Kaufmann.

CIↃ, IↃ, XCVII.

ANDREÆ TV-CHERO V. NOBILI & Patritio Noribergenſi S. P. D.

ANTEQVAM HANC Orationem pronunciaſſem, nihil minus cogitabam, quàm eandem vulgare. Mutavi ſententiam. Nam cum eandem nudius tertius frequentiſſimo auditorio dicerem, ſtatim mihi veniebat in mentem, eos qui eam avidiſſimè audiviſſent, avidè etiam lecturos. Adde quod & nuperæ Declamationis exemplaria diſtracta prius penè, quàm expoſita fuerunt. Habet hæc prætereà διδασκαλικὰ ὑπομνήματα, quæ juventuti uſui eſſe poſſint. Tibi verò hanc, ANDREA TVCHERE, vir ampliſſime,

me, dico, quod hoc argumento te delectari nuper intellexiſſem : quippe qui & Cujacium ipſum & Donellum ſæpè docentes talia publicè audieris: & quod me plurimùm ames, deque aliis noſtris ſcriptiunculis non vulgariter ſentias. Quid ſi etiam dicam, te huic Academiæ noſtræ ita favere, ut nemini cedas? Veriſſimum ſanè dixero. Vale, vir ampliſs. & amice Magne.

Chriſtophorus Colerus,
Juriſprudentiæ elegantioris ſtudioſus.

ORA-

ORATIO, De Ratione discendi IVS.

EX QVO TEMPORE, AVDItores, animadverti pleroſque omnes veſtrum ſingulari quodam ſtudio & alacritate me dicentem audire conſueviſſe, nihil potius mihi faciundum duxi, quàm id operam dare, ut omnes clarè intelligatis, me velle vobis quam maximè placere. Nam quanquã nec ingenio valeo, nec eruditione ſum politus, tantis tamẽ ſubinde ſtimulis incitor, ut veſtro favore ac lubẽtiâ utrumque conſecutus mihi videar. Etenim quid veſtro judicio limatius? Quid doctrinâ veſtrâ elegantius? Moribus veſtris ſanctius? In tali ego celebritate, in tanto juvenum lectiſſimorum faventium cœtu, vel ex infante diſertum me fieri poſſe cre-

diderim. Diſertum, inquam, non eloquentem, aut oratorem, à quo tantum ego abſum, quantum ætas mea à doctrinâ. Quis enim neſcit, illum demum huius nominis honore dignum eſſe, qui præter naturalem dicendi facultatem totam Philoſophiam didicerit, qui Divinarum & Humanarum rerum peritus ſit: qui quoties ita res fert, ex Poëtis floſculos decerpere, ex hiſtoricis exempla depromere poßit; qui denique Græcos & Latinos ſcriptores omnes evolverit? Hâc horâ de arte diſcendi Ius civile *paucis apud vos diſſeram. Quid admiramini auditores? Ita, ſeriò dico. Ego vobis oſtendere conabor, quânam rationem, quo compendio adeunda ſit magna illa diva* IVSTITIA, *ad cuius veneranda templa viâ non vulgari, non tritâ, ſecus quàm multi arbitrantur, perveniendum. Neque ego ſum neſcius, quàm invidioſam orationem incipiam, qui de re arduâ inprimis ac difficili præcepta alis præire me poſtulem, homo ſcilicet adoleſcens, nullius judicii, addo etiam in hoc Jurisprudentiæ campo non ita diu exercita-*

citatus. Niſi potius ita vos cogitatis me ab hoc dicendi ſtudio nec ingenio nec exercitatione unquam alienum fuiſſe, tantumque jam toto hoc quadriennio in civili hâc prudentiâ diſcendâ operæ poſuiſſe, ut merear ex illorum catalogo eradi, quos ridiculo cognomine Iuſtinianus Dupondios *ab antiquis appellatos fuiſſe ſcribit. Porrò aliorum erat iſta monere, illorum inquam, qui judicio ſubacto, qui Juriſperitiâ & uſu me longè ſunt ſuperiores; quorum ego reſpectu capite deminutus, immò nullus ſim. Moverer hisce, Auditores, & nec aliis oblocutoribus os præberem, niſi vos, vos inquam ad audiendum & ignoſcendum paratiſſimos viderem. Sed & inibi mihi veniam (quæ veſtra eſt humanitas) vos daturos ſpero, ubi animum meum nonnihil commoveri animadvertetis. Inſcitiam, ſtuporem, & ſuperbiam non poſſum placidè præterire nonnullorum, qui ſe juris utriusque candidatos inſolenter & faſtidiosè jactitant, dummodò virtutis, ſapientiæ & doctrinæ perduelles ſint maximi. Igitur in ſtudioſo Juris duo*

potiſsimum adeſſe neceſſe eſt, Mores & Doctrinam; quorum alterum alterius auxilio viget. Mores probos & modeſtos vel ſuapte naturâ habeat, vel uſu & induſtriâ diſcat. Quis enim unquam malitioſæ naturæ Juſtitiam amavit aut ſecutus eſt, quæ bonorum morum creatrix, malorum expultrix eſt unica? Hosce tamen niſi naturâ poſsideat, vix aliunde hauriet, niſi ex ſacris Theologiæ fontibus, ex veterum Philoſophorum ſalientibus rivulis. Prius igitur erit litterarum ſtudium, quod ſecundum pietatem omnis doctrinæ cunabula meritò quis dicat. Inde fructus pulcherrimi, Linguarum ſcientiæ. Quis enim non dicet infantem & elinguem ſtudioſum Juris illum, qui præter linguam maternam nihil poteſt fari? Latinæ igitur & Græcæ linguæ juxta gnarus ſit oportet, qui doctrinam de Virtutibus & Moribus capere, qui Ariſtotelis & Platonis divinis epulis vult accumbere. Namque horum aut talium cibis niſi paſcatur, ſemper erit famelicus, nec quidquam bonis moribus condignum patrabit,

bit, qui quidem ingenuis & in ſe natis careat. De moribus, ut reor, ſatis eſt dictum. De doctrinâ ſive disciplinâ, quâ inſtitui debet Juris ſtudioſus, dicam poſteà & dicam fusè & circumſcriptè. Jam ignoſcite mihi, ſi quædam de illis an in illos dixero, qui ſe Procvratores *olim honeſtiſſimo vocabulo appellari volunt. Jllorum igitur, quorum tot ſunt, quot muſcarum olim cum caletur maximè, ut ait Plautus, ſæpè peſſima invenias ingenia, & qui ad illos mores probos latum digitum non accedant. Ferè talibus elogiis ſolet eos ornare quidam magnus vir:* Fori tintinnabula, Harpyiæ crumenimulgæ, vultures togati, canes, rabulæ. *Atqui hi non Jureconſulti, ſed oratores vulgò audiunt. Linguæ profectò plus nimis habent, & ferream vocem, ut & os ferreum & duriſſimum nunquam eis defuit. Cavete ab iſtis adoleſcentes, ſi aliquando verè* Cavere *& Jurisconſulti eſſe ſtudetis. Fugite fugite ſibilantes iſtas viperas. Exſecremini cenſeo alienarum fortunarum atque*

etiam capitis mercatores, aut potius mangones. Propter quos olim Gallia, hodiè Germania noſtra miſera eſt, ab eis alieniſſima ſtudia capeſſite. De quibus tollendis ex ſua Republicâ Ludovicus XI. Galliarum Rex ſeriò cogitavit, eos putate Germaniæ noſtræ peſtem eſſe certiſſimam. Intelligitis quos dicam, auditores. *nimirum illos, qui cum ſuopte ingenio pravi perverſique eſſent, pravitati & perverſitati ſuæ adjunxerunt & veluti ſuccenturiarunt Inſcitiam & Audaciam, hoc eſt, ut ego interpretor, Impudentiam. Hi ſunt illi, qui olim cum ad vota properarent (Petroniana hæc eſſe auditis) cruda adhuc ſtudia in forum propulerunt, & Jurisprudentiam, quâ nihil majus eſt, pueri adhuc naſcentes induerunt. De reliquis cauſidicis nihil habeo dicere, de quibus tamen miror olim pervulgatum fuiſſe vetus illud dictum, quod Johannes Sariſberienſis in ſuo Policratico repetit,* Eos habere linguam damnificam, niſi eam funibus argenteis vincias. *Certe bonis & cordatis cauſarum actoribus & patronis*

nis quotidiè indigemus. Et quæ ſine his fora, quæ civitates tranquillè regentur? Sed ut verè dicam, omninò indignum eſt, tàm altum ſtudium, tàm magnificum, ab iſtis pecuniarum accipitribus dehoneſtari. Nunc etiam eò res redit, ut non putetur ad Jurisprudentiam discendam aut exercendam idoneus, niſi vel malitiosè verſutus, vel ambitioſus, vel dives, vel tumidè inflatus. Inde fit ut ſæpè magna & nobilia ingenia in occulto lateant, vel ab hoc ſtudio arceantur, vel ad extremas ſordes abire jubeantur. Atqui Reipublicæ caſabundæ plurimum intererat talibus quaſi deſtinis fulciri. Equidem quamvis invitus de meipſo dicere ſoleo, dicam tamen apud vos liberè, me nullâ honoris illecebrâ, nullâ ambitionis aurâ adtactum animum ad hoc ſtudium adtuliſſe. Tempus eſſe video, ut illuc redeam unde abii. Magnus mihi, auditores, magnus dicendi campus aperitur. Quàm vereor ut ſæpè inæqualibus ſpaciis adhæreſcat orationis meæ curſus! Primum pace veſtrâ liceat dixiſſe, valdè hactenus

pecca-

peccatum eſſe à multis, qui in Juris civilis ſtudio ſunt dediti. Eos dico, qui magis aliorum conſilio ſeu inſtinctu, quàm certâ ratione hoc ſtudii ſunt aggreſſi. Neque enim ex omni ligno fit Mercurius, ut aiebant veteres. Et ad hoc ſtudium non quilibet natus. Præter animi integritatem & probitatem quandam ſingularem Ingenium neque ſtupidum, neque hebes, Memoriam inſignem, Judicium acre, ſtudium adſiduum, Exercitationem crebram, quaſi primitias quasdam litet Themidi, quicumque deam hanc conſectatur. Primum iſtud ſic ſatis exegimus. De reliquis ordine dicam. Ingenium voco, quod Ariſtoteles εὐφυΐαν, *quod qui non habet, fruſtrà etiam Muſarum fores pulſet & ad omnes artes ſit ineptus, ut ſentit Quintilianus. Nec quicquam igitur*

Traditur Orbilio quem nuper rudere vallis
Arcadiæ audivit,

ut ait recens Satyricus.

At in alteram partem, proh Deum immortalem, quàm ubique hodiè peccatur!

Illi

Jlli igitur qui neque Grammaticis,neque Rhetoricis præceptis percipiendis utiles aut idonei videbantur, Jus diſcere jubentur, in Juriſconſultorum ſcholas mittuntur. Quid deinde fit? Ubi primum de Bartolo & Baldo certiores facti ſunt, in cælo ſe eſſe putant. Novellæ Juſtiniani 1. c. ult. partem extremam, in quâ bardi iſti ridiculè Juris ſtudioſis neſcio quos Perſarum montes ſponderi ſomniant, ad unguem ediſcunt. Prima legum non intellectarum vocabula cautè uno ſpiritu citant. Ad diſputationes verò non ratione, ſed impetu quodam feruntur. Abſurdi an præpoſteri homines, qui priùs diputant, quàm diſputandi elementa diſcant. Impudentes an injurii, qui obſequentem illam Juriſprudentiæ famulam, Dialecticam dico, indignis modis traducunt. Memini me audiſſe ex magnis viris, iisque Juris doctoribus Germaniæ clariſſimis & eminentiſſimis, malle ſe inter vitulos marinos navigare, quàm iſtis talibus præſidere. Hi ſunt, auditores, qui licet non tàm ſuâ quàm ingenii culpâ

mali

mali ſint Juris ſtudioſi, multum tamen propter ſtuporem cognatum adtrahunt opinionis perverſæ, quâ bona etiam ingenia cum illis conflictantia coinquinentur. Jngenio igitur ingenio niti debet, qui ad Jurisprudentiam adſpirat: qui in ſecluſa Juris ſacra penetrare ſe cupit, Grammaticorum regulis, Dialecticorum Rhetorumque præceptis imbutus eſto. Secus ſi fiat vereor ne illud audiendum ſit ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. *Memoria porrò quamvis multarum artium communis ſit, quis neſcit tamen propriam eſſe Jurisconſultorum? Ut in Oratore acumen Dialecticum, in Philoſopho Sententias, in Poëta verba, in Tragœdo vocem, in Actore geſtum, ſic in Jurisconſulto Memoriam requirit Cicero in Oratore. Rectè quidem & ordine: ubi, ſi velis in foro verſari, ingens, varium digeſtumque Pandectarum corpus cum ſexcentis illis novis Imperatorum Conſtitutionibus ſit tenendum: tot Doctorum & Interpretum opiniones, ſi ita res ferat, ſint depromendæ. Atqui in ſcholis & cathedrâ hodiè non ſin-*

ſinguli tituli tantum, ſed titulorum ſeries, ſed leges, ſed paragraphi, ſed paragraphorum certè notæ exiguntur. Quid verbis opus eſt? Theſaurus Jurisprudentiæ Memoria eſt. Sed ut antè dixi, ridiculi illi ſunt, qui in principiis variarum legum vel etiam Paragraphorum recitandis memoriam ſuam oſtendant. Niſi tamen iſti, qui hoc factitare conſueverunt, potius artem quandam memoriæ comparandæ nobis pollicentur, ut multas plagas, ædes, angulos, fornices, porticus, perſtylia & intercolumnia numerent. Sed iſthæc ineptiæ ſunt maximæ, & ſciendum eſt leges prius intelligi, deinde memoriæ mandari debere. Riſi ſæpè dum quosdam inveſtes pueros vultuosè de ſeipſis deprædicantes audio, ſe examuſſim titulos De Verborum Signif. De Regulis Iuris *edidiciſſe. quorum quidem perverſam discendi rationem egregiè & eruditè refutat & explodit eruditiſſimus quisque Juriſconſultorum, inter quos & Antonium Contium eſſe recordor. De Memoria nolo plura dicere. De Judi-*

cio

cio quid exſpectatis? Id ego in omni diſciplinæ genere principe loco, quaſi in arce quadam collocârim. Idipſum partim naturâ contingit, partim arte comparatur. Sed naturale non in ætate infirmâ aut tenerâ quæras: in robuſtiorem cadit. Artificioſum totum à Dialectica pendet: quod in Scævola Jureconſulto tantum non divinis laudibus ornat ubique Cicero. Quocircà cave quisquis es, ſpes tuas præcipites crudóque aut nullo judicio ad Jurisprudentiam properes. Quando ergò Juris doctor audiendus primum? Sanè ego puto, non eſſe id ſemper æſtimandum, cuius quisque ſit ætatis, ſed quantum in ſtudiis jam effecerit. Ergò ille non arcendus à ſtudio Juris, qui Grammaticam, Dialecticam & Rhetoricam didicit, licet valdè adoleſcens. nam & ſatis judicare poterit. Grammaticam diſcere non voco id tantum, quod hodie pueri faciunt, ut inflexiones verborum diſcant, aut accentus rectè pronuncient, aut rectè ſcribant: ſed Latinæ & Græcæ linguæ perfectam cognitionem. Nam ut de Latinâ linguâ

linguâ prius dicam, quis unquam veterum Juriſconſultorum non accuratiſsimam operam eidem navavit? Quis non apud Quintilianum legit Jureconſultorum, ſummum circa verborum proprietatem laborem eſſe? Quis neſcit Antiſtium Labeonem Juriſconſultum nobiliſſimum eo nomine maximè commẽdari ab Agellio, quod Latinarum vocum origines rationesque percalluerit? Idem ſtuduiſſe & feciſſe palàm eſt Ulpianum, Paullum, Gaium, Marcellum, alios. Non igitur audiendi ſunt ii, qui clamant iſta nugas eſſe, neque magnoperè ad Jus pertinere. Sed qui ita ſentiunt, illi ipſi dicere poſſunt Cujacium, Hotomanum, Briſſonium, Duarenum, Donellum, alios tales (atqui Jureconſulti?) nimis Grammaticos fuiſſe; eâdem audaciâ & contumeliâ, quâ eosdem Umbraticos doctores appellitant. Qui ita judicant, quid de Græcâ linguâ ſentient, quæ ut noſtris hominibus minus eſt familiaris, ita magis ubique vapulat? Superioris ætatis Juriſconſulti plerique ſusque déque habuerunt

Græcè ſcirent ſive non. Utinam illi barbari poſteritatis rationem aliquam habuiſſent! Nam hodiè illud audias in omnibus angulis, illos ipſos qui neque Græcam, neque Latinam linguam calluiſſent, tamen egregios Juriſconſultos exſtitiſſe. Ego illorum diligentiæ, ut & ingenio nihil derogo: de eruditione ita ſentio, talem fuiſſe, qualis in illud horridum & incultum ſeculum cadere potuit. Sanè multos difficiles & obſcuros locos obſcuriores reddiderunt: mirabiles & monſtroſas rerum notiones excogitarũt. Humili quâdã & ſordidâ interpretandi viâ leges plerasq; nimis παιδοτριβικῶς, ut Ariſtophanis verbo utar, explicarunt. Sæpius apud illos legas, quæ ſit poteſtas Genitivi vel Ablativi, ut loquuntur, Abſoluti aut Gerundii, aut relativi, Qvi, qvae, qvod, & ſimilia, quibus referendis nolo vobis & mihi ipſi moleſtus eſſe. Quid plura dicam? Labyrinthos quosdam inextricabiles in Juriſprudentiâ ædificarunt, in quib. etiamnum multi libenter habitant. Budæum ego & Alciatum ſummos fuiſſe Juriſcon-

ſultos

ſultos exiſtimo: quorum hic Italiam, ille Galliam famæ ſuæ radiis illuſtravit. Græcas litteras perfectiſſimè uterque calluit. Quisquámne dubitet, huius linguæ auxilio illos ad Juris docendi & interpretandi optimam illam rationem perveniſſe; locos innumeros, obſcuros declaraſſe; mendoſos emendaſſe? Nam hi primi, relictis & ſpretis Gloſſatorum oleticetis & ſterquiliniis, pulcherrimam veteris Jurisprudentiæ faciem quãdam nobis oſtenderunt, & in Germaniam novum quoddam Jus propagarunt. De Galliâ omnes norunt, quot illa poſteà Scævolas, quot Sulpitios dederit. Quis non recogitat patrum noſtrorũ memoriâ apud nos floruiſſe Oldẽdorpios, Zaſios, Spiegelios, Ammerbachios, VVeſembecios, homines, ut in Jurisprudẽtiâ ſingulares, ita omni humaniori eruditione præclaros? Horum veſtigia indagate, horum pedem premite. Nihil vobis dignius, nihil conducibilius. Latinam linguam vultis intelligere? Græcam non negligite, à quâ illi pleraque origo & proprietas. Philoſophiæ limpidiſſimos

 fontes

fontes haurire vultis? Eos Latina lingua demonſtrat : Græca propinat. Antiquitatem & Hiſtorias ſcrutamini ? Græcos & Latinos ſcriptores juxtà legite. Quid de illo ipſo noſtro jure dicam ? Paſſim in eo Græca verba, ſententiæ, verſus, immò Conſtitutiones. Pudeat Juris ſtudioſum, Theophilum antiquiſſimum Inſtitutionum interpretem Latinè potius quàm Græcè loquentem audire : pudeat item Conſtantinum Harmenopulum. Dicerem plura de his, niſi ſcilicet animadverterem, vos potius exſpectare, ecquid de ſtudio & exercitatione ſim dicturus. Ille igitur qui ſe mancipio Jurisprudentiæ dedit, qui ſe illi ſtudio vinculo quodam alligavit, conſtantiam & aſſiduitatem amet : abſit ab eo omnis levitas, omnis ignavia & vecordia. Et præterea meminerit non dicis cauſsâ illud præceptum eſſe Oportere ſtudioſum Iuris habere plumbeas nates. *Studium ardens & protelo quodam continuatam diligentiam popoſcerunt veteres illi ſcholaſtici. Nempe quod olim ſuâ ſpontè fecit Didy-*

mus

mus ille Alexandrinus, ut propter induſtriam, nimiamque libris adſidendi conſuetudinem χαλκέντερος appellaretur, id vos facere non voluntatis veſtræ eſt, ſed neceſſitatis. Neque tamen ullo ſtudio & contentione id aſſequemini, ad quod properatis, niſi Exercitationem veluti ſororem diligentiæ copulabitis. Sterilis illa, ſine hac, & inutilis? Adſpicite opifices. quantus illorum labor, quanta induſtria, dum adhuc in veſtibulo ſuæ disciplinæ verſantur, antequam tirocinii ſui rudimenta poſuerunt? Et nimirum hi ætatem tirones manerent, niſi ipſi itendidem periculum facerent, & quod animo conceperunt, manu probarent. Agite vos adoleſcentes, acuite linguam, pectore verba depromite, diſſertationes & diſputationes crebras inſtituite. Leges legibus contendite. Nullus amœnior aut fructuoſior discendi modus. Altercationes & verborum aucupia fugite. Placida & mitis eſt Dialectica, neque laqueos jactat, aut nodos nectit, ut adoleſcens ille inſolenter factitabat, cui non injuriâ os

obverberavit Phavorinus Philoſophus ille graviſsimus apud Agellium.

Theſes nudè, ſine fuco & oſtentatione proponite. Morbus eſt iſte multorum, centones farcire, innumerabiles auctores citare, ut plus ſcire videantur. At ego illos magis rudes & ineptos dixerim, qui in re quamvis tenui & leviculâ modum tenere neſciunt. Circumferuntur Theſes nonnullorum, nec tamen indoctorum hominum, quæ vel maximorum commentariorum molem excedant. De quibus nihil verius dici poſſe autumo, quàm illos inſanabile Cacoëthes Juvenalis urgere, otióque & litteris uti prorſus neſcire.

Ad metam anhelo, auditores: candidum calcem jam oculis denotavi. Hoc mihi admonendi eſtis, ne quid à me invidioſè aut ſuperbè dictum exiſtimetis. Si quid præter vulgi opinionem in hos, in illos pronunciavi; ita juſsit me Candor meus: ita veritas obſcuritatem omnem & tenebras ipſas perrumpere ſolet, ut in ſereno collocata conſpici poſsit. Quid quod nihil à me prolatum eſt, quod non ad ſententias hominum

minum noſtri ſeculi doctiſsimorum ſit effictum. Tempeſtas nova nobis inſtat, auditores, ab omni parte. Barbaries nubes cogit, minitatur, armat in nos pluvias & grandinem, quæ novam bonis litteris & disciplinis ipſiq; Jurisprudentiæ calamitatem inferant. Quo magis ſummâ ope nos niti decet, ne potius culpâ noſtrâ & inertiâ accerſatur illud malum, quàm propulſetur. Ego ſanè averruncandæ Barbariei me hæc dixiſſe lubens profiteor.

DIXI.

CAROLI SIGONII
POSTREMA ORATIO PRO CONSOLATIONE CICERONIS

Nunc primum in lucem edita

A Gratio Lodio Gariſendo Bonon. Cler.

AD
ILLVSTRISSIMVM
D. IVLIVM RIARIVM
SENAT. BONONIEN.



BONONIAE
Apud Hæredes Io. Roſsij MDXCIX.
Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISS.MO VIRO D. IVLIO RIARIO SENATORI BONONIENSI, Mæcenati ſuo,

Gratius Lodius Gariſendus Bonon. Clericus. S. P. D.

CVm anno abhinc decimoquinto libellum de luctu minuendo, ſub Ciceronis nomine editum, Carolus Sigonius magnopere ſibi probatum, ſtudioſis commendaſſet, atq; editis orationibus duabus, in quibus eum eſſe germanum Ciceronis fœtũ, luculenter oſtendit, contra non nullorum, id negantium, pereruditorum hominum, auctoritatem, præſertimq; aduerſus Antonij Riccoboni, litterarum humaniorum in Patauino Gymnaſio profeſ-

ſoris ſententiam, diſputaſſet; atq; allatam à Riccobono ſententiæ ſuæ defenſionem confutaſſet; ille verò aduerſus confutationem hanc dialogum, quem Defenſorem inſcripſit, edidiſſet; nec dum ſatis vtrinque peratum in cauſſa videretur; en tibi Sigonij luctuoſiſſimum bonarum litterarum ſtudioſis interitum, qui vt illius vitæ, ſic etiam inſtitutæ contentioni finem impoſuit. Sed reliquit tamen ille tertiam, & ſi non tam perfectam (ni fallor) quam adumbratam orationem, in qua non vt ſub propria, ſed veluti ſub aliena perſona Riccobonum confutabat, cuius mihi copiam fecit Antonius Gigas; cui Deus vita functo propitius fuerit; peramicus Sigonij, & perdignus Sigonio, eiuſq; ſimilibus amicus, ea fuit tum doctrina, tum probitate præditus. Qui quidem eius edendæ magnum præſeferebat deſiderium. Ego igitur, vt Gigantis, amici

mei

mei ſummi, pijs manibus gratificer, & vt quam poſsim opellæ huic vita periclitanti opem feram (quippe eius vix vnum, aut alterum inueniri exemplar audio: Quæ tamen, vt & meum ipſum, non omnino mendis vacare videntur) typis eam æreis, ideſt immortalitati, commendare decreui, non ignorans fore, vt fructum inde haud negligendum capiant ſtudioſi, quando præſtantiſsimi viri opus, quantumuis rude, & impolitum vel maximè elaborato, atq; expolito inferioris hominis, anteferendum videtur. Quod ſanè meum conſilium ne ab ipſo quidem Riccobono improbandum, aut ægre ferendum cenſeo, cum id ipſum ad laudem eius quodammodo pertineat. tamquam enim e ſpecula proſpicio fore, vt hæc, quæ nunc eduntur, ex eloquentiſsimi viri ingenio exprimant aliquid ſtudioſis bonarum litterarum non minus vtile, quam cognitu

 iucun-

iucundum, atque idoneum in primis ad magis illuſtrandam eius eruditionem. Cum autem ſub præclaro Illuſtris viri nomine lucubratiunculam hanc apparere vellem, ſtatim mihi Tu in mentē veniſti (Iuli Illuſtriß.) cui vni de me optimè merito plus ſane debeo, quam alijs vnà omnibus; & cui debere me, pluſquam alij cuiuis, gloriari ſoleo: tu ſcilicet, quem non ſolum nobiliſſimorum ſeries progenitorum, qui ſuis olim in Remp. Venetam meritis ad communionem Venetæ nobilitatis ſibi viam aperuerunt, ſed et, propria induſtria quæſita, virtus nedum inter primarios & ciuitatis huius, & ſenatus eius, ſed inter totius Italiæ clariſſimos viros reponit. ipſe.n. quaſi nullus ex tuis aut ſacra Senatus Romani purpura, aut ſummi Pontificatus apice, aut multarum vrbium dominatu, aut armorum gloria, in quibus ſumma etiam impe-

ria

*ria geſſere, aut litterarum laude præfulſe-
rit (quæ tamen omnia ad magnitudinem fa
miliæ tuæ conſpirarunt) eum te eſſe voluiſti,
vt vel obſcuriſsimo generi nobilitatem con-
ciliare poſsis, ſiue mores tuos verè regios, ac
vitæ ſplendorem, ſiue ingenium ad ſumma
natum, & acerrimum tum in togæ, tum in
armorum ſtudijs ſpectemus, maximamq́;
in viros litteratos animi propenſionem. Tu
um eſt igitur, vir ampliſs me, eius operis ſu-
ſcipere patrocinium, quod ab eximio profe-
ctum eſt ingenio; atq; hoc munus à me hila
ri vultu accipere. Quodſi te feciſſe videro,
ad maiora tibi offerenda haud mediocri-
ter incitabor. Vale iterum, atq; ite um. Bo-
noniæ, ineunte anno ſalutis MDXCIX.*

AD ILLVSTRISSIMVM D. IVLIVM RIARIVM SENATOREM BONONIENSEM ROBERTI TITII CARMEN.

NOn te, quòd clara ſplendes virtute tuorũ,
Qui latè populis iura dedere pijs;
Aut quos purpureo frontẽ cinxiſſe galero,
Maximi Romulidũ gloria, honosq; fuit;
Non, quod eos triplici vidit diademate crinem
Euinctos flauis Albula diues aquis;
Non, quòd congeſtis opibus ſine crimine fulgent
Aedes, regificis quas colis ipſe modis;
Non, quòd formoſos præfers pubente iuuenta
Vultus, vnde faces iaculatur Amor;
Eximijs cuncti certatim laudibus ornant,
Aureaq; extollunt nomen ad aſtra tuum:
Sed, quòd perturbas florentes ære catervas
Fulminea intentans hoſtibus enſe necem;
Quòd iuuenile ſuis implet ſapientia pectus
Artibus, & mores edocet illa probos;
Quòd te præſtantem reddit facundia linguæ,
Vt cunctorum animos flectere voce queas;
Quòd virtute viros inſignes diligis, & quòd
Vel ſummis ſtudijs, officijsq;, iuuas.
Hoc laudant omnes, hinc te admirantur, & vnum,
Atq; hinc certatim ſe tibi quiſq; dicat.

CARO-

CAROLI SIGONII PRO CONSOLATIONE CICERONIS POSTREMA RESPONSIO.

SVNT qui putent inter A. Riccobonum, & Carolum Sigoniũ grauem adeo de noua Conſolatione verſari diſſenſionem, vt nulla ratione conciliari poſſit. Non eſt ita. Non modo Riccobonus à Sigonio non diſcordat, verum mire quoq; de ſumma quæſtione conſentit: ac verbo potius, quàm ſententia diſcrepat: vt veriſſimum eſſe illud, tandem appareat, bonum virum non voluntate ſolum, ſed ne opinione quidem ab amico poſſe eſſe diuerſum. quod hoc loco videtur aperiendum. Primum Riccobonus ſe tamquam incertum ſententiæ, nihil affirmare ſignificauit, vtrũ hic liber germanus eſſet Ciceronis, an ab aliquo alio ſimulatus, cum multos fuiſſe narrauit, qui lucri cauſſa libros ſubijcierent: ac demum intulit: [Id, quod fortaſſe euenit huic libro, qui Conſolatio Ciceronis inſcribitur [. Deinde cum rationes ſuas, conie-

ctur as

ꝯturas vocauit ,cùm veriſimilia ſequutum ſe, inquit; cum in his ſe parum momenti ponere,ſępe repetijt; cum eadem alieno rogatu raptim à ſe congeſta,denunciauit,profecto,ne ſe quidem in ea re ſibi ſatis placere, oſtendit. Neque vero aliter Sigonius ſentit, quàm, ſe parum exploratum habere quid de hoc libro conſtituat: vt, cum in Epiſtola ad Franciſcum Vianellum ſcribit: [Vt librum hunc legi, ac ſingularem eloquentiæ,ac doctrinæ copiam elegantiamq; cognoui, ilico ipſum aut Ciceronis, aut certe præſtantiſsimi alterius videri eſſe ingenij, protuli.] Et pòſt in prima oratione [Haud grauate feci, vt, quę mihi pro illo dici poſſe viderentur,litteris conſignarem, ne pręclarum, atq; vtile forte opus indicta cauſſa damnatum, temere à noſtris bibliothecis & ſcholis ablegaretur. Atque hoc quidem officium meum ſpero me æquis iudicibus omnibus facillime probaturum; certe,quantum conſequi vetere reuocanda harum literarum indnſtria potero, haudquaquam ſuſceptam cauſam incommoda aliquorum opinione affligi, ac labefactari

per-

permiſero; ita tamen, vt facile de propoſito deceſſurus ſim, ſi quem poſt hac aut veriora, aut probabiliora vel ſenſiſſe, vel protuliſſe comperero] Item [Quo de genere meam ego hoc loco ſic ſententiam interponam, vt non de tota re aliquid aſſeuerantius ſtatuam, ſed quibus potiſsimum rationibus liber hic Ciceronis aſſeri poſsit, oſtendam: neque vt aliquot erroris tenebras eis obijciam, qui adulterinum, ſed vt facem veritatis eis aliquam pręferam, qui germanum eſſe, exiſtimant. Quod ſi forte contigerit vt opinione, atq; conſilio labar, non ego cupidus, aut mendax, ſed humanæ coniecturę lubricæ, ac fallaces erunt habendæ. ſiquidem fit ſępiſsime, vt maiorem vim habeant probabilitatis, quæ minorem præſeferunt ſpeciem veritatis. Quam quidem nos aut his veſtigijs, aut nullis alijs in hoc rerum genere aſſequemur] Et in extremo dialogo [Hunc librum ego neq; ſcripſi, neq; edidi, neq; auctor cuiquam edendi fui, ſed tantum editum ita probaui, vt ad veritatem propenſiora multo mihi videri dixerim ea, quibus confirmaretur, quam quibus

bus euerreretur] Eundem autem ad hanc diſputationem veniſſe, veritatis, non contentionis, ſtudio, illa indicant in ſecunda oratione [Argumenta diſſentientium expendamus, eo animo, vt ſi grauia, & vera eſſe deprehenderimus, vltro illorum nos partibvs aggregemus, ſin minus, in noſtrę quaſi ſtationis pręſidio maneamus, ceteris vero, qui quaſi ſpectatores liberalis huiuſce co ntentionis aſtiterint, cauſam certioris, ac ſincerioris de re tota iudicij prębeamus. Neq;.n.verũ elucere, niſi cauſſarum vtrinq; facta contentione, poteſt] Diſſentientes quippe appellat omnes, quorũ opinionem non probat, non, quemadmodum nunc arguitur, aduerſarios; vt perſpicuum eſſe poſſit, ipſum cum cauſſa, non cum hominibus diſsidere. Iam vero de prima Riccoboni coniectura quę maior poteſt eſſe concordia? nam cum ille ſcripſiſſet, Ciceronem ſcripturum in tertia Tuſc. fuiſſe [Quodq; vetat Chryſippus, vt in conſolationis principio ſcripſimus, ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere] ac morem fuiſſe Ciceronis adhibendarum teſtificationũ

eiuſ-

eiuſmodi, adieciſſet; Sigonius vero, multis contra locis prolatis, talem teſtificationem ſuperuacaneam oſtendiſſet, ille ſemel, iterumq́; reſcripſit, ne ſe quidem in eo magnum admodum pręſidium collocare; ac Sigonio prope ſuccêſuit, quòd mentionem rei ſemel conceſſę refricuiſſet. itaq; eam coniecturam ne numerare quidem voluit: atque de albo reprehenſionum ſuarum exemit: in ſecunda vero, quam ille primam appellat, aliqua fortaſſe controuerſia hærere videatur; ſed quæ, rectè intellecta facile dirimatur. Dixit.n. ille Ciceronem redditurum fuiſſę rationem eius ſententię[Recentibus morbis medicinam adhibere vetant ſapientes]quia controuerſa eſſet, atque illi alteri repugnaret[Principijs obſta, ſerò medicina paratur [nam Ariſt. ſcripſiſſe in ſecundo Rhet. ſententiarum, ſi controuerſæ eſſent, rationem ſubijciendam eſſe. Sigonius autem negauit hanc eſſe ſententiam ex numero earum, de quibus tum loquutus eſt Ariſt. eas.n. appellat γνώμας; definitq́; vniuerſalia pronunciata de actionibus, & ijs, quæ aut perſequenda, aut fugienda forent.

rent: quę tantum morales eſſent, id eſt, ad philoſophiam pertinerent, quæ non in cognitione, ſed in actione co nſiſteret. ſed propoſitionem, & ſententiam medicã eſſe ait, quales ſunt aphoriſmi Hippocratis, in quibus corporis morbis medicina conquiritur: illam vero alteram eſſe moralem; cuiuſmodi ſunt propoſitiones ethices; in qua translatè morbi animi, & eorum medicina conſideratur, & traditur, vt doloris, & amoris in Tuſcol. & amoris præcipue apud Ouid. in libro de remedio amoris, vbi hanc ſententiam[Principijs obſta]multis modis enunciauit. Quod cum ita ſit, ſequitur, has ſententias inter ſe repugnare non poſſe: & propterea haud neceſſario effici, illam ex auctoritate Ariſt. ratione confirmandam fuiſſe. Hactenus diſcordia eorum pertinere videtur. Quæ vero infert Sigonius de probabili propoſitione, aut ratione, aut aucto ritate corroboranda, ea confiteri quoque Riccobonum eſt veriſimile, quia locis Ariſtot. ab eo quoq; prolatis innititur. ſic autem Sigonius ait[Recentibus morbis me dicinam non eſſe adhibendam]propoſitio-

nem

nem eſſe probabilem : probabiles autem propoſitiones probari aut per ſe, aut quia ratione probatæ ſint, aut quia ſapientum auctoritate nitantur. per ſe, vt quibus ſua natura omnes aut pleriq; homines aſſentiantur: ratione, vt ea, quæ argumentis aut ſignis confirmata ſunt: auctoritate, vt quas viri in philoſophia nobiles protulerunt. itaq; licere eas aut ſine ratione pronunciare, aut auctoritate munire. ſine ratione, hoc modo[Quoniam non ſolum nobis nati ſumus, ſed etiam patriæ, parentibus, & amicis, propterea naturam ſequentes, mutuis inter uos officijs certare debemus] ratione hoc pacto[Quoniam non ſolum nobis nati ſumus, ſed & patrię, parentibus, & amicis; in patria.n.orti, à parentibus geniti ſumus, cum amicis omnia commoda vitæ communicamus] vel aliquid tale: Auctoritate, vt Cic. primo de offic.[Quoniam, vt præclare ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolum nati ſumus, &c.] Itaq; idem Cic. Tuſc. 5. dixit[humanus autem animus decerptus ex mente diuina cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo comparari poteſt] hanc enim

pro-

propoſitionem neque ratione, neque au-ctoritate fulciuit, vt ſatis probatam à Pi-thagoricis. At in Catone ad auctoritatem eorum confugit] Audiebam Pythagoram, Pithagoricosq; omnes non dubitaſſe, quin ex vniuerſa mente diuina delibatos animos haberemus] primo autem de diuinatione pro Pythagoricis, Sapientes repoſuit [A deorum natura, vt ſapientiſsimis, doctiſsi-misq; placuit, hauſtos, ac delibatos animos habemus] Quod ln hac quandoq; conſola-tione ſic expreſſum eſt [Pithagoricorum ſemper conſtans fuit opinio, demitti ani-mos e cœlo] quomodo ergo Cicer. fecit, ſic & ſcriptor hic, quicunq; fuerit. Neq;.n. ſim-pliciter dixit, [Quãquam recentibus mor-bis medicina non eſt adhibenda] ſed [adhi-bere vetant ſapientes] vt poſtea [non vere-or quin, ſi minus in ipſo doloris ęſtu reme-dijs vtendum homines cenſeant, certe, cum modice dolor reſederit, ac ſe paullum qua-ſi remittere cœperit, ad extinguendas re-liquias, monita, præceptaq; noſtra adhibe-antur] atq; huic quoq; doctrinæ Riccobo-num aſſentiri, libet credere, nempe vbi ſa-

pientum

pientum auctoritas eſt prelata, rationem ſuperuacaneam eſſe, aut propoſitiones omnes ratione ſæpiendas non eſſe, neq; argumentum procedere, Hęc propoſitio, aut ſententia non habet ſubiectam rationem, ergo non eſt Ciceronis. nam prima propoſitio primæ eius orationis caret ratione: [Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eę contra nos ambę faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia] & tamen eſt ex numero ſententiarum, quas Ariſt. ratione firmandas præcepit. ſic. n. formari ex pręceptis illius poteſt: Nihil eſt potentius in ciuitate gratia, & eloquentia: aduerſatur autem vulgari opinioni, Nihil eſt potentius diuitijs, & opibus; de quo queritur in oratione pro Sex. Roſcio. Qui vero fuerint hi ſapientes, qui recentes morbos curandos eſſe negarint, ſiue Hippocrates, qui dixit [Concocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principijs] ſiue Plato, qui ſcripſit [Morbi, niſi periculoſiſsimi ſint, medicamentis non ſunt irritandi, nec difficile malum pharmacis inſtigandum] ſiue Chryſippus, qui ſcriptum reliquit [Recentibus

tumoribus non ſunt adhibenda remedia, ſiue alius quis nobis ignotus ſcriptor; ſiue falſa ſit hæc propoſitio, ſiue vera, ſiue de parte vna medicinę, ſiue de omnibus vere dicatur, hoc ad medicos reijciunt oratores, qui probabilitatē propoſitionis quærunt, non de remedij veritate laborant. Cui rei ipſum quoq; Riccobonum perſpicium eſt ex verbis eius, prębere aſſenſum. Secunda coniectura fuit de ſenectute. ſic. n. ſcripſerat in primo iudicio[cum ageret de conditionibus ætatum, mire ſenectutem vituperauit. Quod ſi feciſſet Cicero, de ea re in libro de ſenectute, quem paullo poſt ſcripſit, ſe excuſaſſet, vbi ipſam ſenectutem magnis laudibus extulit, & à quattuor illis accuſationibus defendit; quod auocet à rebus gerendis: quod corpus faciat infirmum: quod priuet omnibus fere voluptatibus: quod haudprocul abſit à morte] Monitus inde, Cicer. hoc facere non potuiſſe, quia Catonem loquentem, ac ſenectutem ab quattuor illis criminibus defendentem fecit, qui centum ante annos vixerit, quàm Cicero conſolationem conſcriberet, reſpondit, id

in

in procemio ex ſua perſona facere potuiſſe. edoctus iterum Ciceronem haud quaquam in procemio ſenectutem ab illis quattuor criminibus defendere potuiſſe, nunc demum infert [Dixi Ciceronem potuiſſe ſe excuſare non ſolum in procemio, ſed etiam in ipſo dialogo ſub perſona Catonis non nominatim, ſed in vniuerſum, vt diceret, in Conſolationibus, vbi agitur de conditionibus ætatum ſolere ſenectutem vituperari, ſed id fieri, vt cauſſæ ſeruiatur. vere autem omni laude eſſe dignam. & ſi proęmia cõceduntur à re ſeparata, cur non & in quibus res aliqua excuſetur?]ex quo ſequitur eum voluiſſe Catonem ita dicturum fuiſſe [Ego ad Senectutem laudandam, ac defendendam accedam contra quam qui conſolationes ſcripſerunt, qui de conditionibus ętatum agentes, eam vt cauſſæ ſeruirent, vituperarunt] Quod facere non potuit. nã èis, ac ſimul ijs, qui de contemnenda morte ſcripſerunt, ſatisfecit, cum dixit[Non libet mihi deplorare vitã, quod multi, & docti viri ſæpe fecerunt] neq; huius officij prętermiſsio hunc librũ Ciceronis non eſſe

coarguit. Apparet autem Riccobonum huic ſententiæ tacite ad ſtipulari, quia vno in loco negauit Ciceronem in conſolatione ſenectutem vituperaſſe, in altero vero, moré ait fuiſſe eorum, qui cõſolationes ſcriberent, vt eam ætatem accuſarent. quo verbo Ciceronem quoq; eam conſuetudiné retinuiſſe ſignificat. neq; .n. eo nomine hunc librum Ciceroni adimendũ aſſenſit. nam ſi Cicero ex perſona ſua excuſandæ ſenectutis cauſa dixiſſet, vt ipſe noſti in proœmio, ſcio pleriſq; inuiſam eſſe ſenectutem, quia à rebus geundis auocet, corpus faciat infirnũ, priuet omnibus ferè voluptatibus, haud procul abeſt à morte, tamen longè falluntur, quia nihil eorum officit, quod argumentum reliquiſſet ſequenti Catonis diſputationi? De tertia nulla iam amplius relinquitur controuerſia. Etenim cum ille dixiſſet, multas hic eſſe ſententias alibi à Cicerone vſurpatas, atq; in eis colligendis ſummum ſtudium poſuiſſet, Sigonius autem oſtendiſſet, licere id fieri, atq; à Cicerone ſępiſſime factitatum; & quaſi vt fieret, eſſe pręceptũ, Reſpondit tam multa neceſſaria non fuiſſe.

nam

nam ſe id non abnuere. atq; hanc etiam no tationẽ ex tabulis cenſorijs ſuſtulit. Quin etiã cum obieciſſet, multa hunc paulliſper immutata ex libris Ciceronis hauſiſſe, ac Sigonius contra oſtendiſſet, Ciceronẽ item multa ſua paullulum (non paulliſper) immu tata alibi ſępe repetiuiſſet, pariter id ſe non negare aſſeruit; vt nihil in hac reprehenſione ponderis eſſe ſignificarit. Cum porro vitio vertiſſet quod hic vitioſas aliquot hiſtorias attuliſſet, parum ſcite Decios, pro Decium, & Scipiones, pro Scipiones ſcribens: & Sigonius id factum partim rationibus, partim probabili librariorum cri mine defendiſſet: ac denique ſi erratum eſſet, leue eſſe, ac Ciceronem, & Liuium ali as grauius deliquiſſe, in hiſtoria, docuiſſet, hic cauſſa omiſſa accuſare Sigonium tamquam bonorum auctorum inſectatorem inſtituit, atq; magna indicia exemptę dubitationis dedit. Reprehenderat quod hic dixiſſet [Filio ſuo] pro [filio eius] inde multis grammaticorum exemplis, ad quos reiectus fuerat, refutatus, reſpondit ſe intellexiſſe, rarius id à Cicerone vſurpatum fuiſſe.

Accuſarat quod hic verſum Ennij recitans [Pro priamo vi vitam euitari]dixiſſet[Priamo vi vitam auferri]ac rogatus vt aliud exemplum proferret ipſius[Euitari] pro, auferri, nullum protulit, niſi eundem verſum alias apud Ciceronem vſurpatum[Doctrinam]pro Doctione, faſtidierat, prolatis eius ſignificationis apud Ciceronem exemplis ſe non eo offenſum ait, ſed quòd dixit primum[doctrinæ]deinde[docuit]Dixerat hunc quædam à Mureto ſumpſiſſe. Quis ea ex animo ipſum dixiſſe putaret, qui ipſum Deum conteſtantem videret, ſe, cum hæc ſcripſit, credidiſſe hunc librum ab homine tercentum ante annos nato eſſe conſcriptum? Verba ſunt hęc[Cum clara etiam diuini numinis conteſtatione affirmo ſpectaſſe vetuſtiorem illum ſimulatorem, cuius librum haberi Venetijs manuſcriptum 300. prope annorum antiquitatem pręſeferentem in vulgus iactatum eſt] Quarta coniectura fragmenta inſerta comprehendit. In primis ergo cum hic dixerit[Crantor humanæ vitæ incommoda ita diligenter expreſsit, vt quaſi luendorũ ſcelerum cauſſa homi-

homines naſci poſsis agnoſcere] obiecit illud[quaſi luendorum a Sigonio eſſe acceptum. Reſponſum eſt, hunc iunxiſſe [Quaſi]cum [agnoſcere] non cum[luendorum] idq; tribus rationibus colligi. vna, quia idẽ poſt repetens, dixit[Redeo ad illud , quod initio dixi , homines luendorum ſcelerum cauſſa naſci]non[quaſi luendorum] Altera quia[quaſi agnoſcere] eſt[Quodammodo agnoſcere] quomodo locutus eſt Cic. ſcribens ad Seruium [Et meum dolorem quodammodo agnoſco] Tertia quod eandem ſententiam alijs quidem verbis,ſed idem declarantibus,in Hortenſio vſurpauit. [Ex quibus humanis vitę erroribus, & ærumnis fit, vt interdum veteres illi ſiue vates, ſiue in ſacris , initijsq; tradendis diuinæ mentis interpretes,qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pænarum luendarum cauſſa natos eſſe dixerunt,aliquid vidiſſe videantur , verumq; ſit illud , quod eſt apud Ariſtotelem , &c.] ſic.n. & hic dici poſſe [Crantor adeo diligenter humanæ vitæ incommoda expreſsit , vt quodammodo verum id eſſe poſsis perſpicere, quod veteres

dixerunt,luendorum ſcelerum cauſſa homines naſci] Quibus rationibus cum ipſe primum ita reſponderit [Durum hoc mihi videtur]Deinde[nemo eſt,qui vocem,Quaſi,non referat ad vocem , Luendorũ] Quis eſt,qui non videat,hoc ipſum velle?quamquam nemo eſt, quin primo aſpectu ita coniungeret,tamen,vt hic monet, eſt coniungendum : & hæc ratio aduerſus hunc librũ infirmiſsima eſt? Recitans hic porro idem dictum, [Homines luendorum ſcelerum cauſſa naſci]dixit[naſci, & in hanc lucem ingredi] quo loco Riccobonus poſtremum additum eſſe ab eo de ſuo notauit, tamquã gloſſema ipſius[Naſci] Reſponſum eſt,Lactantium obieciſſe Cic. quod cum hæc dicta Græcorum vſurparet , in quibus voces [Naſci,]&[Mori]concelebrantur,adiecerit aliquid de ſuo,vt ornaret,dixiſſe.n.[Nõ naſci, nec in hos ſcopulos incidere vitę, Mori,& tamquam ex incendio effugere fortunę]Quare eodem quoq; ornatu dixiſſe[naſci,et in hanc lucem ingredi]Non probante illo,quia[Naſci,& in hanc lucem ingredi] idem eſſet , oſtenſum eſt , morem hunc

fuiſſe

fuiſſe Ciceronis vt [naſci] duobus modis idem declarantibas explicaret, vt [Nati, & in lucem editi; In lucem editi, atque ſuſcepti, ſati, & creati, ortum, & natum; fac naſci hominem, & in lucem edi] & alia, quæ non eſt neceſſe repetere. Quibus auditis ille demum cedens dixit, [Aliorum ſit iudicium] Obiecerat, quod hic fragmento conſolationis Ciceronis a Lactantio allato verba quędam de ſuo interieciſſet. Occurrit Sigonius ea verba non interpoſita ab hoc, ſed de induſtria a Lactantio prætermiſſa fuiſſe, quia cauſſam ſuam non adiuuabant. ſolere. n. ſcriptores, cum verba recitant aliena, commoditati ſuæ conſulere, neq; omnia ad vnguẽ exprimere, ſed breuitatis cauſa pro arbitrio quæ ſuperuacanea iudicent, de medio remouere. Sic Ciceronem feciſſe, qui orationem Socratis ex Apologia Platonis recitans, aliquot, quæ viſa ſunt, interſecuit. Quod cum ille negarit, ſane tacite confeſſus eſt, ſi verum eſſet, ſe aſſenſurum fuiſſe. Verum autem eſſe, vnicuiq; patebit, qui diligentur Græca cum Latinis coniunxerit. Quod hoc loco breuitatis cauſa omittitur.

Cur autem illa verba neceſſaria eſſent, cauſas tres afferebat Sigonius quas ſingulas ſibi verbo refutandas ſuſcepit Riccobonus primum.n. quæ erat, vt cauſam redderet, cur vellet filiam exemplo veterum conſecrare, ſic euertit, vt dicat, neceſſe non fuiſſe cauſam reddere, cur exemplo veterum vellet conſecrare. nam omnibus patere veterum veſtigijs inſiſtendum eſſe. Cui reſponſum eſt, vetera exempla conſecrati hominis apud Romanos neceſſaria fuiſſe,& memorię exoletæ.eos.n. vnum tantum Romulũ inter deos retuliſse:& propterea ad eam conſuetudinem reuocandam probabile aliquod excogitandum fuiſſe: ſecundam vero, quæ erat, vt proximam ſermonis ad Tulliã conuerſionem inferret, ita refellit, vt neget ſe videre neceſsitatem conuerſionis ſermonis ad Tulliam, quaſi dicat, ſi viderem, aſſentirer. Dicitur, igitur inepte à tertia perſona ad ſecundam tranſitum factum iri, cum inquit [Aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingenijs omnem vitam conſtitutam habemus, teq; omniũ optimam conſecrabo] niſi præceſsiſſet conuerſio ſermonis ad Tul

liam

liam in ijs verbis,quæ temere interiecta pu tantur[Neque hoc de ſe vna mea Tullia dictum volumus]cui ſuccedit[vigebis autem memoria]& poſt[tibi igitur numquam me perſoluere officium putato] demum [teq; omnium optimam conſecrabo] Iam vnuſquiſq; perſpicere hanc neceſsitatem poteſt. Tertiam vero,quæ erat , vt quod Attico ſe facturum promiſerat de Tullia Græcis,Latinisq; literis celebranda,perſolueret , ita ſubuertit, vt dicat, non ſolui, quod Attico promiſſum erat : ſed ſolutum eſſe ſignificari. Non ſit in hoc controuerſia. nam & ſignificat ſe eam celebraſse , & officio ſuo tum primum palam facto concelebrat.Repugnantiam inde illam intulit , quod Lactantius ſcripſiſset Ciceronem dixiſse, ſe filiam conſecraturum: & in fragmento Cicero confirmaſset, inquiens[Te conſecrabo]At hic auctor poſt,dixerit[Te conſecrata,in cælumq; recepta] Quæ quidem repugnantia aut nulla eſt,aut facile,vel ipſo con ſentiente tolletur. Dixit enim primum ſe conſecraturum ; deinde ſe conſecraſſe. recte vtrumq; Conſecraturũ , quia non dum

fanum

ſanum conſtruxerat, vt ex epiſtolis ad Atticum dicitur. quare neq; legitimam conſecrationẽ obierat, quæ legitimis celebranda ceremonijs erat. ſe conſecraſſe, quia conſecrationis conſilium cœperat, neque id erui poterat. & quod ad voluntatem iam factum erat. Vitio quoq; dat, quod fragmentum conſolationis attulerit emendatius, ac plenius, quam in vulgatis Lactantij codicibus legatur. Cum enim ita lectio ſit [Quod ſi vllam animal conſecrandum fuit, illud profecto fuit] Hic tamen ſcripſit [Quod ſi vllum animal cõſecrandũ fuit, qualia multa conſecrauerunt Aegyptij, quod nullum profecto fuit] Reſponſum eſt, id recte factũ. Locum.n. vetere Patritij iuditio fuiſſe corruptum, neq; ab eo, licet multis excogitatis emendationibus, potuiſſe reſtitui; quarum vna fuit pro [illud profecto fuit, ſicut profecto fuit] Hanc autem huius, cum ſit omnium optima, apparere non ab imitatore, ſed ab auctore eſſe prolatam, hoc ſenſu. Si vlla beſtia conſecranda fuit, quales multas conſecrauerunt Aegyptij, quarũ nulla conſecrãda fuit, vt ante dixi, ſi ex hominibus

bus præcipuè Hercules, Caſtor, & Pollux conſecrandi fuerunt, certe idem honos Tulliæ eadem de cauſa tribuendus eſt. Ad quę demum cum ita reſpondit[Omnino ſi librum non eſſe adulterinum exiſtimarem, iſtam explanationem admitterem] non ne tacite ſe ratione victum in hanc inclinare ſententiam declarauit? Alteram etiam repugnantiam attulit, quam Achillem ſuum vocauit; quod Lactantius prodiderit, Ciceronem in conſolatione dixiſſe, ſe vexationes inimicorum, atq; exilium forti animo pertuliſſe: at vero cum Tulliam amiſiſſet conuersũ ad fortunam in eas voces erupiſſe[Cedo,& manum tollo]At in hoc poſt libro dicere[victor de dolore, & de fortuna triumpho] Reſponſum eſt Ciceronem in primo doloris articulo dixiſse[Cedo]poſt, Philoſophiæ præceptis recreatum ſubieciſſet[De fortuna triumpho] Lactantium vero primum tantum dictum, vt ſapiente indignum ad reprehendendum arripuiſſe, vt qui omnia eiusmodi Ciceronis dicta ſibi refutanda putarit. cùm autẽ ipſe idem, quod ante, ſubijciat, Lactantium non reprehenſurum

ſurum fuiſse Ciceronem ſi ſe fortunæ victo
rem dixiſset, oſtendit ſe facile huic rationi
aſsenſurum,niſi prætuliſset , ſe in hoc argu
mento. ſpem totam victoriæ poſuiſse. In
quincta inde coniectura crimini dedit,
quod in commemorandis quorundam viro
rum, ac fæminarum,qui & ſuam,& propin
quorum ſuorum mortem moderate tuliſ-
ſenr,exemplis ordinem temporum non ſer
uaret; Quem tamen S. Hieronymus lecta,
vt videtur,conſolatione tutatus ſit:Reſpon
ſum eſt, oratores ac Philoſophos non ſem-
per in afferendis exemplis ordinem tempo
rum cuſtodire, ſed commoditati diſputa-
tionis conſulere: neq; Ciceronē neq; alios
eum perpetuè tenuiſſe, Sanctum etiā Hie-
ronymum illa exempla à Grecis,quos etiā
nominat, non à Cicerone ſumere potuiſſe.
quorum primum confitetur, verum eſſe, at
aliter ait fieri potuiſse. De Sancto autem
Hieronymo ita hęſitat, vt facile declaret,
ipſum Sigonij ſententiæ adhærere. nam
vno in loco dicit [Mihi veriſimile videtur
Sanctum Hieronymum Ciceronis ſtudio-
ſum, cum illa ſcribebat,habuiſſe præ mani
bus

bus ipſius Ciceronis conſolationem]in altero vero [Quaſi vero Sanctus Hieronymus cum eſſet in bibliotheca ſua, & materiam conſolationis pertractaret, non potuerit etiam ante oculos habere alios libros quã conſolationem Ciceronis] Addit inde Sigonio quoq; magis aſſentieas, ſi Harpagũ, Dionem, Præxaſpem à Cicerone commemoratos eſſe aliquorum teſtimonio conſtaret,ex hoc capite conſolationem ſuſpectam non haberem, tacite innuens, quoniam hic Periclem, Xenophontem, & alios nominauit, quos aliorum teſtimonio nominatos à Cicerone conſtat, propterea ſe ex eo capite ſupectam conſolationem non habere.itaq; ſubdit, ſe non prorſus negaſſe exempla Harpagi,Dionis, & Præxaſpis à Cicerone allata eſſe, ſed propter eã, quam habet de iſta conſolatione ſuſpicionem ſcripſiſſe id ſibi certum non eſſe. Maxime autem in eo ſententiam Sigonij comprobat, quod temere C. Catonem filium pro matre Rutilia exemplum fortitudinis nominarit.nam cum ſcripſiſſet in primo iudicio[Meminit Cępionis,Lepidi,& C.Cot

tæ,

tæ, de quibus ſe dubitare Ciaro ſcripſit ad Atticũ] monitus debuiſſe diere[Lepidi, & Rutiliæ] de his enim dubitauit Cicero inquiens[Quæro Rutilia viuo ne C.Cotta filio mortua ſit,an mortuo.pertinet ad librũ quem de conſolatione ſcripſimus] de mum ſic reſpondit[Non me valde erraſſe exiſtimo,cum mater , & filius ita inter ſe referantur,vt,vna perſona nominata, etiam altera intelligi poſsit] itaque imbecillitatem reſponſionis animaduertens, non fuit pertinax,atque,vt debuit, hanc notam ex catalogo animaduerſionum remouit.

Sexta inde conięctura verba parum Ciceroniana complexa eſt; quę in alijs libris Ciceronis non reperiantur. Reſponſum eſt placuiſſe veteribus gramaticis præcipua quædam verba in ſingulis libris a Cicerone adhibita eſſe, neque facultatem Ciceronis certis ſe finibus incluſiſſe. Statiliũ olim librum de ſingularibus apud Ciceronem compoſuiſſe , Nonium multa nouè dicta à Cicerone collegiſſe;Senecam,Quinctiliamum, & Sidonium noua item non nulla notaſſe in:ijs, qui extant, libris paſsim multi ſin-

ſingularia legi:in fragmentis eius etiam non nulla ſingularia animaduerti,in Catone ma iore plura, quam in hoc inueniri.hæc verò ſi non à Cicerone at à Latinis factitata reperiri eorumq; alia ratione translationis, alia ratione analogiæ poſſe defendi. Quæ cum omnia vera eſſe confirmet, ſane ſentire videtur parum roboris in eo eſſe argumento, Hic liber non eſt Ciceronis,quia voces quasdam continet, aliàs à Cicerone nõ vſurpatas. Vt autem numerum vocũ in Catone ſingularium aliquantulum, non, vt ipſe inquit, [aliquantis per] imminueret, eas non auctoritate Ciceronis, vt debuit, ſed vel varietate lectionis, vel bonitate locutionis defendit, profecto ſignificans hæc quoq; quæ Sigonius in hoc libro ſingularia confitetur, ita poſse defendi, vt ea vel culpæ librariorum attribuantur,vel omnia potius, quam frequens apud Ciceronem vſus adhibeatur. Inter cætera verò,quæ varietate lectionis defendit,ſunt[ſenectutem adeptã] & [inſomnia]pro quibus[Adepti] & [inſomnijs] mauult, quorum exempla multa ſuppetunt,cùm grãmatici veteres,&

libri manuſcripti, doctis viris teſtibus[Adeptam] agnoſcant, & Salluſtius dixerit [Adepta libertate]Inſomnia verò inſomnię hoc. n. apud Ciceronem eſt nouum, non in ſomnia inſomniorum, conuenit magis loco[Caret, inquit, ſenectus cruditate, vino, lentia, & inſomnia]ideſt, ſomni vacuitate, quam Inſomnijs.

Adiecit, eundem vocem,[Cum]iunxiſse cum vocibus incipientibus à littera N, contra præceptum Ciceronis in oratore. Declaratũ eſt, præceptum illud referi tantum ad præpoſitionem[Cum]iunctam cum vocibus inchoantibus à No, atque id Quinctiliano, & Priſciano placuiſse, non autem ad coniunctionem[Cum] quam antiqui ſcribebant[Quum] veteribus grammaticis teſtibus, qui pro exemplo poſuerunt [Cum nauis ex Aſia venerit] Ciceroné pręterea, Virgilium Terentiũ Horatium, alioſq; ita aliquando iunxiſse non negauit, ſed aliũ locum Ciceronis ad Pętũ oppoſuit [Quid cum vulgo dicimus, cum nos te conuenire volumus, non obſcænum eſt]Demonſtratũ eſt Ciceronem huic ſententiæ ibi fauere,

nempe

nempe cum dicebat[Cum nos]nihil obſcę num dicere, ac ſententiam Stoicorum tueri, qui obſcænitatem nullam in voce eſse dicebant. Reſpondit Ciceronem iocari; quaſi verò tum primum Stoicorum decreta amplexus ſit, aut aliquando Stoicos ipſos irriſerit, niſi cum cauſsæ ſeruiens, Stoi cum Catonem irriſit; de quo ille dixit[Fa cetum habemus conſulem] Quare non eſt dubium, ipſum in hac etiam quæſtione cum Sigonio conſentire, poſt quã hùc totam diſputationem redegit. Notauit vocem Apollinis bis in his verbis repetitam [Credamus ſane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnificum Apollini exædificatum Delphis erat, vt quod eſset optimum, homini tribueret; poſt diem tertium exanimes ſunt inuenti.] Allatæ ſunt aliæ eiuſmodi repetitiones. Repetitiones probauit atq; hanc etiam tolerabilem dixit: verum nouum id addidit; ſe ſolœciſmo in his exẽplis hærente magis offendi [Qui exoratus exanimes ſunt inuenti] Quem quidem ita defendunt[Qui exoratus]pro,[Qui cum eſset

exoratus]ſed Sigonius aliquantò mitior ſolœciſmum eſse confitetur, verum eiuſmodi alios reperiri apud Ciceronem,denunciat. quorum non nullos Aſconius,alijq; notarunt, vt de officijs primo[Sed quoniam, vt præclarè ſcriptum eſt à Platone,non nobis ſolum nati ſumus, ortusq; noſtri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici: atq; vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſse genitos, vt ipſi inter ſe alius alij prodeſse poſsent, in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes vtilitates in medium afferre mutuatione officiorum dando, accipendo]Huic autem vitio bonos omnes ſcriptores eſse affines ipſum Riccobonum aſsẽſurum pro ſua æquitate, ac prudentia putat,cum & ipſe alium in primo iudicio ſuo effuderit niſi quid librarij vitio deſit [cum tam multa in tantulo libello reperiantur, neſcio quis ſanæ mentis eũ eſse Cliceronis poſsit exiſtimare, numquam Cicero occaſionem habuerit vtendi huiuſmodi vocibus, niſi in hac conſolatione] In ſeptima
conie-

conicctura,vbi elocutionem adhuc examinans, minus propriè dicta obſeruat; illud in primis tamquam minus proprie dictum animaduerterat [Animum ad futuram vitam tamquam ad patriam euolare]reſponſum eſt, eum nihil dixiſſe parum conueniens Ciceroni,ſiuè vt philoſopho, ſiuè vt Platonico. nam eiuſmodi apud eos etiã ſententias celebratas. Reſpondit,ſe non laborare de ſententia,ſed de elocutione.nam parum propriè dictum eſſe [Animum ad futuram vitam, tamquam ad patriã euolare] Reſponſum eſt,non propriè, ſed translatè hoc dictum eſſe.nam Platoni placuiſse hanc vitam peregrationem eſse. Ad hæc ille in dialogo ita[Atqui hæc vita,& patria haud quaquam inter ſe opponuntur. quia vita eſt actio, patria verò locus: debuit autem dicere, ad patriæ vſum euolare]Bone deus quis non crederet, hæc oracula eſse,cum virum talem tanta cum animi fiducia hæc dicere, iterare,atq; aſseueranter inculcare aduerſus hominem haud prorſus rudem videret? Vita, inquit, eſt actio. Verum.non locus; falſum eſt. nam ſi ita eſset, falſo dice-

rent Latini, Ingredi, & Prodire in vitã, exi re, Cedere, Decedere diſcedere Egredi M n grare vita. Hęc igitur vita eſt tãquã diuerſo rium, atque hoſpitium, futura tamquam pa tria. vt autem hic dixit[Certum eſt non ha bitandi locum, ſed commorandi diuerſoriũ nobis eſse conceſsum, è quo cum migramus, alacres tamquam ex hoſpitio miſeria rum egredi debemus, ac lætiſsimo animo ad futuram vitam, tamquam ad patriam euolare]ſic Cicero in Catone[ex vita iſta diſcedo tamquam ex hoſpitio, non tamquã ex domo] Quomodo autem ex vita tamquam ex hoſpitio, ſi vita eſt actio, & non lo cus? Hoc, vt dixi, in dialogo. at in catalogo ita. [Ad futuram vitam, tamquam ad patriam, inpropriè dictum in perſona Ciceronis]Quibus exemplis oſtendit ſe ab elo cutione damnanda redire ad ſententiam improbandam: & quia certus ſententię non eſt, tacite ſe aſsentiri hanc reprehenſionem infirmiſsimam eſse. Retulit etiam inter parum propria quod dixit [Præfinitum eſse tempus à Deo, quod pręteriri, aut ex quo egredi nemini liceat] nam eſse ſententiam

Iob.

Iob. probatum eſt , eiuſmodi quoq; alias Chriſtianorum ſententias apud Ciceronẽ celebratas. Reſpondit vt ante, ſe non loqui de ſententia, ſed de elocutione.neq; .n. alias Ciceronem ita dixiſſe. Occurſum eſt non eſſe neceſſe vt apud Ciceronem reperiatur: fieri poſse vt Sanctus Hieronymus qui hiſtoriam Iob vertit, & verba ſimilia vſurpauit , ab ipſo Cicerone ea mutuatus ſit; vt alia etiam mutuatus eſt. His demum ſubiecit,ſe minus proprium intelligere, ideſt non proprium Ciceronis hominis gentilis,&debere oſtendi propriũ eſse Ciceronis.ex qua item inconſtantia illud idẽ, quod ,ante elicitur re ipſa cum Sigonio ſentire,ſed ne cauſam prodere videatur,verbis diſsidere. Quid enim attinet ſententiam inſectari , cum in elocutionem , & ornatum orationis inquiras? Exprobarat quod dixiſſet[Animam ſimul cum homine inferire] nam eſse animum ſimul cum animo mori. Reſponſum eſt, Platonem item dixiſse [non eodem die animum interire, quo homo moritur.]At mors,inquit, apud Platonem eſt diſsolutio animi,& corporis.& ho

mo apud eundem aut pro animo accipitur, aut pro compoſito. Scite ergo non eodem die animus interit, quo animus à corpore ſoluitur; neq; animus interit cum homine, ideſt tum, cum homo compoſitum diſsolui tur, ſi quidem vt Cicero inquit in prima Tuſculana [Interitus eſt quaſi diſceſsus, & ſecretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur] ex quo ambos idem dicere, & ſentire. Octauam demum exponens coniecturam dixit, quædam hic eſse verba minus Latina. oſtenſum eſt, ea à Latinis ſcriptoribus eſse adhibita. imprimiſq; à Liuio, & Suetonio. Reſpondit, eos nimus ſibi probatos eſse Latinitatis auctores. inde monitus, mutata ſententia intulit minus Latina accipi duobus modis, vno rarius à Latinis vſurpata, altero nunquam: ſe autem intellexiſse, rarius. qua in re illi Sigonius aſsentitur. Reprehendit autem illud, vt minus Latinum [Is ſe hominem eſse meminerit, nihil autem humanius eſse morte. vt ſi mors ab ipſo diuelli, atq; auferi poſset, dijs propior habendus eſset, quã hominibus, nec omni ex par

te

te, hominis nomen ipſi congrueret,& præcipua hominis condicione non vteretur] Ac dici debuiſſe ait[poſsit, habendus ſit, congruat]Reſponſum eſt,recte ita ſcriptum eſse,atque eam illationẽ non à[meminerit] ſed ab[humanius eſset]pendere,hoc ſenſu, meminerit ſe hominem eſse, nihil autem humanius, ideſt magis proprium hominis eſse morte[vt]ideſt,vſque ad eo vt,ſi mors ab ipſo auelli poſset, dijs propior habendus eſset,quam hominibus.ſic de Amicitia, quærebatur quod in omnibus homines diligentiores eſsent, vt[capras, & oues quot quiſque haberet, dicere poſset, amicos quot haberet,dicere non poſset]Reſpondet [humanum]pro hominis proprio comparatiue nunquam dictum: ex quo ſuſpicari libet, eum Sigonij interpretationem non re probare. Videndum eſt autem quid ſit in tertia Tuſculana [ſi qui forte cum in luctu eſse vellent aliquid humanius] Accuſauit inde illud[De quo eſt apud Herodotum illum Xerſi reſpondiſse] allatum eſt ſimile exemplum, quod ſe probaturum fuiſse reſpondet,ſi abeſset vox, [eum] Ecce alterũ exem-

exemplum vbi abundat vox [Eum]pro Milone[Plebem , & infimam multitudinem, quæ P.Clodio duce, fortunis veſtris imminebat, eam, quo tutior eſset vita veſtra, ſe feciſse commemorat, vt non modo virtute flecteret] Damnauit etiam illud [Lacænas mulieres traditum eſt,occiſis filijs vulnera inſpicere conſueuiſe. ac ſi aduerſos vulneratos eſse comperiſsent, lætabundas funus ducere, eosq; in auita ſepulcra inferre ſolitas eſse:contra vero quos auerſis vulneribus conciſos agnoſcebant , ab ijs refugientes,clam ſepeliendos curabant] Allata ſunt exempla duo ſimillima è Cicerone accipiat etiam tertium.primo de off. [Nec noſter quidem probandus,ſi verum eſt Q. Fabium Labeonem,ſeu quem alium,arbitrum Nolanis,& Neapolitanis de finibus à Senatu datum,cum ad locum veniſset , cũ vtriſq; ſeparatim locutum , vt ne cupidè quid agerent,nec appeterent: atque vt regredi , quàm progredi mallent.id cum vtriq; feciſ ſent , aliquantum agri in medio relictum eſt.] Cum ad vltimum dixiſset , ſe iuraturum eſse,illud non eſse Latinum[Erepti fi-
lij

lij cogitatio adeo grata eſt , quod illum pæne ante oculos conſtituere videatur] pro , adeo grata eſt , vt. monitus eum non bene conſtruxiſſe, ſe aſsentiri confeſſus eſt. ac crimen iſtud omnium grauiſſimum libenter in catalogo remiſit.

FINIS.

10552
NHIX
X 98
5 in 1 Band.
U 546
PA
3893
.R3
1585
c.1
4102816

Jimds

95

J. 54